NAZIONALE
8
12 — G
50
VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48.4.30
48
D
35

Digitized by Google

NAZIONALE

Google

TRACTATUS
DE
INCARNATIONE
DOMINICA.

TRACTATVS
DE
INCARNATIONE
DOMINICA.

AVTHORE

FR. PETRO DE COMITIBVS

Romano

ORD. ER. S. AVGVSTINI

de Ancona.

Sac. Theologiæ Magiſtro & Doctore, Collegij Romani Regente, necnon Anconæ, Venetijs, Patauij, &c.

S. OFFICII CONSVLTORE.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMAE,
Apud Io: Franciſcum de Buagnis. 1688.

Superiorum permiſſu.

IMMACVLATAE

DEIPARAE

MARIÆ

ANGELORVM REGINÆ,
DIVINÆ SAPIENTIÆ THRONO
ÆTERNI PATRIS FILIÆ,
SPONSÆQ; SPIRITVS SANCTI

Fr. Petrus de Comitibus
Romanus humillimè
conſecrat.

TERRENORVM Principum exoſus moroſitatem, TE ſeligo in Patronã, auguſtiſſima Cælitum Imperatrix. Siquid enim boni in hac miſeriarum orchæſtra ſperandum ſupereſt, totum id per TE vnam acceptum

volo. Atque adeo de ſacroſan-
cta Filij tui Incarnatione tracta-
tum hunc emiſſurus in lucem,
TVI ſolius præſidium imploro,
ſub cuius tantùmmodò auſpi-
cijs illum abſolui. Accipe igitur
quod toto cordis affectu, humil-
limè TIBI conſecro, minimum-
que hoc ingentis mei obſequij
monumentum, glorioſo tuo no-
mini nuncupatum, benigno vul-
tu recipere nè graueris. Tunc
autem acceptum TIBI fuiſſe,
amantis animi plenitudine pa-
tefeceris, cum tui Filij amorem
paternum mihi conciliaueris,
cuius maiorem gloriam, vni-
cum laborum meorum ſcopum,
hoc opere promouere conatus
ſum.

Mag.

Mag. F. Fulgentius Traualloniá Mõte Elparo Georginas totius Ord: FF. Er. S. P. N. Augſtini Prior Generalis.

CVM opus Theologicum de Incarnatione, a Reu. P. Magiſtro F. Petro de Comibus huius noſtri Romani Collegij Regente elucubratum, Viri a nobis deputati recognouerint, & in lucem edi poſſe cenſuerint, præſentium vigore, facultatem illud imprimendi, ſeruatis de iure ſeruandis, concedimus, & impertimur. Datum Romæ 27. Aprilis. 1688.

Frater Fulgentius Traualloni Prior Generalis Ind:

Noſtri Mun: affixo Sig:

Reg Lib. 3.

Approbatio.

IVſſu Reuerēdiſſimi. P.Fr.Dominici Mariæ Puteobonelli. S.A.P. Magiſtri. Vidi opus, cuius titulus eſt, *Tractatus de Incarnatione Dominica*, a R.A. P. Mag.Fr.Petro de Comitibus Romano, Ordinis S. Auguſtini, &c. elaboratum, attentèq; perlegi, nihilquè Catholicæ veritati diſſonum, neque rectis moribus minus conſonum reperi, immò mirã doctrinam, profundam eruditionem, claræ ſubtilitati coniunctam inueni, & vt legentibus iucundum, ſtudioſiſque valde proficuum, dignum vt typis mandetur cenſui. Romæ Ex Conuentu S. M. S. M. 20. Aprilis. 1688.

Fr. Ioannes Martinez, in Collegio D. Thomæ de Vrbe Regens. Ord. Præd.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Steph. Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Ioſeph. Clarionus Sac. Theol. Mag. ac Reueredifs. P. Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sac. Pal. Apoſt. Mag. Soc. Ord. Præd.

AD LECTOREM.

CVM primum in Patriam ſenio penè confectus redire iuſſus ſũ, ſtatim animũ applicui, vt aliquod ex meis operibus Tibi traderem, ex quo coniectare valeas quanti valeam. Hac animi agitatione detentus, plura cogitabam, vt ſimul prodeſſem cunctis, & meorum Ciuium genio indulgerem. Tandem cenſui, nihil eſſe opportunius Romæ, quàm de illo agere, vnde cæpta aſt reuiuiſcere priſca illa Romanæ Vrbis maieſtas, quæ olim totum impleuerat orbem terrarum. Atque adeo cùm Vicaria in terris Chriſti Seruatoris poteſtas, (quæ Romæ ſtabilem fixit ſedem, non quidem caſu, ſeu humano conſilio, ſed æterno Diuinitatis oraculo, Petri ſanguine Apoſtolorum Principis confirmato,) Romanorum Cæſarum gloriam ſuperauerit, de illius origine agendum duxi. Neque calamo excidit, velut ampulloſè iactatum, dictum tam glorioſum; ſiquidem Romanorum Pontificũ

in-

interminata poteſtas, terreni imperij prætergreſſa confinia, æterni Numinis æmulans poteſtatem, nedum inferorum regnis, ſed etiam cælorum ſedibus dominatur. Vt quid enim fuiſſent illi traditæ claues regni cælorum, quibus poſſet in terris, cæliſque ſoluere, vel ligare, niſi poſſet vicario iure vtrobique dominium exercere? Audiatur Leo Papa ſer. 1. in nat. Petri, & Pauli, Iſti ſunt (*inquit*) qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis, & regia, per ſacram beati Petri ſedem, caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra, marique protuleris; minus tamen eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax chriſtiana ſubiecit. *Quia igitur tantæ poteſtatis amplitudo, ex vnico incarnanati Verbi myſterio Romæ deriuauit, ideo tractatum de Incanatione, prælatum cæteris Tibi propono, vt ex eius aſſidua lectione excitari valeas, ad gra-*

tias

tias Chriſto Domino reponendas; qui fuit vnicus author reparationis humanæ, tantumque noſtræ Patriæ contulit dignitatis. Quòd ſi aliquid in eo occurrerit minùs elaboratum, quod Romanam videatur non ſapere maieſtatem, caueas nè contemnas; ſiquidem glorioſiſſimum Deiparæ nomen, quod fronte gerit, illì pretium facit. Neque enim credidero, tibi diſplicere, quod tantæ Principi placet. Vale.

IN-

INDEX

Diſputationum, & articulorum, qui continentur in tractatu de Incarnatione.

DISPVTATIO PRIMA.

De Incarnatione vt poſſibili, & exiſtente.

AR. 1. An ſit poſſibile, Deum fieri hominem? 27.
Ar. 2. An poſſibilitas Incarnationis Dominicæ ſit naturali lumine cognoſcibilis? 32
Ar. 3. An fuerit conueniens, Deum fieri hominem? 37
Ar. 4. An poſſit probari, myſterium Incarnationis eſſe factum? 42

DIPVTATIO SECVNDA.

De Motiuo Incarnationis.

AR. 1. An Verbum diuinum fuerit incarnatum, ad redimendum hominem à peccato originali? 48
Ar. 2. Soluuntur obiecta. 59
Ar. 3. An Verbum diuinum fuiſſet incarnatum, licèt non fuiſſet Adæ peccatum? 61
Ar. 4. An ſolum peccatum originale fue-

fuerit cauſa incarnationis ? Vbi de peccato Angelorum . 68
A. 5. Soluuntur obiecta. 73

DISPVTATIO TERTIA.

De Neceſſitate Incarnationis.

AR. 1. An Incarnatio fuerit Deo neceſſaria ? 79
Ar. 2. An Incarnatio Dei fuerit homini neceſſaria ? Vbi quid paſſus fuerit per peccatum originale ? 86
Ar. 3 An potuerit homo Deo ſatisfacere, prò ſuo peccato mortali, etiam originali ? 93
Ar. 4. Soluuntur obiecta . 99
Ar. 5. An potuerit purus homo ſatisfacere pro peccato alieno , etiam originali ? 110

DISPVTATIO QVARTA.

De Satisfactione Chriſti.

AR, 1. An Chriſti merita fuerint valoris infiniti ? 119
Ar. 2. Soluuntur obiecta . 125
Ar. 3. An peccatum mortale ſit ſimpliciter infinitum ? 130.
Ar. 4. Soluuntur reliqua argumenta. 138
Ar. 5. An ſatisfactio Chriſti fuerit ad æqualitatem ? 142
Ar. 6. An Chriſtus ſatisfecerit de toto rigore iuſtitiæ ? 151

DISPVTATIO QVINTA:

De Merito Chriſti.

AR. 1. An, & quomodo Chriſtus mereri potuerit? 161
Ar. 2. Per quos actus, & quo tempore Chriſtus meruerit. 166
Ar. 3. An Chriſtus meruerit ſibi beatitudinem eſſentialem, & gratiam habitualem? 173
Ar. 4. An Chriſtus meruerit beatitudinem ſui corporis? 180
Ar. 5. An Chriſtus vt homo meruerit, vel mereri potuerit vnionem hypoſtaticam cum Verbo? 185
Ar. 6. Soluuntur obiecta ſecundæ ſententiæ. 193

DISPVTATIO SEXTA.

De Vnione Hypoſtatica.

AR. 1. *An vnio hypoſtatica ſit aliquod poſitiuum realiter ſuperadditum extremis?* 198
Ar. 2. An modus vnionis ſit ſubſtantialis, ſupernaturalis, & vnicus? 204
Ar. 3. Soluuntur fundamenta tertiæ ſententiæ, roborando doctrinam de vnitate vnionis hypoſtaticæ. 211
Ar. 4. An vnio hypoſtatica facta ſit in ſola perſona Verbi? Vbi examinantur & reijciuntur errores hęreticorũ. 219
Ar. 5. Soluuntur argumenta ſecundæ ſenten-

ten-

tentiæ, & ſtabilitur doctrina catholi ca, aduerſus hæreſes . 229
Ar. 6. An vnio hypoſtatica ſit omnium maxima? Et an per illam poſſit Verbũ diuinum dici perſona compoſita? 235
Ar. 7. An vnio hyppoſtatica trahat communicationem idiomatum Dei, & hominis ? 242
Ar. 8. Abſoluitur materia per varia quæſita . 249

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Aſſumente , & Aſſumpto .

AR. 1. An ſolus filius fuerit incarnatus ? 256
Ar. 2. An plures diuinæ perſonæ poſſint aſſumere eamdẽ naturam creatã? 262
Ar. 3. An poſſit eadẽ perſona ſimul aſſumere plures naturas eiuſdẽ ſpeciei? 269
Ar. 4. An poſſit Deus aſſumere naturam inrationalem ? 274
Ar. 5. An Verbum aſſumpſerit omnes, & ſingulas partes naturæ humanæ, etiam accidentales ? 282
Ar. 6. Soluuntur obiecta. 290
Ar. 7. An partes humanitatis fuerint aſſumptæ cum aliquo ordine? Vbi an natura diuina, circumſcriptis perſonis, potuiſſet incarnari ? 294

DISPVTATIO OCTAVA .

De Gratia Chriſti.

AR. 1. An Chriſti humanitas fuerit sãctificata per ſanctitatẽ increatã Verbi?

bi? Vbi de eius gratia habituali. 301
Ar. 2. An gratia, & ſanctitas Chriſti ſint infinitæ? 309
Ar. 3. An in Chriſto fuerint gratia actualis, & gratis datæ? 316
Ar. 4. An Chriſto collata fuerit gratia capitis, reſpectu hominum, & Angelorum? 321.

DISPVTATIO NONA.

De Scientia Chriſti.

AR. 1. An Chriſtus vt homo, intelligat per ſcientiam increatam? 331
Ar. 2. An, & quotuplex fuerit in Chriſto ſcientia creata? 337
Ar. 3. Abſoluitur materia per varia quęſita. 344

DISPVTATIO DECIMA.

De Voluntate Chriſti, eiuſque impeccabilitate, & libertate.

AR. 1. An voluntas Chriſti fuerit impeccabilis? 351
Ar. 2. Soluuntur obiecta, & roboratur doctrina. 360
Ar. 3. An impeccabilitas Chriſti potuerit componi cum eius libertate, in adimpletione diuini præcepti de moriēdo? Referuntur auctorum opiones, & refelluntur. 369
Ar. 4. Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & oſtenditur quomodo Chriſtus liberè mortuus fuerit, licèt fuerit Patri obediens. 378
Ar. 5. An Chriſtus fuerit indifferens, & liber

20
ber ad non moriendum? 386

DISPVTATIO VNDECIMA.

De filiatione, ſeruitute, & orat. Chriſti.

AR. 1. An Chriſtus vt homo, ſit filius Dei naturalis? 398
Ar. 2. Soluuntur reliqua argumenta. 406
Ar. 3. An, & quomodo Chriſtus Deum oret, & orauerit? 417
Ar. 4. An Chriſtus orando fuerit ſemper exauditus? 428

DISPVTATIO DVODECIMA,

De Chriſti Potentia.

AR. 1. An Chriſti humanitati fuerit communicata, vel ſaltem communicari potuerit omnipotentia? 435
Ar. 2. An animæ Chriſti fuerit tradita virtus patrandi miracula, producendi gratiam, & faciendi alios effectus ſupernaturales? 442

DISPVTATIO XIII.

De Prædeſtinatione Chriſti.

AR. 1. An Chriſtus fuerit prædeſtinatus, ante præuiſū Adæ peccatū? 452
Ar 2. Soluuntur argumenta petita ex rationibus. 458
Ar. 3. An Chriſtus fuerit prædeſtinatus ex præſcientia ſuorum meritorū? 465
Ar 4 An Chriſtus nobis meruerit prædeſtinationē ad gratiam, & gloriam? 467
Ar. 5. Soluuntur obiecta, & confirmatur doctrina. 473

Libri editi in lucem vſque adhùc a Mag. Fr. Petro De Comitibus Romano Ord. Er. S. Aug. Romani Collegij Regente

Philoſophici.

ORganum philoſophicum, ſeu clauis aurea ad vniuerſam philoosphiam.

Logica, ſeu Philoſophia rationalis, libri quinque.

De Phyſico auditu, libri octo, tribus tomis diſtincti.

De Ortu, & interitu, ſeu de generatione, & corruptione, libri duo.

De mundo, & Cælo, libri tres.

De Anima, libri tres.

Diſputationes metaphyſicæ theologicè exagitatæ, libri tres.

Meteora, ſeu libri meteorologicorum:

Ethica, ſeu moralis philoſophia.

Parua naturalia.

De Miſtorum temperamento.

De Miſtorum corruptibili tate.

Theologici.

De Deo vno, ſiue de diuinis perfectionibus.

De Sanctiſſima Trinitate

te, tomi duo.

De Beatitudine.

De Prædeſtinatione, & reprobatione.

De Viſione beatifica.

De Intellectu, & ſcientia Dei

De Voluntate, & actibus liberis Dei.

De Angelis.

De Virtute, & Sacramẽto pænitentiæ.

De Incarnatione Dominica.

Varij.

Poeſis ſacra, & prophana.

Vin-

Vindicationes Peripateticæ.

Rhetorica miſcellanea.

Hi ſunt libri, quos venales inuenies penès Authorem; nam alij plures, quos lectores certatim ſibi comparant, niſi rurſum reuocentur ad prælum, inueniri non poſſunt. Et ideo quia petentibus non ſuppetunt, cum alijs non recenſentur.

TRA-

TRACTATVS
DE
INCARNATIONE DOMINICA.

Authore
FR. PETRO DE COMITIBVS
Romano.

ACTVRI de Sacroſancto Incarnationis myſterio, quod fuit noſtrę ſalutis initium, priùs contra infideles, eius poſſibilitatem, conuenientiam, & exiſtentiam indagabimus. Deinde aduersùs hæreticos, ea omnia, quæ in illa interuenerunt, ſcripturis, definitionibus Eccleſiæ, auctoritate Patrũ,

& rationibus Theologicis confirmabimus. Et demum cum Catholicis controuerſias ex illa ſubortas inter Theologos, pro viribus enodabimus, quibus multa ſuperaddemus de ſanctiſſima Dei genitrice, de Chriſti Domini Prædeſtinatione, &c.

DIS-

DISPVTATIO I.

De Incarnatione, vt poſſibili, & exiſtente.

QVia myſterium incarnationis eſt omninò ſupernaturale, tranſcendens vires luminis naturalis, ideò eius poſſibilitatem poſſumus quidem rationibus poſitiuis aliqualiter ſuadere, non tamen euidenter, & demonſtratiuè probare; & ideò præciſo lumine fidei, huiuſmodi poſſibilitatem negatiuè tantùm probare conabimur, clarè oſtendendo, illud nullatenus repugnare, omniaque argumenta, quæ videntur eius impoſſibilitatem adſtruere, ſolo poſtrabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſit poſſibile, Deum fieri hominem.

VIdetur non eſſe poſſibile, vt plures ex Iudæis, cum ethnicis philoſophis aſſerebant. Primò quia ſi Deus poſſet

fieri homo, poſſet etiam fieri canis, lapis, & ferrum. Cùm enim non ſit maior diſtantia perfectionis inter Deũ, & quamcumque aliam creaturam, quàm ſit inter Deum, & hominem, ſi poſſit hæc ſuperari per vnionem hypoſtaticam, poterit etiam illa. Et ratio eſt, quia cùm vnum infinitum non ſit maius alio, vt probauimus in 3. Phyſ. & Deus infinitè diſtet à qualibet creatura, à nulla magis diſtat, quàm ab alia. Eſt autem impoſſibile, Deũ fieri canem, vel ferrum. Ergo etiam fieri hominem.

2. Si Deus fieret homo, aliter ſe haberet, ac ſe habuerit antea. Ergo mutaretur, quod eſt illi impoſſibile, vt probauimus in tr. de Deo vno. Atque adeo ex impoſſibilitate conſequentis, arguitur impoſſibilitas antecedentis.

3. Eſſe partem totius, dicit eſſentialem imperfectionem. Sed ſi Deus fieret homo, fieret eius pars, eò quia eius ſubſiſtentia increata informaret humanitatem. Ergo non poteſt fieri homo. Maior eſt euidens, quia pars, vt pars eſt eſſentialiter aliquod incompletum, & perfectibile per aliam compartem. Conſequentia patet. Minor probatur, quia aſſumendo naturam humanam, per ſuam ſubſiſtentiam increatam, ſuppleret Deus vices eius ſubſiſtentiæ creatæ, quæ illam informat, & conſtituit per modum partis. Ergo fieret eius pars informans, vt cauſa formalis.

Con-

Concluſio. *Eſt ſimpliciter poſſibile, Deum fieri hominem, non quidem mutando naturã diuinam in humanam, per phyſicam conuerſionem, ſed illam aſſumendo per vnionem hypoſtaticam.* Eſt communis, & de fide.

Prima pars patet, etiam lumine naturali. Cùm enim Deus ſit ens omninò neceſſarium, nulli ſubſtans corruptioni, non poteſt in ſe recipere qualitates corruptiuas, per quas fiat eſſentialiter alterum, ſiue aliud, præſertim cum nõ ſit poſſibile vllum agens illo validius, quod poſſit in illud agere. Ergo nullo modo poteſt amittere, vel intrinſecè alterare ſuum eſſe ſpirituale indefectibile, & inalterabile, vt accipiat eſſe hominis, eſſentialiter defectibile, & mutabile.

Probatur ſecunda, non ſolum à poſteriori, docente fide Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, ſed etiam à priori. Primò quia in hoc nulla inuoluitur, vel excogitari poteſt repugnantia. Et deinde quia argumenta ſupra facta, & quidquid afferri poteſt in contrarium, ſuppoſito lumine fidei, qua docemur modum, ineffabilem quidem, tamen conuenientem, & minimè repugnantem diuinæ incarnationis, facilè ſoluuntur, vt mox videbimus. Ergo quia Deus poteſt facere totum illud, quod nullam inuoluit contradictionem; vt fusè probauimus, in diſp met, & in 3. phyſ. ſequitur, quòd poſſit ſubſtantialiter vniri cum natura humana, adeoque fieri homo.

Ad 1. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, argumentum probare ſolùm, phyſicam poſſibilitatem vnionis hypoſtaticæ naturæ diuinæ (vt ſæpe in alijs libris conſiderauimus) non tamen moralē, eò quia videatur dedecere ſummam dignitatem, & excellentiam naturæ diuinæ, vt fiat vnum cum natura irrationali. Cæterum ſiſtendo in pura poſſibilitate phyſica, ſiue metaphyſica, non apparet ratio, cur talis vnio non poſſit fieri, niſi ex impoſſibilitate morali, velimus deducere etiam phyſicam impoſſibilitatem, vt & nos deduximus aliquando.

Ad 2. Diſtinguo antecedens, aliter ſe haberet intrinſecè, ac ſe habuerit antea, nego; aliter ſe haberet extrinſecè, concedo Et diſtinguo conſequens, mutaretur extrinſecè, concedo: intrinſecè, nego cōſequentiam. Et ratio eſt, quia ad veram mutationem intrinſecam requiritur, quòd ſubiectum mutationis recipiat, vel amittat aliquid, per cuius receptionem, vel priuationem tranſeat ad nouum eſſe, vt fusè probaui in 1. phyſ & in 1. de gener. Verbum autem diuinum aſſumendo humanitatem, nihil de nouo in ſe acquiſiuit, vel amiſit, eò quia vnio hypoſtatica non ſit in illo, ſed in natura aſſumpta (vt infra probabitur) ratione cuius non tranſijt ad priuationem alicuius prædicati ſibi intrinſeci, ſed ad puram terminationem humanæ naturæ, quæ cùm ſit aliquod creatum, & contingens, non poteſt eſſe

for-

formaliter intrinſeca ipſi Verbo.

Neque obſtat, quòd Verbum intrinſecè componat Chriſtũ Dominum. Siquidẽ non componit per modum partis, vt fusè probaui in tr. de Deo vno, d. 5. art. 2. ſed per modũ termini, perſonando intrinſecè humanitatem. Ergo non tranſijt ad nouũ ſui eſſe, ſed ad nouum eſſe humanitatis, quod eſt illi penitùs extrinſecum. Multo minùs obſtat, quòd Verbum acquirat de nouo denominationem vniti; ſiquidem non omnis noua denominatio habetur per formam nouam intrinſecam denominato, vt patet in cognito, viſo, & in ipſo Deo, qui dicitur de nouo creator, Dominus, punitor, præmiator, &c abſque vlla noua forma in ſe recepta, ſed per ſolã nouitatẽ termini, vt alibi ſæpe probaui. Ergo quia humanitas verè tranſijt de non eſſe vnitam, ad eſſe vnitam cum Verbo, per vnionem in ſe receptam, ideo etiam Verbum de nouo denominatur vnitum. Denique neque obſtat, quòd anima in homine verè mutetur, per vnionẽ cum corpore, quam non recipit, ſed terminat; nam anima eſt vera pars hominis, in quo perficiendo corpus, & ipſa perficitur à toto, quod non conuenit Verbo, vt mox clariùs patebit.

Ad 3. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, quòd ſicut diuina eſſentia, ſupplendo vices ſpeciei impreſſæ in intellectu beati, quem proinde proximè diſponit ad viſionem Dei, nõ fit eius pars

intrinſeca per informationem, vt probaui in tr. de Viſione, ita ſupplendo vices ſubſiſtentiæ creatæ, nõ ſit eius pars intrinſeca, ſed eius terminus, qui ad ſummum poteſt dici cauſa formalis extrinſeca, non quia intrinſecè non terminet naturam creatam, ſed quia illam non informat per modum actus, & potentiæ. Sicut enim non eſt vera forma informans naturæ diuinæ, cuius eſt propria ſubſiſtẽtia, quia ab illa non diſtinguitur, ita neque eſt forma informans naturæ creatæ, cuius ſubſiſtentiæ defectum ſupplet modo quodam excellentiore, excludente imperfectiones informationis, & partis.

ARTICVLVS II.

An poſſibilitas incarnationis Dominicæ ſit naturali lumine cognoſcibilis?

Videtur non eſſe, vt contendit Suarez to. 1. in 3. p. q. 1. ſect. 1. cui accedit Gonettus hic diſp. 2. ar. 2. cum pleriſqueRecentiorum. Primò quia incarnatio Verbi inuoluit cognitionem explicitã Trinitatis. Sed in diſp. met. lib. 1 diſp. 2. ar. 3. ad 3. diximus, hanc eſſe naturali lumine incognoſcibilem. Ergo, & illa.

2. Aug. ep. 3. ad Voluſian. vocat hoc myſteriũ ininueſtigabile, ex illo ad Coloſſ. 1. *Myſterium abſconditum à ſæculis*, cui con-

concinunt communiter Patres, & Concilia. Ergo neque poteſt cognoſci vt exiſtens, neque vt poſſibile.

3. Vnibilia debent proportionari; aliter non poſſunt facere vnum per ſe. Nulla autem poteſt cognoſci proportio diuinæ Perſonæ ad naturam humanam, ratione infinitæ diſtantiæ, vnde ſunt maximè improportionatæ. Ergo non poſſunt cognoſci, vt ſubſtantialiter vnibiles.

4 Quæ ſunt per ſe in ſuo eſſe completa, & in diuerſo genere, non poſſunt cognoſci vt vnibilia in vnum per ſe. Sed Deus, & homo ſunt ſubſtantiæ in ſe completæ, & in diuerſo genere. Ergo non poſſunt cognoſci, vt per ſe vnibiles in vnum per ſe.

Concluſio. *Solo lumine naturali, eſt cognoſcibilis poſſibilitas incarnationis Dominicæ, non quidem poſitiuè, ſed negatiuè; ſuppoſitis autem principijs fidei, poteſt aliquo modo etiam poſitiuè ſuaderi.* Ita Suarez hic q. 1. ſect. 1. Gibbo diſp. 1. dub. 2. Valentia diſ. 1 q. 1. p. 2. & alij.

Probatur prima pars, nullus intellectus creatus, ſeu creabilis poteſt medio naturali cognoſcere quidquid Deus poteſt facere, clarè, & diſtinctè, & ſub proprijs terminis. Ergo neque poteſt cognoſcere clarè, & diſtinctè poſſibilitatem incarnationis, quæ eſt maximum opus, quod poſſit Deus efficere ad extra, vt probat Angelicus 4. con Gen. c. 27. cum in

nullo alio ſe magis ad extra communicet. Antecedens patet. Conſequentia probatur, quia qui poteſt cognoſcere maximum ex poſſibilibus, poterit etiam alia cognoſcere, quæ faciliùs cognoſcuntur, adeòque poterit omnia cognoſcere, quod eſt impoſſibile.

Confirmatur, omne medium naturale, quod poſſit adhiberi, ad cognoſcendam rerum poſſibilitatem, eſt finitum, & limitatum. Ergo non poteſt conducere, ad cognoſcendam rerum omnium poſſibilitatem, quæ eſt ſimpliciter infinita, tàm intenſiuè, quàm extenſiuè, quatenus non ſolùm ſemper poteſt producere plura, & plura, ſed etiam perfectiora, & perfectiora, tàm ſucceſſiuè, quàm ſimul, vt probauimus in 3. phyſ.

Probatur ſecunda pars, omnia argumenta, quæ fieri poſſunt contra poſſibilitatem incarnationis Dominicæ, facillimè ſolui poſſunt, vt patebit obiectionum ſolutione. Ergo numquam poteſt poſitiuè probari eius impoſſibilitas; adeòque cùm omne non impoſſibile ſit poſſibile, vt fusè expendimus in diſp. met.; negatiuè probatur eius non repugnantia, & poſſibilitas, cum Deus poſſit facere totum illud, quod non repugnat.

Probatur tertia. Primò quia ex alijs articulis fidei, poteſt intellectus creatus gradum facere, ad indagandam poſſibilitatem incarnationis. Sicut enim docetur à fide, vnam, & eamdem diuinam naturã

eſſe

eſſe in tribus Perſonis realiter diſtinctis, ita facilè concedet, quòd poſſint plures naturæ ſubſiſtere in eadem Perſona diuina, quamuis non intelligat modum, quo fieri poſſit. Et ſicut admittit in Euchariſtia, quòd accidens remaneat extra ſubiectum, ſupplente Deo in genere cauſæ efficientis, eius defectum; ita poterit iudicare, quòd poſſit Deus facere, quòd natura humana remaneat ſine propria ſubſiſtentia, cuius defectus ſuppleatur à Deo, per modum termini intrinſeci, abſque vlla imperfectione inhærentiæ, vel perfectibilitatis. Deinde quia experientia docet, hominem conſtare duplici ſubſtantia, quarum vna eſt materialis, & altera ſpiritualis. Ergo poterit etiam fieri aliquod aliud mirabile compoſitum, quod conſtet ex naturis diuina, & humana, ſuſtentatis à ſubſiſtentia propria naturæ nobilioris, nempe diuinæ, demptis imperfectionibus potentiæ paſſiuæ, & inhærentiæ. Quamuis enim non percipiat modum, quo poſſit id fieri, hoc non refundit in obiecti repugnantiã, ſed in ſuã imbecillitatem, quæ ſicut non percipit quomodo Deus cuncta creauit ex nichilo, & tàm mirabilia fecit, quæ ſuperant ſuum captum, ita ex ignorantia modi faciendi ſupremi Conditoris, non poteſt arguere impoſſibilitatem ipſius operis.

Ad 1. Nego maiorem. Quamuis enim de facto incarnatio facta ſit in perſona Verbi, ſuppoſito myſterio Trinitatis, ta-

men præciſa fide, poſſet intellectus naturali lumine, admittere in Deo vnam ſolam Perſonam abſolutam, vt faciunt Iudæi, & ethnici, illamque iudicare eſſe aſſumptiuam naturæ humanæ. In tali enim caſu erraret quidem, admittendo ſolam perſonam abſolutam, excluſis relatiuis, non tamen erraret, admittendo poſſibilitatem diuinæ incarnationis. Immò illi, qui admittunt in Deo, præter ſubſiſtentias relatiuas, etiam abſolutam, videntur fauere huic doctrinæ. Nam ſicut non obſtante fide, de tribus ſubſiſtentijs relatiuis, putant eſſe neceſſariam etiam abſolutam; ita præciſa fide, poſſet ab ethnico illa ſola admitti, & illam dicere poſſe incarnari.

Ad 2. Nego conſequentiam. Siquidem allatum teſtimonium, & quæcumque alia afferri poſſent, exponi debent, non de incarnationis poſſibilitate, ſed de eius actuali exiſtentia, quæ ſola eſt abſcondita lumini naturali.

Ad 3. Nego minorem. Quamuis enim Perſona diuina, non habeat cum natura humana illam proportionem, quæ requiritur in miſcibilibus, in ordine ad miſtū, in quo confunduntur, vel ſaltem perficiuntur per modum actus, & potentiæ, ſeu partium perfectibilium, habet tamen ſufficientem proportionem, in ratione termini, per quam poteſt intrinſecè terminare naturam humanam, loco eius propriæ ſubſiſtentiæ, excluſis defectibus

per-

perfectibilitatis, & partis.

Ad 4 Diſtinguo maiorem, non poſſunt cognoſci vt vnibilia, retenta vltimata perfectione, per modũ termini ſubſiſtentis, in rationẽ ſuppoſiti, vel perſonæ, tranſeat: non retenta huiuſmodi vltimata perfectione, nego. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, non poſſunt cognoſci vt vnibiles, retenta huiuſmodi vltimata completione, tranſeat: non retenta, nego conſequentiam. Dixi *tranſeat*, quia nondùm ſtatuimus, an Verbum potuerit aſſumere hominem, vt in ſe ſubſiſtentem, ita vt in Chriſto eſſent duæ perſonæ, quod præſtabimus infra. Cæterùm quia de facto aſſumpſit naturam hominis, & non perſonam, ideo argumentum non concludit.

ARTICVLVS III.

An fuerit conueniens, Deum fieri hominem?

Videtur non fuiſſe. Primò quia actus iniuſtitiæ non poteſt cõuenire Deo, qui eſt eſſentialiter iuſtus Sed per aſſumptionem carnis, exercitus eſt actus ſummæ iniuſtitiæ; ſiquidem Deus obligauit ſuũ filium humanatum, qui erat innocentiſſimus, vt pateretur, & moreretur, ad ſatisfaciendum pro ſubditis reis. Ergo non fuit conueniens, Verbum incarnari.

2.

2. Deus non poteſt omittere quod ſibi conuenit. Ergo ſi illi fuiſſet conueniens incarnatio, non potuiſſet illam omittere, adeòque non liberè fuiſſet incarnatus; aliter elegiſſet, quod erat ſibi diſconueniens, nempe omiſſionem illius, quod ſibi conueniebat. Quo admiſſo, nō eſſet laudabilis per incarnationem, nec homo teneretur illi gratias agere, quæ ſunt abſurda.

3. Non eſt conueniens Domino, vt deprimatur ad ſerui conditionem. Sed incarnatio depreſſit Deum, qui eſt Dominus omnium, ad vilitatem humanæ conditionis, ita vt de illo verè dici poſſit, quòd ſit factus homo. Ergo incarnatio non fuit illi conueniens.

4. Dedecet ſummam maieſtatem, æternam, infinitam, immenſam, & impaſſibilem, fieri in tempore, finitam, limitatam, & paſſibilem, cuiuſmodi eſt homo. Ergo non illi conuenit, fieri hominem.

Concluſio, *Deum fieri hominem, fuit conuenientiſſimum, non ſolùm homini, & mūdo, ſed etiam ipſi Deo.* Eſt communis inter catholicos, cum D. Tho. 3. p. q. 1. ar. 1.

Probatur prima pars, cum Aug. trac. 80. in Io. ſuper illud, *Ego ſum vitis, vos palmites,* dicente; *Vnius quippe natura ſunt vitis, & palmites. Cum ergo eſſet Deus, cuius natura non ſumus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius, & nos homines palmites eſſe poſſemus.* Ergo fuit homo ſublimatus ad conſortium diuinæ naturæ:

turæ,quo nihil illi conuenientiùs potuit euenire.

Probatur ſecunda, quia per incarnationem Filij Dei, mirum in modum perfectus eſt mundus. Primò quia cùm homo ſit veluti ſumma, & compendium vniuerſi,exaltando hominem, totam rerum vniuerſitatem ſublimauit; ſiquidem (vt docet hic Suar q.1.ar.1 ſect.3.lit.C.) *Ex hoc myſterio, ad omnes creaturas quaedam peculiaris dignitas redundauit, quia in natura hominis omnes res creatæ quodammodo continentur, & ideo aſſumendo illam naturam, omnes creaturas quodammodo Deus ſibi ſpecialiter copulauit*. Deinde conueniens erat, vt ſicut Adam fuit creatus ſine viro,& fœmina;& Eua ex viro ſine fœmina, daretur Chriſtus ex fœmina ſine viro, vt omnes combinationes elucerent, poſito quòd omnes alij homines ex viro, & fœmina miſtis naſcerentur. 3. In Deo vna, & eadem natura eſt in tribus ſuppoſitis,& in omnibus alijs ſubſtantijs, vna natura eſt in vno ſuppoſito. Ergo conueniens fuit, vt in vno ſuppoſito copularentur plures naturæ, vt accidit in Chriſto Domino.

Probatur tertia,(in qua eſt maior difficultas) Primò quia per incarnationem elucent præcipuè Dei attributa. Siquidem elucet omnipotentia, in molitione operis omnium maximi, & perfectiſſimi, ſicut eſt Chriſtus. Elucet bonitas, ſe maximè ad extra communicando. Elucent miſe-

miſericordia,& iuſtitia,condonando quidem communem culpam,tamen exigendo ſatisfactionem perſonæ infinitæ, vnde offenſæ poneretur æqualitas. Elucet ſumma Dei ſapientia,non ſolùm in molitione tàm ſublimis compoſiti, per quod euexit naturam humanam de ſe vilem,ſupra omnes choros Angelorum; ſed etiam quia inuenit modum, quo per hominem vicit diabolum, vt ſicut ille per primum hominem, totum humanum genus vitiauerat, ita per vnum ſecundum hominem repararet. Demum elucent charitas,qua ſe Deus vnione omnium maxima,cum amato homine copulauit, & infinita maieſtas,qua oſtendit ex magnitudine pretij grauitatem offenſæ, cui numquam ſatisfieret, niſi Deus fieret in ſimilitudinem rei, indutus carne.

Ad 1. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, fuiſſe quidem Chriſtum innocentiſſimum à Patre æterno morti deſtinatum, in redemptionem hominis rei, non tamen inuitum, & coactum, ſed conſentientem, & acceptantem liberè mortem, quod nullam dicit iniuſtitiam.

Ad 2 Diſtinguo antecedens, non poteſt omittere quod ſibi conuenit ab intrinſeco,concedo, quod ſibi conuenit ab extrinſeco, nego: Et ratio eſt, quia quæ Deo conueniunt ab intrinſeco, ſunt illi neceſſaria, vel ad ſimpliciter eſſe, vt gignere filiũ, & ſpirare Spiritum ſanctum, vel ad perfectè eſſe, vt eſſe ſemper, & vbique

bique ; & ideo quia Deus eſt ens ſimpliciter neceſſarium, & eſſentialiter perfectiſſimum, non poteſt hæc amittere. Ea verò, quæ Deo conueniunt ab extrinſeco, quia ſunt illi omninò libera, & ab eius voluntate pendentia, ideò poteſt illa facere, vel omittere, ita vt ſemper ſit illi honeſtiſſima tam factio, quàm non factio. Cùm enim menſura honeſtatis ſit eius voluntas, quidquid cũ illa conformatur, *ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, eſt honeſtiſſimum*. Vnde corruit probatio antecedentis. Siquidem cùm ſit Deo æque conueniens vtraque contradictionis pars, ex ſuppoſitione quòd velit vnam, non ſequitur, quod alia ſit illi diſconueniens, niſi quatenus eſt nolita. Sicut enim per hoc quòd vna ſit volita, eſt illi conueniens, ita ſi hæc eſſet ab eo nolita, & alia volita, alia eſſet illi conueniens, & hæc diſconueniens, non quidem conuenientia, & diſconnenientia rebus intrinſeca, ſed ſolùm extrinſeca, per ordinem ſcilicet ad diuinam voluntatem. Vnde ſequitur, quòd cum Deus æquè honeſtè potuerit nolle incarnationem, in eius volitione ſit ſummè laudabilis, & nos teneamur illi pro tanto beneficio, maximas gratias agere. Ex quo corruit vltima illatio arguentis. Videâtur, quæ diximus in 3 phyſ. diſp. 2. art. 5. ad 5. nam valde proderunt ad intelligentiam huius ſolutionis.

Ad 3. Nego minorem. Nam (vt dictum eſt art. 1. ad 2.) per incarnationem

Ver-

Verbum non eſt intrinſecè immutatum, ita vt vel receperit aliquid, quod priùs non haberet, vel omiſerit quod haberet. Ergo non fuit depreſſum ad vilitatem humanæ naturæ, licèt illam exaltauerit ad conditionem diuinitatis, modo infra explicando. Neque obſtat, quòd factum ſit homo, nam hoc ſonat ſolam terminationem humanæ naturæ, vt ibid. diximus ad 3. & videbimus infra. Vnde patet reſponſio ad 4.

ARTICVLVS IV.

An poſſit probari, myſterium Incarnationis eſſe factum?

VIdetur non poſſe, vt contẽdunt Gentiles, & Iudæi. Primò quia omnia ea, quæ afferri poſſunt, ad probandã hanc catholicam veritatem, fundantur in ſacris paginis, & præcipuè noui teſtamenti. Hæ autem vel repudiantur omninò, vt à Gentilibus, vel quoad partem, vt à Iudæis. Ergo non ſufficiunt.

2. Omnia loca, quæ afferuntur ex ſacris paginis, quibus prædicebatur à Prophetis aduentus Meſſiæ, ſunt adeò obſcura, & myſterijs inuoluta, vt non poſſint clarè applicari Chriſto Domino. Et ideò facilè eluduntur à Iudæis. Ergo quidquid habemus in nouo teſtamento, vel probat ſolam Chriſti diuinitatem, vt

impiè

impiè dicebant Eutichiani, putantes in in illo humanam naturam in diuinam transfiſſe, vel ſolam humanitatem, vt blaſphemabat Apollinaris, putans naturam diuinam in carnis tranſiſſe ſubſtantiam. Ergo non probatur vnio naturarum diuinæ, & humanæ, in eadem Verbi perſona.

3. Multa ſunt loca veteris teſtamenti, quæ videntur apertè contradicere Verbi incarnationi, vt eſt illud Iſaiæ 11. vbi dicitur, quòd in aduentu Meſſiæ: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hedo accubabit, vitulus, leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer minabit eos, &c.* Sed hoc nondum eſt adimpletum. Item Meſſias debet vocari Emanuel, vt dicitur ibid. *Et vocabitur nomen eius Emanuel.* Quomodo ergo vocatus eſt Ieſus? Præterea Amos 9. dicitur *In die illo ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit.* Tantùm autem abeſt, quod fuerit excitatum, vt fuerit funditus euerſum Præterea Aggæi 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria,* videlicet templum Salomonis, vt dicit gloſſa. Hoc autem fuit potiùs ſolo proſtratum, iuxta Chriſti prophetiam, *Non relinquatur lapis ſuper lapidem, &c.* Et Iſaiæ 3. *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit.*, & multa alia, in quibus prædictum fuit, Meſſiam venturum in gloria, & maieſtate, non autem in humilitate, & abiectione. Ergo non videtur impletum hoc myſterium.

Con-

Concluſio *Quamuis admittentibus vtrumque teſtamentum, poſſit clarè probari Dominica incarnatio, tamen Gentilibus, & Iudæis poteſt ſolum, vt probabilis ſuaderi.*

Prima pars patet 1. ex ipſo ſuppoſito noui teſtamenti, quod fuit factum à Verbo incarnato, inſpirante Euangeliſtis, vt illud litteris conſignarent. Si enim Chriſtus non eſſet Deus incarnatus, tota noſtra corrueret fides. 2. Ex clariſſimis teſtimonijs eiuſdem, vt Io. 1. *Verbum caro factum eſt.* & Io. 4. Loquens Ieſus cum Samaritana de Meſſia, dixit ei, *Ego ſum, qui loquor tecum.* Et ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere*, & ſexcenta alia.

Probatur ſecunda pars de Gentilibus, quia cum Dominica Incarnatio ſit opus ad extra, fuit Deo libera. Ergo neceſſariò pendet à diuina voluntate. Hæc autem cognoſci non poteſt, niſi per reuelationem. Ergo cùm Gentiles non admittant reuelationem ſcripturarum, non poſsunt conuinci, quòd fuerit facta, præſertim cùm ex nullo naturali principio, aut effectu poſſit euidenter colligi, vt optimè aduertit Suar. hic. q. 1. diſp. 3. ſect. 2. Præterea profunditas huius myſterij, vſque adeo ſuperat humanam ſapientiam, vt illud prædicantibus Apoſtolis, fuerit tamquam ſtultitia reputatum, docente Paulo 1. ad Cor. 1. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Ergo fieri non po-

poteſt, vt poſitiuè illis tamquam factum demonſtretur, ſed ſolùm negatiuè, vt nõ repugnans, & oraculis Sybillarum, vt probabiliter factum ſuaderi poteſt. Et ideo concludit Paulus ibid. *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes:* Nempe rationibus probabilibus, quæ tot virorum ſanctimonia, & patratis miraculis confirmatæ, ſtultam faciant ſapientiam huius mundi, ſuadendo factum quod illa vt impoſſibile iudicabat.

Probatur tertia de Iudæis, cum Suar. to. 1. in 3. p. diſp 1. per totam. Primò ex illo Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentiũ.* Secundo ex c. 9. Daniel. *Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hyeruſalem, vſq; ad Chriſtum ducem hebdomadę ſeptem, & hebdomada ſexaginta duæ erunt, &c. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* 3. ex c. 2. Aggæi. *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & imp ebo domum iſtam gloria, &c.* Sed hæc omnia, cum quamplurimis alijs prophetijs, fuiſſe adimpleta in Chriſto Domino, vt Deo ſimul, & homine, luculentiſſimè probat hic auctor loco citato, & tam accuratè, vt omnes alij doctores poſteriores, qui de hoc ſcripſerunt, ab illo acceperint loca ſcripturarum, eorumque interpretationem, & adaptationem. Ergo ne, & nos alienis laboribus, & doctrinis gloriemur, huius partis probationem Suario remittimus,

cuius

cuius glorioſis lucubrationibus nihil addendum iudicamus. Sed quia & eius diſſertatio non concludit euidenter, ideo dicimus, poſſe quidem Iudæos robuſtè, & ſolidè ſuaderi, ad admittendam hanc catholicam veritatem, non tamen clarè, & euidenter conuinci.

Vnde patet reſponſio ad 1. & 2.

Ad 3. Nego antecedens. Ad locum 1. Iſaiæ dico, illum fuiſſe adimpletum ſpiritualiter, cùm per aduentum Chriſti, tot barbaræ nationes fuerint vnitæ, & ſimul aſſociatæ, vinculo eiuſdem fidei, factæ membra eiuſdem myſtici corporis, cuius caput eſt Romanus Pontifex Chriſti Vicarius. Ad alium eiuſdem dico, nomen *Emanuel* ſignificare, *nobiſcum Deus.* Cui vero magis conueniat hoc nomen, quàm Chriſto, qui per vnionem hypoſtaticam naturæ diuinæ cum humana, nō ſolùm fecit, vt Deus eſſet cum homine, ſed etiam vt homo fieret Deus, modo infra explicando. Ergo quamuis vocaretur Ieſus, eò quia eſſet Saluator mundi, quod exprimitur per tale nomen, non tamen illi diſconuenit vocari Emanuel, eo quia traxerit Deum ad hominem, modo tàm ineffabili, vt Deus factus fuerit homo. Ad 3. qui eſt Amos dico, tabernaculum Dauid, quod fuit materialiter euerſum, fuiſſe per Chriſtum ſpiritualiter ſuſcitatum, & ampliatum, per ædificationem Eccleſiæ catholicæ, in qua tamen Dauid in Chriſto regnabit in æternum, non in

vna,

vna, aut altera terræ plaga, ſed in vniuerſo orbe, vt dicitur Pſal. 71. *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine, vſque ad terminos orbis terrarum, & (quod caput eſt,)* in æternum regnabit in cælo.

Vnde patet reſponſio ad loca Aggæi, & Iſaiæ. Ad alia, quæ adduci poſſunt pro gloria, magnitudine, & dominio Meſſiæ, reſpondeo, illa eſſe intelligenda, non de primo eius aduentu, qui à Prophetis prędictus fuit *humilis*, & abiectus, ſed de ſecundo, quando Chriſtus Dominus mundum iudicaturus, veniet cum poteſtate, gloria, & maieſtate. Ergo omnia fuerunt adimpleta, quæ ſpectant ad primum eius aduentum.

DIS-

DISPVTATIO II.

De motiuo Incarnationis.

DVo hic reuocabimust in quæſtionem. Primum eſt, an Verbum diuinum fuerit primariò incarnatum, ad redimendum hominem, à captiuitate peccati originalis? Et alterum an fuiſſet incarnatum, ſi Adã non peccaſset?

ARTICVLVS I.

An Verbum diuinum fuerit primariò incarnatum, ad redimendum hominem à peccato originali?

VIdetur quod non, vt apertè propugnant Scotus in 3. d. 7. q. 3. D. Bonau. in 3. di. 1. ar 2. q. 1. Alex Alenſis. Albertus Magnus, Catharinus, & alij, quibus accedunt Suar. & Molina, cum nonnullis recentioribus, quamuis diſcrepent in modo ſaluandi, quomodo Chriſtus adhuc fuiſſet, licèt Adam non peccaſſet. Eorum pręcipua fundamenta ſunt.

1. Perfectiſſimum opus Dei, cuiuſmo-

di

di eſt incarnatio, non debet eſſe bonum occaſionatum, ſed per ſe intentum. Sin verò Chriſtus eſſet principaliter volitus, in remedium peccati, eſſet bonum occaſionatum, & ſolùm volitus occaſione peccati. Ergo eſt per ſe intentus, propter ſolam ſuam excellentiam, quamuis deinde fuerit etiam quaſi ſecundariò, ordinatus ad reparandum genushumanum.

2. Chriſtus eſt primogenitus omnium creaturarum, vt dicitur ad Coloſſ. 1. *Primogenitus omnis creaturę, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa.* Et ideo dicitur Prouerb. 8. *Deus creauit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, &c.* Quæ verba communiter exponuntur de increata Sapientia, nempè de Filio Dei, vt incarnato. Sed hæc non poſſunt eſſe vera, de prioritate ſecundùm durationem. Ergo debent exponi de prioritate ſecundùm diuinam præordinationem, & Chriſti prædeſtinationem, antecedentem non ſolùm præuiſionem peccati, ſed prædeſtinationem cuiuslibet creaturæ, Id autē, quòd eſt prędeſtinatum ante præuiſionē cuiuſlibet creaturę, non fuit prædeſtinatum, in remedium peccati vllius creaturæ. Ergo Chriſtus fuit per ſe volitus, & non in remedium peccati.

3. In ſtatu innocentiæ, matrimonium ſignificaſſet futurā coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, vt docet Auguſtinus lib. 1 de nup. & concup. c. 21. Ergo ſuppo-

nit Aug. adhuc Chriſtum venturum fuiſſe, licèt nullum fuiſſet peccatum; aliter hęc ſignificatio non fuiſſet vera.

4 Adam in ſtatu innocentiæ non fuit præſcius ſui caſus,& tamen fuit præſcius futuræ incarnationis, vt cum Magiſtro docet D.Tho.2 2. q.1,art. 7. Sed ſi incarnatio fuiſſet futura, in remedium ſui lapſus,non potuiſſet Adamo reuelari,niſi reuelaretur eius lapſus. Ergo ideo potuit, quia fuit per ſe ſtatuta, & non in remedium peccati.

5. In Trid.Seſs.6.c.7. ſub in. dicitur. *Hominis iuſtificationis cauſa ſunt finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna, efficiens verò miſericors Deus, &c.* Sicut ergo gloria Dei eſt finis noſtræ redemptionis, ita & gloria Chriſti. Sed finis eſt priùs volitus, quàm media. Ergo priùs eſt volitus Chriſtus,quàm noſtra redemptio, quæ proinde non potuit eſſe cauſa motiua incarnationis.

6. Sæpe in ſacris paginis dicitur incarnatio facta eſſe, ad oſtenſionem diuinæ bonitatis, ad perfectionem vniuerſi, exaltationem hominum, &c. Ergo vel habuit duo motiua adæquata, vt contendit Suar.in ar.3-q.1.& fusè explicat ibid. diſp 5. ſect, 4. vel habuit duo decreta, quorum vno ſtatuit incarnationem,quoad ſubſtantiam, propter eius excellentiam, abſque vllo ordinatione ad hominum redemptionem, & alio voluit illam fieri in carne paſſibili, ad redimendum hominē,

vt cum Scotiſtis idem docet ibid.

7. Si Chriſtus fuiſſet adæquatè volitus, propter mundi redemptionem, deberet gratias Adamo, quòd peccando præbuerit Deo motiuum ad ſe ſtatuendum, quem cæteroque non ſtatuiſſet; & deberet gaudere ipſo peccato, ſine quo non fuiſſet. Sed hoc eſt abſurdum Ergo vel non fuit volitus propter redemptionem, vel non propter illam tantùm.

Pro reſolutione aduertendum eſt, omnes conuenire in hoc, quòd de facto Chriſtus venerit ad reparandum genus humanum, quod perierat ob Adami peccatum; & quòd Deus potuerit ſtatuere Chriſtum, ob alium finem. Quæſtio ergo eſt, an ex vi præſentis decreti, ita fuerit ſtatuta diuini Verbi incarnatio, vt eius primarium, & principale motiuum fuerit redemptio mundi?

Concluſio. *Vnicum, & adæquatum motiuum proximum, quod Deus habuit in decernenda filij incarnatione, fuit ſola redemptio mundi.* Elicitur ex D. Tho. hic q. 1. art. 3. cum quo ſentiunt, non ſolùm eius diſcipuli, ſed etiam Vaſq. Valentia, Delugo, & quamplures alij.

Probatur, ea quæ ſpectant ad diuinam voluntatem operantem ad extra, cùm ſint illi omninò libera, non poſſunt nobis innoteſcere, niſi ab illo reuelentur. Sed omnis diuina reuelatio, quam habuimus, vel à Chriſto Dom. in Euangelijs, vel ab Apoſtolis per eius traditionem, vel à

Cõcilijs per inſpirationem Spiritus ſancti, vel à Sanctis Patribus, per priuatas mentis illuſtrationes, diuinitùs factas de hoc altiſſimo myſterio, non oſtendit aliud motiuum proximum diuinæ voluntatis, niſi redemptionẽ mundi. Ergo debemus concludere, Deum non habuiſſe aliud motiuum proximum, ad volendam abſolutè, & efficaciter ſui filij incarnationem, niſi mundi redemptionem. Maior admittitur ab omnibus vt certiſſima; ſiquidem cùm actus liberi Dei non habeāt cauſam, niſi diuinam voluntatem, quæ eſt nobis omninò inſcrutabilis, non poſſunt cadere ſub noſtram cognitionem, niſi reuelentur. Conſequentia eſt euidens. Minor, in qua ſola eſt difficultas.

Probatur 1. ex Lucæ 19. ſub in, vbi Chriſtus D. loquens cum Zacchæo, ait illi: *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Et Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam; non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* 2. Dicitur 1. ad Timoth. 1. *Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Et ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Tertio. Ex Conciſio Nicæno, in quo ſtatutum eſt, vt in ſymbolo fidei diceretur, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit*

dit de Cœlis;& incarnatus eſt, &c. Quarto. Ex Patribus, quorum vnus ſufficiat Auguſtinus, qui ſer. 9. de verbis D. ait, *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto D niſi peccatores ſaluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt medicinæ cauſa*. Aduertatur autem, hic, eſſe ſermonem de ſolo motiuo proximo; nam motiuum vltimatum, & vniuerſaliſſimũ, reſpectu omnium Dei operum ad extra, eſt eius gloria, & manifeſtatio eius potentiæ, & bonitatis, vt dicitur Prou. 16. Ergo, ex Euangelijs, Apoſtolis, Concilijs, & Patribus non habemus, niſi Verbum fuiſſe incarnatum, ad redemptionem mundi, tamquam vnicum, & adæquatum motiuum proximũ.

Quod ſi quis dixerit, apparere quidem ex locis citatis, finem, & motiuum incarnationis fuiſſe redemptionem mundi, non tamen excludi alia motiua, vel priora, vel ſaltem concomitantia. Ergo ex illis non apparet, vnicum, & principale motiuum incarnationis fuiſſe mundi redemptionem; Reſpondeo vt ſupra, motiua diuinę voluntatis in operationibus ad extra, cùm ſuperent lumen naturale noſtri intellectus, non poſſe niſi temerè aſſignari, niſi ductu diuinæ reuelationis. Cùm ergo ex reuelationibus ſcripturarum, & Eccleſiæ, non appareat aliud motiuum, dicendum eſt, illud vnicum fuiſſe, ſaltem principale. Aliter ex eo quòd in ſacra Geneſi non fiat mentio, niſi huius mundi, abſq; poſitiua excluſione aliorũ,

 non

non poſſemus deducere, hunc ſolum dari, vt docet fides.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiecta.

AD 1. Diſlinguo maiorem, perfectiſſimum opus Dei, cuiuſmodi eſt incarnatio, non poteſt eſſe eſſentialiter, & intrinſecè occaſionatum, tranſeat; accidentaliter, & extrinſecè, nego. Et diſtincta eodem modo minori, nempe quòd incarnatio non ſit intrinſecè, & eſſentialiter occaſionata, ſed ſolùm extrinſecè, ex diuina prçordinatione, nego conſequentiam. Et dico quòd ſicut Deus potuit ordinare Angelos, ad cuſtodiam hominum, ac motum cælorum, licèt ſint illis tantò perfectiores, ita potuit ordinare incarnationem ſui filij, ad redemptionem hominum, quamuis ſit illis tantò excellentior. Siquidem ex hoc non ſequitur, quòd Chriſtus ſit ſolùm bonus in ratione medij, ad talem finem, cùm ſit etiam optimus in ſe, & abſolutè amabilis à Deo, & volibilis per aliud decretum, quod nullum dicat ordinem ad mundi redemptionem, vt infra patebit. Dixi *tranſeat*, quia iuſtificatio impij eſſentialiter, connectitur cum peccato, quod delet, ex cuius tantùm occaſione eſt volibilis, quamuis ſit in ſe opus excellentiſſimum,

in

in quo maximè elucent bonitas, potentia, & ſapientia Dei. Ergo licèt concederetur, incarnationem eſſe ſolùm volibilem occaſione peccati, nullum eſſet abſurdum, ſicut dictum eſt in loco, de bono pœnitentiæ.

Ad 2. Nego conſequentiam, quæ non bene ſequitur ex præmiſſis. Ex eo enim quòd Chriſtus non poſſit dici primogenitus creaturarum, ſecundùm prioritatem durationis, non ſequitur quòd ſit ſecundùm ordinem cauſalitatis in diuina intentione, ita vt ſit prædeſtinatus vt ſit, antequam fuerit prædeſtinata exiſtentia Adæ, cum ſua poſteritate, eiuſque decreta permiſſio peccati. Dicitur ergo primogenitus, quatenus ratione vnionis hypoſtaticæ cum diuina Perſona, antecedit omnes alias creaturas, excellentia, & dignitate. Neq; obſtat quòd ex Prouerb. 11. videatur Chriſtus dici primus ordine cauſalitatis, per ly *Deus creauit me initio viarum ſuarum.* Siquidem hic locus congruentiùs explicatur de ſapientia increata, vt eſt in ſe, vel de Chriſto, vt dicit diuinam Perſonam. Ergo hinc nihil probatur.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et dico, Auguſtinum eſſe exponendũ de eo, quod actu accidit, non autem de eo quod potuiſſet abſolutè accidere, circa ſtatum coniugalem. Quia ergo Deus de facto preuidit, ſtatum innocentiæ eſſe abſoluendum Adæ peccato, ideo ſtatuit per

matrimonium in ſtatu innocentiæ, ſignificari coniunctionem futuram Chriſti cũ Eccleſia, quæ ſignificatio anteuerteret quidem Adæ peccatum, ſecundùm eſſe reale, non tamen ſecundùm eſſe intentionale, in diuina præſcientia, præſupponente decretum efficax de permiſſione talis peccati, adeòque eius abſolutam futuritionem, deſtructiuam ſtatus innocentiæ. Caterùm in ſtatu innocentiæ, non deſtruendo per Adæ peccatum, ſignificaſſet ſolùm coniunctionem Chriſti cũ Eccleſia, non vt futurã, ſed vt merè poſſibilem, quod non promouet intentum arguentis.

Ad 4. Nego minoré, quia potuit Deus reuelare ſolum effectum futuræ incarnationis, non reuelato motiuo. Sicut enim licèt ego ſtatuam ire Romam, ad inuitandum amicum, poſſum alteri reuelare futuritionem talis itineris, non reuelato motiuo; ita potuit Deus reuelare Adę faciendam à ſe ſui filij incarnationem, nõ reuelando, quòd eam eſſet facturus, in remedium eius caſus.

Ad 5. Diſtinguo minorem ſubſumptam, finis, *cui* eſt priùs volitus quàm media, concedo: finis, *qui*, ſeu *cuius gratia*, & ſubdiſtinguo, in eodem ordine, concedo; in diuerſo, nego antecedens, & diſtinguo conſequens, priùs eſt volitus Chriſtus, quàm noſtra redemptio, in ratione finis, *cui*, nego; in ratione finis, *qui*, & ſubdiſtinguo, in primo ordine, nego: in ſecun-

ſecundo ordine, concedo cõſequentiam. Et ratio eſt, quia inter omnia bona, quæ Deus voluit propter hominem, quæ habent rationem finis *qui*, Chriſtus obtinet primum locum, ordine dignitatis, & excellentiæ, & ideo eſt omniũ primus in tali ordine, adeòque à Deo priùs intentus. Quia tamen hæc omnia cadunt in vtilitatem ſolius hominis, adeòque etiam ipſius Chriſti, vt homo eſt, ideo homo habet rationem *finis cui*, & eſt priùs à Deo intentus, quàm omnia alia in tali ordine. Neque videatur abſurdum, quòd *Chriſtus* ordinetur ad hominis redimendi vtilitatem. Siquidem hæc ordinatio eſt illi extrinſeca à diuina voluntate, in qua quia Chriſtus vt homo, percipit maiorem vtilitatem, quàm omnes alij homines, non quidem ratione redemptionis, cuius non indigebat, ſed ratione exaltationis ad filiationem naturalem Dei, ideo non fuit à Deo minùs dilectus, quàm alij homines, cùm hæc ipſa eius ordinatio ad mundi redemptionẽ, eſſet in eius maius bonum, iuxta illud, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Dices, gloria Chriſti, per Trid. eſt finis noſtræ iuſtificationis, ſicut gloria Dei. Sed hæc eſt ſimpliciter finis, & in omni ordine. Ergo & illa.

Nego conſequentiam. Quamuis enim Tridentinum afferat copulatiuè, per particulam, &, gloriam Chriſti, & Dei eſſe

finem noſtræ iuſtificationis, non tamen aſſerit, eſſe eodem modo. Siquidem gloria Dei, eſt ſimpliciter finis *qui* vltimus, in omni ordine finium, quod non conuenit gloriæ Chriſti. Ad cuius euidentiã dico, Chriſtum dupliciter poſſe conſiderari, nempe vt faciendum, & vt glorificandum; & ſimiliter hominem poſſe conſiderari, vt redimendum, ſeu iuſtificandũ, & vt redemptum, ſeu actu iuſtificatum. Sub priori conſideratione, quia non eſt volita redemptio hominis, vt fiat Chriſtus, ſed potiùs eſt volitus Chriſtus, vt fiat redemptio hominis; & ſub poſteriori, non exaltatur Chriſtus, vt homo iuſtificetur, ſed homo iuſtificatur, vt exaltetur Chriſtus, qui dedit illi poſſe iuſtificari, ideo quia Chriſtus vt faciendus, ordinatur ad hominem vt redimendum, habet reſpectu illius rationem finis *qui*, & homo vt redimendus rationem finis *cui*. Et ex aduerſo quia homo vt iuſtificatus, ordinatur ad Chriſtum glorificandum, & non econtra, Chriſtus vt glorificandus, habet rationem finis *cui*, & homo iuſtificatus rationem finis *qui*. Sed hoc non poſſet eſſe, niſi darentur duo ordines finium, quorum primus terminetur ad hominis redemptionem, & ſufficientiam iuſtificationis, & alter ad Chriſti glorificationem. Ergo datur vterque; cum ſubordinatione vnius ad alium, & vtriuſque ad gloriam Dei, tamquã ad finem ſimpliciter vltimum in omni ordine.

Vnde

Vnde ſequitur, redemptionem eſſe finem *cuius gratia*, incarnationis, & gloriã Chriſti redemptoris eſſe finem *cuius gratia*, non quidem incarnationis,ſed noſtrę iuſtificationis, quæ eſt effectus incarnationis, adeoque ſubſequitur decretum de incarnatione Verbi.

Vrgebis,priùs Deus voluit ſuam gloriam, quàm media. Sed magis conducit ad illam, vt illi propinquior incarnatio, quàm redemptio. Ergo priùs voluit incarnationem, quàm redemptionem; aliter non ordinatè voluiſſet.

Nego minorem. Quamuis enim incarnatio ſit in ſe excellentior,non tamen magis conducit ad finem gloriæ Dei, tamquam medium illi vtilius, & propinquiùs.Siquidem cùm Deus ſtatuerit, velle ſuam gloriam, oſtendendo ſuam miſericordiã in lapſos,modo ſibi congruentiſſimo, ita vt peccatum non deleretur, niſi pro illo plenè ſatisfieret, magis conducebat ad hunc finem redemptio,quàm incarnatio, vt per ſe patet.

Ad 6. Nego conſequentiam. Et dico, oſtenſionem diuinæ bonitatis, perfectionem vniuerſi, hominum exaltationem, & quæcumque alia bona, quæ poſſunt aſſignari ex ſacris paginis, quæ prouenerunt ex incarnatione, conuerti cum mundi redemptione, vel ad illam reduci. Ergo fuerunt volita in eius volitione, nec per ſe ſola mouiſſent Deum,ad volendam incarnationem, ſed adſummum ſe habue-

runt vt motiua partialia, quorum præcipuum fuit redemptio mundi, ſine quo Deum non mouiſſent. Contra verò ita mouit redemptio mundi cum alijs, vt ipſa ſola mouiſſet. Ergo ratio mouendi ad præſens incarnationis decretum, fuit ſola redemptio, tamquam motiuum primariũ, & neceſſariũ, cum reliqua omnia adſummum fuerint cauſæ impulſiuæ, vt loquitur Vaſquez, vel motiua ſecundaria.

Ad 7. Nego maiorem. Cùm enim Deus potuiſſet non prouidere homini lapſo, ad quod nullatenus tenebatur, fuit opus eius ſummæ miſericordiæ, quod in eius remedium prouiderit redemptorem. Ergo Redemptor non tenetur Adamo, qui ſolùm prębuit cauſam materialẽ, ſed Deo, qui ex malo elicuit bonum, & infirmitati præbuit pharmacum ſalutare. Neque obſtat, quòd nõ fuiſſet ſtatutus Chriſtus, niſi ex occaſione peccati. Siquidem hoc eſt verum, ex vi præſentis decreti, non autem abſolutè, cùm Deus potuerit Chriſtum velle, ex vi alterius decreti, & ex alio motiuo. An autem de facto fuiſſet voliturus, examinabitur ar. ſequenti.

* * *

AR-

ARTICVLVS III.

An Verbum diuinum fuiſſe incarnatũ, licèt non fuiſſet Adæ peccatum?

VIdetur quòd non, Primò quia ſuppoſito quòd venerit ſolùm,ad redimendum hominem, ceſſante hoc motiuo, non veniſſet. Cùm ergo neceſſitas redẽptionis, ortum traxerit ex Adę peccato, illo non peccante, non fuiſſet; adeòque Redemptor vt omninò ſuperfluus, non veniſſet,vt apertè docent Irenæus lib. 3. c. 20. *Si non haberet caro ſaluari, nequaquã Verbum Dei caro factum eſſet.* Nazianz. or. 36. *Humanitatis ſuſcepta cauſa, noſtra eſt; quid enim aliud cauſa eſſe potuiſſet?* Et Leo Papa ſer. 3. Pentec. *Si homo in natura ſuæ perfectione, & honore, in quo creatus eſt, permanſiſſet, Creator hominum creatura non fieret.* Et Aug. ſer. 8. de verbis Apoſtoli. *Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet*; & idem ſer. 19. *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto D. niſi peccatores ſaluos facere.* Ambroſ. lib de incarn. c. 6. *Quæ erat cauſa incarnationis, niſi vt caro, quæ peccauerat, redimeretur?* Et Bernard. ſer. 1. in vig. nat. *Quare filius Dei factus eſt homo, niſi vt homines faceret filios Dei?*

2. Si Deus, etiam Adamo non peccante, voluiſſet incarnationem, illam de facto voluit, non ſolùm ex motiuo redem-

demptionis, ſed etiam ob eius excellentiam.. Ergo illā voluit, propter duo motiua adæquata, vt contendit Suar. Sed hoc repugnat dictis vſque adhuc; neque enim eſſet verum, quòd illam ſolùm voluit ex motiuo redemptionis, ſi illā adhùc fuiſſet voliturus ex alio motiuo. Ergo hoc non eſt verum.

3. Deus de facto nullum habuit decretum de incarnatione, independens à prævisione peccati. Ergo quia non potuit fieri, niſi ex diuino decreto, non poſita prævisione peccati, nô fuiſſet, eò quia nullum fuiſſet decretum de eius poſitione. Conſequentia probatur à noſtro Gibbone, acerrimè cōtradicente. Primò quia, ſi extaret hoc decretum, Deus vellet incarnationem, quamuis nollet mundum, adeòque crearet vnicum hominem, eum quo filius vniretur, nullo alio ente creato, quod putat abſurdum. Deinde quia ſi vellet Deus aſſumptionem naturæ humanæ, ob excellentiam vnionis hypoſtaticæ cum natura creata, multò congruentiùs foret, quòd vellet aſsumptionem naturę angelicæ, quę magis accedit ad aſſumentis perfectionem. Ergo quia hanc non aſſumpſiſſet, neque humanam.

4 Deus nullum permittit malum, niſi ex illo eliciat maius bonum. Ergo ideo permiſit peccatum Adæ, quia volebat ex illo elicere maius bonum, quod aliud non potuit eſſe, quàm incarnatio filij, ad eius redemptionem, quæ proinde non e-

rat

rat amabilis, niſi ex occaſione peccati, vt idem infert ibidem.

5. Si Chriſtus adhuc veniſſet, non exſtente peccato, non eſſent verę aſſertiones ſcripturarum, & Patrum, quòd ille venerit in remedium peccati, vt contendit Gonettus; ſicut non eſſet verum, quòd Rex Hiſpaniæ miſerit filium ad tuendum Pontificem è rebellibus, ſi adhuc illis non exiſtentibus, miſiſſet in Italiam, ad gubernandum regnum Neapolitanum, quamuis parato ad iter iuſſerit etiam defenſionem Pontificis. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo peccato non exiſtẽte, nullatenus veniſſet.

Concluſio. *Probabiliſſimum puto, Chriſtum adhuc fuiſſe venturum, quamuis Adam non peccaſſet, etiam in carne paſſibili, non tamen vt pateretur, & moreretur in Cruce.*

Probatur 1. cum Maſtrio hic diſp. 4. q. 1. n. 44. Cum Deus in omnibus ſuis operationibus ad extra, habeat pro fine ſimpliciter vltimo, ſuam gloriam, & manifeſtationem ſuarum perfectionum attributalium; & cùm inter omnes creaturas, à nulla poſſet digniùs, & congruentiùs laudari, quam à Chriſto; & demum cùm in nullius puræ creaturæ, immò neque in complexi omnium purarum creaturarum molitione, magis oſtenderet ſuã bonitatem, potentiam, & liberalitatem, quàm in aſſumptione naturæ humanæ, ad vnionẽ hypoſtaticam ſui filij, probabiliſſimum puto, quòd etiam permanente pri-

mo

mo homine, cum tota ſua poſteritate, in ſtatu innocentiæ, adhùc miſiſſet in mundum filium ſuum, vt carnem aſſumendo, fieret homo, non quidem ex vi præſentis decreti, ſed alteriùs, quod habuiſſet in tali hypotheſi, per quod recedimus à Scoto, Suario, & alijs, cùm ille dicat, quòd Chriſtus adhùc veniſſet ex vi præſentis decreti, habentis pro motiuo primario, myſterij excellentiam, & redemptionem pro ſecundario: & alij quòd adhùc veniſſet ex vi præſentis decreti, habentis vtrumque pro duplici motiuo adæquato.

Dices, multò magis Deus promouiſſet hos fines, aſſumendo naturam angelicam. Ergo vel hęc ratio nihil probat, vel nimis.

Nego antecedens. Quamuis enim angelus ſit ex ſe perfectior homine, adeòq; ex parte naturæ aſſumptæ, fieret compoſitum perfectius ex illo, & Deo, quàm ſit ex Deo, & homine; tamen quia perfectio huius compoſiti, attenditur ex parte perſonę aſſumentis, quæ cùm ſit infinita, æqualiter diſtat à natura humana, & angelica, aſſumendo naturam angelicam, ſicut non faceret perſonam perfectiorem, ita nec faceret compoſitum perfectius, niſi materialiter, quod proinde non magis conduceret ad tales fines. Probatur aſſumptum, primò quia Deus non laudatur à natura, vt eſt talis in ſe, ſed vt eſt perſonata. Ergo cum eadem perſona eſſet in vtraque natura, æqualiter ab vtro-

que

que laudaretur. Deinde bonitas, & potentia Dei,eò magis elucent, quò pluribus communicatur. Sed aſſumendo carnem, diuina perſona pluribus communicatur, nempe naturæ corporeæ, & incorporeæ, quàm aſſumendo naturam angelicam,adęquatè ſpiritualem. Ergo tantum abeſt, quòd magis promoueret hunc finẽ, ſi fieret angelus, vt minùs illum promoueret, Demum quia in tali caſu,in quo non veniſſet Deus, vt redemptor, veniſſet vt inſtructor,& legislator. Ergo quia magis indigent homines, quàm angeli, à Deo inſtrui, & legibus communiri, congruentius fuiſſet,quod fieret homo,& nõ angelus, præſertim cùm in aſſumptione vilioris, & fragilioris naturæ, magis appareat benignitas,& liberalitas aſſumentis.

Probatur 2. Hoc modo conciliantur Scripturæ, & Patres. Siquidem cum dicunt, Chriſtum veniſſe ad mundi redemptionem, debent exponi de præſenti decreto,ex ſuppoſitione peccati; & quando dicunt, vnionem hypoſtaticam eſſe perfectiſſimum opus Dei, ſummis laudibus exaltantes excellentiam huius myſterij, debent exponi de ſumma dilectione, qua Deus Chriſtũ proſequitur, ratione cuius ita de facto illum voluit redemptorem; vt in caſu innocentiæ, illum voluiſſet, vt inſtructorem, & legislatorem, & etiam glorificatorem.

3. Deus non minùs diligit iuſtos,quã pec-

peccatores. Ergo ſi pro hominibus impijs præparauit, ſtatum vnionis hypoſtaticæ, per quem natura humana exaltatur ad filiationem naturalem Dei, quantò magis illum præparaſſet pro ijſdem, ſi permanſiſſent in innocentia, & iuſtitia originali, in qua conditi ſunt? Aliter fuiſſent homines apud Deum, melioris conditionis per peccatum, quàm fuiſſent per innocentiam, quod eſt abſurdum. Siquidem pro impijs præparaſſet dona gratiæ, gloriæ, & vnionis hypoſtaticæ, pro innocentibus autem ſola dona gratiæ, & gloriæ, negato tertio vnionis hypoſtaticæ, quod videtur vt abſonum reijci ab Apoſtolo, dum ad Rom. 5. ait. *Si enim cũ inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filij eius, multò magis iam reconciliati, ſalui erimus in uita ipſius*. Quamuis enim ibi loquatur Apoſtolus de iuſtificatis ex culpa, tamen multò magis debet intelligi de innocentibus, qui cum numquam culpam admiſerint, ab illa mundari non indigent.

Vnde patet ſolutio primi. Siquidem auctoritates allatæ debent exponi de incarnatione, vt volita de facto, ex vi præſentis decreti, quod aliud motiuum non habuit, niſi mundi redemptionẽ, ex peccato patrato. Ergo nihil valent aduersùs incarnationem, vt volendam per aliud decretum, quod Deus non habuit, ſed habuiſſet, independenter à prauiſione peccati.

Ad

Ad 2. Nego antecedens, quia illud decretum de facto non fuit, ſed fuiſſet. Ergo non potuit influere ad incarnationem.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ non bene deducit, quòd nullum fuiſſet decretum de incarnatione, ob excellentiam mysterij, alioſque fines aſſignatos, independentes à redemptione, ex eo, quia de facto non fuerit, cũ multa potuerit Deus velle, quæ de facto non voluit. Ad eius primam probationem, nego ſequelam. Cùm enim Deus in ea *hypotheſi* vellet incarnationem, non ſolùm ob eius excellentiam, ſed etiam vt mundum perficeret, ordine vnionis hypoſtaticæ, non potuit illam velle, nolito mundo Prętèrea quia vellet Chriſtum, ab alijs glorificari, vt caput hominum, & angelorum, non potuit aſſequi hunc finem, illis nolitis. Demum non video quid abſurdi ſequeretur, ſi Deus vellet vnicum humanę naturę indiuiduum, in quo compleret hoc myſterium, cæteris nolitis, cum in tali hypotheſi potuiſſet habere alios fines nobis incognitos. Ad 2. reſpondimus in obiectione ad primam probationem concluſionis, & plura dicemus inferiùs.

Ad 4. Nego poſtremam conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando incarnatio non eſſet per ſe amabilis, ſed ſolùm vt medium ad mundi redemptionem, quod eſt falſum.

Ad 5. Nego maiorem, quia de facto nullum aliud fuit motiuum incarnatio-

nis,

nis,& ideo ſunt veræ locutiones Patrum.

ARTICVLVS IV.

An ſolum peccatum originale fuerit cauſa Incarnationis? Vbi de peccato Angelorum.

VIdetur non fuiſſe, vt contendunt Valentia, Medina, Granadus, & alij. Primò quia Luc. 15. & Matth. 18 ſub parabola ouis errantis, ad cuius recuperationem paſtor, omiſſis alijs feſtinus accurrit, oſtendit Chriſtus ſuum amorem in homines, ratione cuius, ſi fuiſſet opus, pro vno ſolo peccante, reliquiſſet angelos, vt fieret homo, ad eius redemptionē. Ergo ex oraculo veritatis, adhùc Chriſtus veniſſet, licèt fuiſſet vnius tantùm actuale peccatum.

2. Chriſtus de facto venit, ad delendum omne peccatum, vt dicitur 1. Io. c. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Ergo licèt fuiſſent ſola actualia, adhùc veniſſet, quia adhùc eſſent delenda peccata.

3. Chryſoſt. hom. 3. in acta Apoſt ait. *Vnius animę ſalus tanti eſt, ut ob hanc filius Dei fieret homo*. Ergo ſi vnus tantùm homo peccaſſet, adhùc Chriſtus veniſſet.

4. Chriſtus fuit prçordinatus à Deo, vt redimeret hominem *in ſanguine ſuo*, vt dici-

dicitur ad Rom 3. Sed hæc præordinatio non potuit fieri, niſi ex præuiſione peccati Hebræorum, qui Chriſto necem ſunt machinati. Ergo non potuit præordinari ad deletionem originalis tantùm; aliter non veniſſet, ad reconciliandum hominem Deo, quia adhùc deleto originali, remanſiſſet inimicus pro actualibus.

5. Quamuis Adam non peccaſſet, potuiſſet ſola Eua peccare, ſicut de facto fuit prior in peccando. Sed pro tali peccato, non potuiſſet ipſa ſatisfacere Ergo adhùc fuiſſet neceſſaria Verbi incarnatio. Præterea potuiſſent omnes, vel ſaltem, plerique ex eius filijs peccare, licèt parentes non peccaſſent. Ergo multò magis fuiſſet neceſſaria incarnatio, ad hoc, vt, Deo ſatisfieret; adeòque adhùc Chriſtus veniſſet.

6. Peccatum actuale eſt grauius originali, eò quia illi debeatur duplex pœna, nempe ſenſus, & damni, & huic ſola pœna damni. Cùm ergo Chriſtus venerit aduersùs omne peccatum, principaliùs venit aduersùs actuale; adeòque illo ſolo poſito, adhùc veniſſet.

Concluſio. *Quamuis de facto Chriſtus venerit, ad delendum omne peccatum, quod erat in mundo; non tamen uenit ad delendum peccatum angelorum, ſed primò, & per ſe ad delendum originale hominum, & ſecundario, ad delenda etiam actualia.*

Prima pars patet ex illo 1. Io. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mun-*

mundi. Et probatur ratione, quia cùm merita Chriſti fuerint infiniti valoris (vt videbimus) fuerunt ſufficientia, ad redimendos infinitos mundos, à qualibet captiuitate peccati. Ergo multò magis ad redimendum vnum.

Probatur ſecunda. Peccatum Luciferi non fuit propagatum, & transfuſum in totam naturam angelicam; & ideo non omnes cum illo peccauerunt, ſed ſolùm illi, qui liberè eius prauitati adhęrere voluerunt. Quia ergo ex ſola propria malitia, à iuſtitia, in qua conditi ſunt, defecerunt, ideo indulgentiam non meruerunt, vt dicitur 2. Pet. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit*. Homines autem quia habuerunt voluntates alligatas cum voluntate Adæ, eius peccatum omnes neceſſitate naturali contraxerunt, vnde tota humana natura fuit infecta, ita vt nullus fuiſſet aſſecutus finem ſupernaturalis beatitudinis, ad quem fuerant à Deo miſericorditer ſublimati, niſi Chriſtus eorum ruinam reparaſſet. Ergo poſito quòd Deus nollet homini parcere, niſi plenè pro peccato ſatisfaceret, fuit omninò neceſſarium, vt Deus fieret homo, vt quod purus homo non poterat, poſſet homo Deus. Noluit tamen, vt ſicut homo neceſsariò contrahit per viam ſeminariam peccati morbum, ita per incarnationem neceſsariò reciperet ſanitatem, ſed iuſtiſſimè ſtatuit, vt illi tantummodò ſanarentur, qui liberè per Ieſu Chriſti gratiam,

re-

remedium ſibi pręparatum applicarent.

Deinde, vel Chriſtus veniſſet pro Angelis iuſtis, vel pro prauis? Non primum, quia cum non contraxerint morbum, non indigent medicina. Neque ſecundum, quia quamuis pręparaſſet remedium, liberè ſibi applicabile ab ęgrotis, numquam fuiſſet applicatum, non ſolum propter moralem eorum inflexibilitatem, ſed etiam propter odium, quo Chriſtum proſequuntur, quo mediante, nollent ſanari, nè cogerentur illi ſubijci vt Redemptori, quem vt principem reſpuerunt. Ergo ſi Chriſtus factus fuiſſet Angelus, nulli profuiſſet, adeòque fuiſſet fruſtraneus eius aduentus vt redemptoris. Sed neque profuiſſet vt glorificatoris, quia cum angeli per traducem non propagentur, fuerunt omnes ſimul creati, initio mundi, vt probauimus in tr. de angelis diſp. 4. ar. 1. Ergo vel Chriſtus veniſſet, dum erant in via; vel poſtea? Non primum, quia cum illis non rependatur pręmium, niſi vt meritis correſpondens, non potuiſſet illis taxari menſura gloriæ, quę complectitur totam viam. Neque ſecundum, quia abſoluta via, poſiti ſunt in termino, in quo non poſſunt augere ſubſtantialiter ſuum præmium. Ergo nullo modo profuiſſet.

Probatur tertia, diximus in 1. ar. vnicum, & principale motiuum incarnationis, fuiſſe mundi redemptionem Ergo cum primaria, & potiſſima cauſa talis

re-

quia venit, ad reconciliandum Deo primum hominem, cum tota eius poſteritate, in illo, & per illum peccante, debuit deſtinari, ad tollendas omnes cauſas inimicitię, cuiuſmodi ſunt etiam actualia peccata, quę connectuntur cum originali. Vnde ſequitur, quòd ſi ſola Eua peccaſſet, vel non peccante Adamo, peccaſſent alij homines ab illo naſcituri, Chriſtus non veniſſet, vt docet Vaſq. hic diſp. 13. c. 1. n. 13. E ratio eſt, primò quia ex vi præſentis decreti, Chriſtus primariò venit, aduerſus originale. Ergo illo non exiſtente, defuiſſet eius aduentus principale motiuum. Deinde quia Deus miſit ſuum filium, ad redimendum hominem à captiuitate Dęmonis, quam contraxerat, non autem ab illa, quam contraxiſſet in alio rerum ordine. Ergo illum non miſit, niſi aduersùs originale iam patratum, eiuſque fructus pernicioſos actu deriuantes in poſteros.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiecta.

AD 1. Nego conſequentiam. Quamuis enim Chriſtus, ob amorem quo homines proſequebatur, eſſet de ſe paratus pro omnibus, & ſingulis mori, ſi eſſet opus; quia tamen erat omninò vniformis diuinæ voluntati, à cuius nutu

pendebat in operando, ideò cùm Deus ſtatuerit, vt pro ſolo originali, alijſque ab illo deriuantibus moreretur, pro aliis cū illo non connexis, non fuiſſet de facto moriturus, immò ad eorum remedium, etiam citra mortem præparandum, non veniſſet, ex vi præſentis decreti, vt probauimus vſque adhùc. Quare illa parabola de oue errante, debet exponi de amore Chriſti erga homines, quo adactus pro ſingulis moreretur, ſi Deus vellet. Et hoc modo debent etiam exponi variæ ſanctorum viſiones, in quibus Chriſtus expreſſit interdum, ſe eſſe paratum iterum crucifigi, pro ſalute etiam vnius in particulari.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et dico locum Io. & plura alia, quæ poſſūt afferri è ſacris paginis, eſſe exponenda de eo, quod accidit de facto, non autem quod accidiſſet, ſi Adam non peccaſſet. Ergo quia de facto omnia peccata actualia connectuntur cum originali, ideo ſpectant ad obiectum propitiationis Chriſti, quod non eſſet, ſi Adam non peccaſſet.

Ad 3. Patet reſponſio ex modò dictis. Siquidem amor Chriſti erga ſingulos homines, non illum impelleret, ex vi præſentis decreti, ad ſubeundam mortem, pro vnius ſalute, ſi hæc non eſſet connexa cum ſalute omnium, in Adam præuaricantium.

Ad 4. Concedo totum, quod non facit contra aſſertam doctrinam; in qua ſtatuimus

mus quidem, Chriſtum primariò veniſſe aduersùs originale peccatum, non tamen diximus, non veniſſe etiam aduersùs actualia, ab illo deriuantia, quæ diximus fuiſſe eius aduentus motiuum ſecundarium, quatenùs videlicèt etiam ſi non fuiſſent, adhùc Chriſtus veniſſet, ſi tamen fuiſſent, etiam illa cum originali deleta fuiſſent, per Chriſti mortem.

Ad 5. Nego poſtremam conſequentiã, cùm non bene ſequatur incarnationis futuritio, ex eius neceſſitate, ſicut non ſequitur ex neceſſitate miraculi, ad euadendum naufragium, quòd illud ſit ſecuturum. Et ratio eſt, quia multa poſſet Deus facere per miraculum, quæ prodeſſent ad multorum ſalutem, ſine quibus hæc non eſt aſſequibilis, ſaltem in talibus circumſtantijs, quæ Deus, vt eorum dominus, non vult facere, vt illis omninò indebita, licèt ſimpliciter neceſſaria hic, & nunc. E.g. aliquis conſtitutus in peccato mortali, ſi ab aliquo agente extrinſecùs impellente, violenter ita trahatur ad mortem, vt mentis inops factus, ſecundum curſum cauſarum naturalium, ſuæ ſaluti conſulere nequeat, niſi ad rationis vſum reducatur, & impedita violentia, eius vita protrahatur, vtique eſt illi ſimpliciter neceſſarium adiutorium ſupernaturale, vel ſaltem ſupernaturaliter conferendũ, ſine quo ineuitabiliter damnatur; non tamen tenetur Deus taliter illi in tanto periculo conſtituto damnationis æternæ

 ſup-

ſuppetias ferre, & plerumque non fert. Ergo quamuis Euæ ſoli peccanti (& idem dico de filijs, ſi patre non peccante, peccaſſent) redderetur neceſsaria incarnatio filij Dei, vt Deo pro peccato ſatisfieret, non tamen ſequitur, quòd illa fieret, ſaltem ex vi præſentis decreti, ratione cuius, & in hoc rerum ordine, ſi ſola Eua peccaſſet, fuiſſet ſine remedio redemptionis, adeòque ineuitabiliter perijſset, vt accidit angelis, niſi Deus alia via miſericorditer ſubuenişset: Et idem dico, ſi aliqui ex eius filijs, ſine patre peccaſsent. Vnde profuit illis Adæ peccatum, de quo canit Eccleſia. *O felix culpa, quę talem, ac tantum meruit Redemptorem: ò verè neceſſarium Adæ peccatum.*

Neque obſtat, quòd ar-3. dixerimus, quòd licèt Adam non peccaſset, adhùc Chriſtus veniſset, nam hoc diximus, non relatè ad præſens decretum de dominica incarnatione, ſed in ordine ad aliud, quod Deus habere potuiſset, ratione cuius, potuiſset etiam ſtatuere Chriſtum illorum redemptorem, & omnium glorificatorem. Niſi velimus cum multis aſserere, quòd ſi Adam non peccaſset, nullus filius peccaſset, adeòque non fuiſset neceſſarius Chriſtus vt redemptor, ſed vt legislator, Doctor, & glorificator, & in tali hypotheſi præuiſionis innocentiæ Adæ, cum omnibus poſteris, neque permiſiſset Euæ peccatum. Et ad hoc ſaluandū,

talis

talis potuit eſse ordo diuinorum actuum. In primo ſigno decreuit efficaciter,& abſolutè condere mundum, in eoque Adã, vt eſset caput phyſicum omnium hominum,& dare illi libertatem, & auxilia ſufficientia , vt poſset bene, vel malè operari . In ſecundo ſigno decreuit dare illi ſanctitatem, in poſteros etiam transfundendam,ſtatuendo illum,vt eorum caput morale, ſub ea conditione, vt ſi in iuſtitia originali permaneret, ipſe cum tota poſteritate aſsequeretur vitam æternam; ſin verò præuaricaretur, ipſe cum tota poſteritate periret, cui loco iuſtitiæ, transfunderet culpam originalem. Vidit deinde in tertio ſigno , quòd ipſe Adam obediens,foret, & ſeruaret innocentiam, & decreuit nullum permittere peccatum, & quòd ex illo non naſcerentur, niſi qui iuſtitiam ab illo deriuantes, ad finem vſque ſeruarent ; & proinde decreuit dare illi vxorem , quæ vel non tentaretur ad præuaricandum , vel tentationi reſiſteret ad victoriam , & virum extimularet ad ſeruandam innocentiam . In quarto vidit, quòd Adam cum tali vxore, & filijs ad finem vſque ſeruarent innocentiam , ſi Verbum aſsumeret carnem, à quo illi inſtruerentur , & exemplo confirmarentur , in obedientia diuinorum mandatorum , & decreuit mittere ſuum filium, in carne omogenea cum alijs , & dare Adamo talem vxorem . Demum vidit , quòd Adam cum vxore, & filijs, per Verbum

incarnatum, eſsent abſolutè innocentiam ſeruaturi,& omnes cum Chriſto efficaci, & abſoluto decreto prædeſtinauit ad vitam æternam. Hæc potuit eſse ſeries diuinorum decretorum, ſi Adam non peccaſset.

Ad 6. Diſtinguo antecedens, actuale eſt grauius originali, ſecundùm grauitatem intenſiuam, concedo,eò quia habeat plus de voluntarietate; ſecundùm extenſiuam,nego, cùm actuale,vt proprium ſingularis perſonæ, ſiſtat in illa,& non tranſeat ad alios; originale autem cùm ſit ipſius humanæ naturæ, quæ tota in Adam virtualiter continebatur, non ſolùm infecit ipſum Adam peccantem, reſpectu cuius fuit actuale, ſed totam ſpeciem ab illo deriuantem, ita vt omnes filij ab illo naſcituri, in illo peccauerint, vt videbimus in tr.de pec. orig. & ideo reſpectu illorum dicitur originale,quatenus contrahitur, non per aliquam propriam liberam actionem, ſed per originem à ſemine infecto primi parentis. Ergo quia originale fuit nocentius, & origo omniū aliorum, non potuit Deus velle incarnationem ſui filij, in remedium hominum, niſi primariò intenderet,extinguere vim nociuam peccati originalis; eo modo quo peritus medicus,non poteſt prudenter intendere ſalutem ægroti, niſi primariò intendat tollere cauſam morbi.

DIS-

DISPVTATIO III.

De neceſſitate Dominicæ incarnationis.

DVpliciter poteſt conſiderari neceſſitas incarnationis, primò ex parte Dei, & hoc adhùc dupliciter, nempe abſolutè, & ſimpliciter, propter ſolum ornatum mundi, & excellentiam ipſius & ex ſuppoſitione peccati, ad hoc vt homo, ab eius captiuitate redimeretur. Deinde ex parte ipſius hominis, & hoc adhùc dupliciter, nempe primò quia illi erat neceſsarius ordo hypoſtaticus. Et deinde quia ſine illo, non poterat ſe liberare è dæmonis poteſtate, cui ſe ſubmiſerat Adæ peccato, & de his breuiſſimè diſputabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An incarnatio fuerit Deo neceſſaria?

VIdetur fuiſse, vt contendunt Lullus, Riccardus, & Anſelmus, penès Vaſq. hic

hic diſp 1. n.10 Fundamentum Lulli eſt hoc, Deus non poteſt non eligere in ſuis operibus meliora. Ergo licèt potuerit nō condere mundum, tamen poſito quòd voluerit illum condere, fuit neceſſitatus, ad illum faciendum, cum omnibus illis entibus, cum quibus eſſet perfectior; aliter elegisset imperfectiorem, relicto perfectiore, quod putat illi repugnare. Sed mundus cum homine, aſſumpto ad vnionem hypoſtaticam cum Deo, eſt multò perfectior, quàm ſine illo. Ergo fuit neceſſitatus ad talem aſſumptionem. Vnde infert, Chriſtum non ſolùm fuiſse datum vt Redemptorem, ſed etiam vt perfectiuum vniuerſi, quamuis Petrus Abaylardus illi adhærēs quoad hoc, dixerit, nullo modo Chriſtum veniſse vt redemptorē, adeòque adhùc venturum fuiſse, ſi nullum fuiſset peccatum, ad purum ornatum, & mundi perfectionem.

Fundamenta Anſelmi fuere. Primò quia indecens, adeoque impoſſibile erat Deo, non reparare ruinas angelorum prævaricatorum. Sed has non poterat reparare per angelos; nam vel reparaſſet conuertendo angelos prauos, vel alios rectos de nouo creando? Primum putat impoſſibile, propter angelorum inflexibilitatem. Et ſecundum inſufficiens, quia quicumque de nouo crearentur, eſſent imperfectiores illis, qui ciciderunt; ſiquidem hi ſtarent in bono, ob timorem pœnæ, quam alijs viderent inflictam, priores

au-

autem ſi permanſiſsent in bono, non habuiſſent hoc motiuum. Ergo fuiſſent meliores, adeòque natura perfectiores; vnde infert, quòd per ſecundos, aliorum ruina reparari non potuit. Ergo per ſolos homines, qui proximè illis accedunt. Sed hi ceciderant ob Adæ peccatum, à quo ex ſe reſurgere non valebant. Ergo neceſſarium fuit, vt Deus fieret homo, ad eorum redemptionem. Deinde quia erat indecorum Deo, adeòque impoſſibile, quòd relinqueret omnes homines à ſe factos propter cælum, in maſſa perditionis, ita vt nullus finem aſſequeretur. Ergo quia ex vna parte debuit poni condigna ſatisfactio pro eius culpa; & ex alia hanc ipſe homo præſtare non poſſet, debuit Deus fieri homo, vt ipſe præſtaret.

Fundaméta Riccardi ſunt. Primò quia ſi Deus alia via condonaret homini offenſam, poſſet dæmon aſſiduè illum exprobrare, quòd traheretur ad cælum violenter, abſque vllo titulo meritorum. Et deinde quia etiam ipſe homo taliter iuſtificatus, aſſiduè cruciaretur in cælo, quòd pro ſuo peccato, non ſit facta ſatiſfactio. Sed hæc vt abſurda ſunt Deo impoſſibilia. Ergo ad illa euitanda, debuit incarnari.

Concluſio. *Quamuis fuerit homini neceſſaria incarnatio Dei, vt condignè ipſi ſatiſfieret pro offenſa; non tamen fuit ſimpliciter Deo neceſſaria, ſiue ex parte creationis mũdi, ſiue ex parte hominis redimendi à captiui-*

 tate

nate peccati. Eſt communis inter catholicos.

Prima pars patebit infra, cum oſtendemus, nullam puram creaturam poſſe Deo ſatisfacere de condigno, pro peccato mortali. Ergo hæc ſatisfactio præſtari non potuit, niſi à Perſona diuina, quæ carnem aſſumpſerit, & facta ſit homo.

Probatur ſecunda, Deus eſt omninò liber, ad operandum ad extra. Ergo ſicut potuit non condere mundum, ita potuit illũ facere perfectiorem, vel imperfectiorem, pro libito ſuæ voluntatis.

Probatur tertia. Quamuis Deus conuenientiſſimè hominem redemerit a captiuitate peccati, non tamen fuit ad hoc vllatenus neceſſitatus. Primò quia poterat homines relinquere in maſſa perditionis, ſicut reliquit angelos; & ſi voluiſſet ab hominibus laudari, potuiſſet creare alios meliores, qui permanerent in gratia. Deinde quia potuiſſet illos redimere alijs modis, vt docet Aug. lib. 13. de Trin. c. 10. Demum quia ſi adhuc vellet fieri creatura, vt ad Creatorem, errantem reduceret creaturam, potuiſſet aſſumere naturam angelicam, vel ſolam animam rationalem, ſiue abſtractam à corpore, ſiue cum illo coniunctam, ita vt non fieret caro. Adhùc enim vt perſona infinita, potuiſſet pro homine plenè ſatisfacere. Ergo neque in ordine ad hunc finem, fuit neceſſitatus ad incarnari.

Ad fundamentum Lulli, quòd tanti

ſit à nonnullis recentioribus, vt in eius ſolutione veluti laborantes, integros impleant quaterniones, facillimè reſpōdeo; Negando antecedens, quod ſi eſſet verū, nō poſſet Deus operari ad extra. Cū enim qualibet facta rerum ſpecie, poſſit ſemper facere meliorem, & meliorem in infinitum. (vt probauimus in 3. *Phyſ.*) nullam poſset facere, niſi omnium poſſibiliū perfectiſſimam, quæ cùm ſit impoſſibilis, nullam poſset facere; ſemper enim qualibet facta, relictis perfectioribus, elegiſset imperfectiorem. Quis autem eſt adeò fatuus, vt *dicat*, Deum ad extra operari nō poſse, cùm videat mundum, & ea, quæ in illo ſunt? Præterea potuiſset facere mundum per fectiorem, non ſolùm quoad maiorem ambitus amplitudinem, ſed etiam quoad continentiam ſpecierum perfectiorum; quis enim coarctauit eius omnipotentiam, quò minùs faceret in illo creaturas perfectiores? Sicut enim eſset vnus mundus, ſi eius ambitum extendiſſet ad ſpatium decuplò maius, ita eſset vnus, ſi coarctaſset ad decuplò minus. Ergo fuit in eius libera voluntate, cui *reſiſti* non poteſt, mundum facere deteriorem, vel meliorem, addendo, vel minuendo, non ſolùm ſecundùm partes, ſed etiam ſecundùm totum perfectionem. Non ergo tenetur ad facienda meliora, & multò minùs ad optima.

Aequiuocatio autem conſiſtit. Primò in hoc, quòd cùm Deus ſemper optimè o-

peretur, optimum in operando, transfertur ad optimum in operato. Quòd autem ſemper optimè operetur, probatur euidenter, quia actio ſpecificatur à fine, à quò ſumit menſuram malitiæ, vel bonitatis. Quia ergo Deus ſemper optimo fine operatur, nempe propter ſuam gloriam, & manifeſtationem ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, ideo etiam dùm facit creaturas viliſſimas, relictis nobiliſſimis, optimè operatur. Deinde confunditur perfectio debita, cum perfectione indebita, & ſupererogationis, & ideo quia vt auctor naturæ, non poteſt deeſse in collatione perfectionis debitæ, ſecundum naturalem rerum exigentiam, fit tranſitus ad perfectionem penitùs indebitam. Atque adeò non attenta ratione debiti, vel indebiti, ex eo quòd faceret perfectiorem habentem, infertur debitum perfectiuum, vt accidit in argumento Lulli, quod quia conſiderat mundũ perfectiorem per vnionem hypoſtaticam, infert neceſſitatem in Deo, ad illam mundo tradendam, nè relinquat illum in ſtatu deteriori. Quod ſi eſset verum, probaret etiam, lumen gloriæ, viſionem beatificam, & omnia dona ſupernaturalia, quæ faciunt meliorem habentem, eſse homini debita, quod riſum theologis excitaret.

Ad 1. Anſelmi, Reſpondeo primò, negando maiorem: ſiquidem dicitur Sap. 12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Quamuis enim de facto Deus, ob

ob ſolam ſuam bonitatem, velit angelorum ruinas per homines reparare, non tamen id facit, impulſus neceſſitate, contradicente Apoſtolo ad Ephes. 2. *Qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.* Deinde, Nego minorem, cùm Deo non defuiſſent modi reparandi angelorum ruinas, abſque incarnatione ſui filij. Vnde patet *reſponſio* ad 2. præter ea, quæ diximus *in 3* probatione concluſionis.

Ad 1. Riccardi, Nego ſequelã, primò quia dona Dei non ſunt materia exprobationis. Ergo ſi Deus donaſſet homini immerenti beatitudinem, poſſet quidem illi Dæmon inuidere, non tamen donum exprobrare. Deinde quia cùm etiam ipſa noſtra bona opera ſint dona Dei, licèt per illa aſſequamur beatitudinem, adhùc poſſet nobis eius immeritam aſſecutionem exprobrare, cùm & ipſa *incarnatio filij Dei*, vnde habemus principium merendi, ſit donum Dei. Ad 2. Nego maiorem, non ſolùm quia ſtatus beatitudinis excludit omnem triſtitiam; ſed etiam quia in tali caſu, Deus liberaliter condonaret totum debitum, contractum per peccatum. Extincto autem debito, nulla remaneret neceſſitas ſatisfaciendi, ſed ſolum motiuum, gratias reddendi Deo, quòd tàm liberaliter totum condonaſſet.

ARTICVLVS II.

An incarnatio Dei fuerit homini neceſſaria? Vbi quid paſſus fuerit homo per peccatum originale.

VIdetur non fuiſſe. Primo quia ex peccato, nullam contraxit homo neceſſitatem, manendi ſub Dæmonis poteſtate; aliter Chriſtus non potuiſſet illum liberare, niſi Dæmoni ſatisfaceret. Siquidem iuſtitia exigit, vt mancipium non poſſit manumitti, niſi à Domino, vel ab alio illi ſoluente pretium captiuitatis. Ergo non fuit homini redemptor neceſſarius.

2. Potuit homo ſine vnione hypoſtatica, pro peccato Deo ſatisfacere. Ergo nõ fuit illi neceſſaria incarnatio. Conſequẽtia patet. Antecedens probatur, peccatũ quomodocumque conſideretur, eſt intrinſecè finitum. Ergo poteſt per ſatisfactionẽ finitam, homini poſſibilem, compenſari.

3. Homo tenetur ex iuſtitia, ad ſatisfaciendum Deo. Ergo poteſt ex ſe ſatisfacere; aliter cùm incarnatio non ſit in eius poteſtate, ſi per illam ſolam poſſet ſatisfacere, teneretur ad impoſſibile, nempe ad ſatisfactionem, cuius vnicum medium eſſet ſibi impoſſibile, quod eſt abſurdum.

4. Vel Chriſtus erat homini neceſſarius,

rius, vt redderetur Deo ad æqualitatem, quod ab illo fuit ablatum per peccatum, vel ad hoc vt Deo ſatisfieret, de toto rigore iuſtitiæ? Primum potuit præſtari à puro homine, per actum contritionis, & charitatis: & ſecundum neque à Chriſto præſtari potuit, qui totum quod Deo redderet, eſſet ex bonis ipſius Dei. Ergo Chriſtus vel non fuiſſet ſufficiens, vel fluſtraneus.

5. Potuit Deus dare alicui homini tantam gratiam; vt poſſet pro omnibus ſatisfacere, ſupplente diuina acceptatione, *defectum ſatisfactionis rigoroſæ*. Ergo non fuit neceſſarius homo Deus.

Pro reſolutione, videndum eſt 1. An, & quomodo per Adæ peccatum, totum humanum genus, tamquam victũ in bello à Diabolo, remanſerit illi mancipatum? 2. An potuerit homo ex ſe, debitum cum Deo contractum ſoluere, & ſe à Diaboli eripere poteſtate? 3. An fuerit ſimpliciter neceſſarium, quòd ad hominem redimendum, ſatisfieret Deo ex toto rigore iuſtitiæ? 4. An ad talem ſatisfactionem, fuerit neceſſaria incarnatio diuinæ Perſonæ 5. An poſita incarnatione, Chriſtus verè Deo pro homine ſatisfecerit, de toto rigore iuſtitiæ? Et demum, an offenſa Deo illata per peccatum, ſit infinita, & an merita Chriſti fuerint infiniti valoris? Sed quia hæc trahunt ſecum prolixas, & graues difficultates; quarum exactio præſtari non poteſt in vno articulo, ideo vt

cla-

clariùs procedamus in hac materia, hic ſolùm enodabimus primam difficultatem, & de alijs ſingillatim agemus, in articulis, & diſputationibus ſubſequentibus.

Concluſio. *Homo per peccatum primi parentis, non ſolùm fuit ſpoliatus donis ſupernaturalibus, ſed etiam fuit vulneratus in naturalibus, & conſtitutus ſub Dęmonis poteſtate.* Eſt communis.

Probatur prima pars, quia Deus dederat Adæ iuſtitiam originalem, & habitus virtutum ſupernaturalium, ſub ea conditione, vt ſi ab eſu vetiti pomi abſtineret, non ſolùm hæc dona ſibi conſeruaret, ſed etiam poſteris communicaret; ſin autem delinqueret, ſibi, & poſteris omnia amitteret, docente Auguſtino in lib. de prædeſt. Dei c. 4. *Creauit Deus hominem, & prædeſtinauit, vt ſi obediens eſſet, & à guſtu vetiti pomi ſe abſtineret, in vita permaneret; ſin autem inobediens eſſet, ſententiam mortis ſubiret,* iuxta diuinum præceptum pænale Genes 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed Adam fuit inobediens. Ergo ipſe, cum tota poſteritate, fuit damnatus ad mortem, vt dicitur ad Rom. 5 *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors,* cuius nomine non intelligitur ſolùm diſſolutio animę à corpore, quæ eſt homini priuatio vitæ corporalis, ſed etiam ſpoliatio donorum ſupernaturalium, quæ eſt diſpoſitio ad mortem animæ, iuxta vnanimem Patrum expoſitionem, vt probabimus ſuo loco.

Pro-

Probatur ſecunda pars, cum D. Tho. 1. 2. q. 85. ar. 3. Per iuſtitiam originalem, perfectè rationi ſubijciebantur inferiores animę vires,& ratio Deo. Vnde ſequebatur, quòd intellectus prudenter iudicabat, voluntas iuſtitia regebatur, iraſcibilis ad ardua ſuperanda, fortitudinis leges non præteribat, & concupiſcibilis non inclinabat ad delectabile, niſi temperatè. Per peccatum autem ablata iuſtitia originali, inferiores animæ vires rebellantes à ratione, & ratio Deo, hominem trahunt ad interitum. Siquidem per ignorantiam in intellectu, illum inducunt ad peruersè iudicandum; & ſic vulneratus in viribus apprehenſiuis, apprehendit malum vt bonum, & bonum vt malum; vnde ſequitur vulnus in voluntate, quæ extra ſemitam rectitudinis tracta, ab errante intellectu, à quo manuducitur, laxatis habenis, in omne genus labitur prauitatis. Præterea quia iraſcibilis amittit ordinem ad fortitudinem, in arduis non habet vires, ad ſuperandum, ſed infirmitate quadam debilitata, facilè ſuccumbit,vnde cedente ingreſſum hoſtibus inuiſibilibus, cor inuadentibus, eius occupant arcem, in eoque tyrannidem exercentes, facilè ſubmittunt vires appetitiuas, vnde vulnerant concupiſcentiam, quam ſine lege trahentes ad delectabile, inordinatę ſubijciunt voluptati, non quidem inuitam cogendo, ſed inclinando, vt dicitur Genes. 8. *Senſus, & cogita-*

gitatio humani cordis, in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua. Sed quia huiuſmodi potentiæ fuiſſent etiam in ſtatu puræ naturę, ideo vt homini debitę, dicuntur naturales. Ex alia parte quia per priuationē ſupernaturalium, amiſerunt, vel ſaltem remiſerunt inclinationem ad bonum, cum augmento inclinationis ad malum, in pœnam peccati, ideo per vulnera illis inflicta, quę recenſuimus, dicitur homo vulneratus in naturalibus.

Probatur tertia. Primò ex Trid. Seſs. 5. can. 1. vbi dicitur, *Si quis non confitetur, primum hominem, cum mandatum Dei fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiam amiſiſſe, &c. atque adeo mortem, & cum morte captiuitatem ſub Diaboli poteſtate incurriſſe, anathema ſit.* Quod idem dicitur in Arauxic. 2. can. 1. Et 1. ad Timoth. 2. *Vt reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad eius voluntatem.* Et ad Rom. 7. *Ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.* Quaſi dicat, quòd primus homo per eſum pomi, Diabolo ſuam, & filiorum vendidit libertatem, vnde omnes facti ſumus eius mancipia 2. Quia liberum hominis arbitrium, ita fuit per Adę peccatum, attenuatum, & inclinatum, vt non ſolùm non poſſet ſe ſuis viribus liberare, e manibus diaboli, qui factus erat veluti mundi princeps, ſed nè illi quidem reſiſtere, nè eius tentationibus ſuccumberet. Quamuis enim piiſſimus Deus auxilia ſufficientia illi non denegaſſet,

vn-

vnde ſimpliciter poterat reſiſtere, quia tamen fuit homo priuatus auxilijs congruis, & gratia ſanctificante, ſimul cum iuſtitia originali, vſque adeo fuit debilitatus (vt dictum eſt) vt cum fortiſſimo inermis, & imbellis digladians, facillimè vinceretur, ex qua frequenti victoria, tamquam belli captiuum (Deo ſic permittente in pœnam delicti) Diabolus illum ſibi mancipauerat. Et ideo dicitur à Trid. Seſs. 6. c. 1. *Cùm omnes homines in prauaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi, & natura filij iræ, vſque adeo ſerui erant peccati, & ſub poteſtate Diaboli, vt non modò Gentes per viam naturę, ſed nè Iudęi quidem per litteram legis, inde liberari, aut ſurgere poſſent, tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licèt attenuatum.* Demum quia ſi homo non fuiſſet mancipium Dæmonis, non euaſiſſet libertus Chriſti, à quo fuit liberatus, & emancipatus. Sed verè factus eſt Chriſti libertus, vt dicitur 1. ad Cor. 7. *Qui vocatus eſt in Domino ſeruus, libertus eſt Domini; ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti.* Ergo verè fuit ſub Dæmonis poteſtate, & captiuitate, à qua fuit à Chriſto manumiſſus, & ſui ſanguinis pretio redemptus, cuius proinde libertus eſt, vt docet Ambroſ. lib. 1. de vita beata c. 3. ſuper allatum locũ Apoſt. inquiens, *Quis quaſi idiotam Paulum, vel in ipſo iure aſſerit? Sciuit enim diſcernere inter libertum, & liberum; renera enim omnes*
Chri-

Chriſti liberti ſumus nemo liber.

Vnde patet reſponſio ad primũ. Neque obſtat, quòd Chriſtus non ſoluerit pretium noſtræ redemptionis Dæmoni, ſed Patri æterno. Primò quia illud ſoluit non per modum emptionis, ſed per modum ſatisfactionis; & ideo debuit fieri Deo, qui fuit peccato offenſus, & non Dęmoni, qui incitauit ad offendendum. Et deinde quia Diabolus tyrrannicè, & abſque vllo titulo, inuaſit hominem. Ergo quia bellum fuit iniuſtum, eius victoria non potuit illi tradere victum ad mancipatum, niſi ex Dei, qui eſt verus Dominus, permiſſione, & indulto, qui non dedit ei abſolutum hominis dominium, ſed dependenter à ſua voluntate, quæ ſicut ſtatuit Diabolum, vt miniſtrum humanæ captiuitatis, ita ſeruauit ſibi ius ad illum liberandum, pro arbitrio ſuæ voluntatis. Tertiò quia quidquid acquirit ſeruus, acquirit domino ipſius. Cùm ergo Diabolus ſit mancipium, & vndequàque ſeruus Dei, non potuit ſibi acquirere hominem à ſe victum, ſed Deo, ad quem proinde ſpectabat, illum retinere ſub captiuitate, vel manumittere ad priſtinam libertatem. Demum quia prouocatus Diabolus à Chriſto ad bellum iuſtiſſimum, pro Adamo, & poſteris ſuſcepto, fuit ab illo victus, & debellatus, adeòque ſpolijs omnibus priuatus, & ipſe loco hominis, redactus ad ipſius Chriſti captiuitatem. Ergo nullũ retinuit ius ſu-

pra

pra hominem, quem non vendidit Chriſto, vt ſeruum emptitium, ſed reddidit vt ſuum, acquiſitum iure belli, adeòque nullum debuit recipere pretium, quod potius ſoluendum erat Deo, qui ſuum filiũ miſerat, vt venalem hominem propter peccatum, ſui ſanguinis pretio ſibi compararet; vnde factus eſt homo ſeruus, & libertus Chriſti, vt ſupra diximus.

Ad alia argumenta reſpondebimus in fine articuli quarti.

ARTICVLVS III.

An potuerit homo Deo ſatisfacere pro ſuo peccato mortali, etiam originali?

VIdetur potuiſſe, vt contendunt Scotus, Alexander, Riccardus, Paludanus, & Caietanus, Primò quia tunc fit ſatisfactio ad æqualitatem, quando redditur totum illud, quod fuit ablatum per iniuriam. Sed potuit purus homo reddere Deo, totum illud, quod ab illo abſtulerat per peccatum, ſiue actuale, ſiue originale. Ergo potuit Deo, ad æqualitatem ſatisfacere. Maior, & conſequentia ſunt euidentes. Minor probatur, homo per peccatum abſtulit à Deo honorẽ illi debitũ, & rationẽ vltimi finis, illum poſtponendo creaturæ Sed per contritionem reddit ei honorem, & obſequium, & per dile-

dilectionem ipſius ſuper omnia, per quam tendit in Deum, rationem vltimi finis. Ergocùm potuerit abſque vnione hypoſtatica, vtrumque Deo prę ſtare, potuit illi reddere totum ablatum, adeòque illi plenè ſatisfacere.

2. Hæc ablatio non fuit effectiua, ſed affectiua, cum Deus non poſſit amittere rationem vltimi finis, quam habet eſſentialiter. Ergo per ſolam retractationem actus, potuit reparari. Sicut enim qui habuit animum occidendi Petrum, & opere non compleuit homicidium, non tenetur, niſi ad retractandam illam prauam voluntatem; ita qui habuit animum nocendi Deo, cui verè non nocuit, non tenetur, niſi ad retractandam hanc animi prauitatem. Cùm ergo hoc potuerit facere quilibet purus homo, potuit etiam Deo ſatisfacere.

3. Potuit homo perfectè deſtruere peccatum. Ergo potuit pro illo perfectè ſatisfacere. Conſequentia patet, quia quoties debitor deſtruit offenſam, ad nihil tenetur; aliter creditor exigeret impoſſibile, cùm fieri non poſſit, vt plus reddatur, quàm ſit totalis deſtructio debiti. Antecedens probatur, conſtitutiua peccati reducuntur ad hæc, nempe ad auerſionem à Deo, & ad conuerſionem ad creaturas. Ergo quia homo potuit per contritionem, & deteſtationem peccati, tollere conuerſionem ad creaturas, & per amorem Dei ſuper omnia, tollere auerſio-

ſionem à Deo, potuit deſtruere perfectè peccatum.

4 Offenſa Dei eſt ſimpliciter finita. Ergo potuit per actus finitos compenſari; aliter neque potuiſſet compenſari offenſa venialis. Conſequentia patet, quia finitum poteſt finito æquari. Antecedens probatur, quia actus eſſentialiter finitus, cuiuſmodi eſt actus peccaminoſus, non poteſt producere effectum infinitum, aliter effectus eſſet maior ſua cauſa, quod repugnat. Cum ergo purus homo potuerit præſtare Deo plures actus, cultus, & obſequij, potuit offenſam Dei ſimpliciter compenſare.

Pro reſolutione, aduerto primò, nomine puri hominis, non intelligi hominem relictum in ſuis naturalibus, & deſtitutum omnibus auxilijs ſupernaturalibus, ſed hominem non vnitum Deo hypoſtaticè. Siquidem omnes conueniũt, hominem ex ſe, non poſſe Deo ſatisfacere, vt definitur in Trid. Seſs. 6. can. 1. Quare ly *purus* non excludit diuina auxilia, ſed ſolam vnionem hypoſtaticam.

Deinde aduerto, hic non eſſe ſermonem de compenſatione, quæ ſit rigoroſa, ſeruando omnes leges perfectę iuſtitiæ. Siquidem cùm dubitetur de Chriſto, an taliter ſatisfecerit, & multi teneant partem negatiuam, quomodo poſſumus ita hominẽ exaltare, vt ſeiunctus ab vnione cum Deo, poſſit cum Chriſto, quoad vim ſatisfactiuam, comparari, illum æquando,

vel

vel ſuperando? Quæſtio ergo precedit de ſatisfactione condigna, & æquali, per quam videlicet moraliter reddatur Deo æquiualens, pro iniuria illi facta per peccatum, non tamen ex toto rigore iuſtitię commutatiuæ, ſed ſolùm imperfectè, hoc eſt impropriè, & interpretatiuè, vt probamus in tr. de pæn. diſp. 9. ar. 1.

Concluſio, *Nullus purus homo potuit condignè ſatisfacere pro peccato originali, quamuis fuerit eleuatus ad ſtatum diuinæ adoptionis; licet potuerit pro actuali; non tamen in ſtatu puræ naturæ.*

Probatur prima pars, quia peccatum originale ſubmiſit totam naturam humanam, quam fecit Deo infenſam, adeòque dignam æterno ſupplicio, ſaltem priuatiuo. Ergo non potuit ſatisfieri, niſi à virtute ęquante totam ſpeciem hominum. Sed nullus purus homo habuit, nec potuit habere hanc virtutem, eò quia de facto nullus exceſſit limites indiuidui, & perſonę particularis. Ergo nullus purus homo potuit pro illo condignè ſatisfacere. Probo conſequentiam, iniuria illata Principi ab omnibus ſuis ſubditis, non poteſt compenſari ab vllo ſubdito, qui vt particulare indiuiduum, concurrit partialiter ad talem iniuriam, niſi habeat in ſe virtutē, æquantem virtutes omnium ſubditorum, ita vt poſſit ipſe ſolus, quod omnes vnà cum ipſo potuerunt; ſicut eſſet e. g. ſi omnes abſtuliſſent à Principe ſinguli ſingulos aureos, & vnus eſſet

adeo-

adeo locuples, vt ſolus poſſet reddere omnes illos aureos. Et ratio à priori eſt, quia compenſatio iniuriæ, debet eſſe eiuſdem valoris, ac fuerit iniuria. Sed iniuria creſcit, non ſolùm ex dignitate perſonæ offenſæ, & ex vilitate offendentis, ſed etiam, cæteris paribus, ex numero offendentium, qui omnes addunt illi ſingulos gradus grauitatis. Ergo non poteſt compenſari, niſi ab omnibus ſimul, vel ab vno omnibus ęquiualente, in ea ratione, qua conuenerunt ad offendendum. Cùm ergo nullus purus homo, licet eleuatus ad ordinem ſupernaturalem, æquiualeat toti ſpeciei, reſpectu cuius retinet ſemper rationem indiuidui, & perſonæ particularis, ideo nullus purus homo potuit ſatisfacere de condigno pro originali. Hoc non valet de Chriſto, qui ratione Perſonæ diuinæ, non ſolum æquiualet toti ſpeciei, ſed illam ſuperat per infinitum exceſſum ideo ex iſto capite, potuit pro omnibus ſatisfacere, vt videbimus.

Probatur ſecunda, Primò ex argumentis adductis, quæ ſi caſtigatè accipiantur, ſunt valde efficacia. Deinde ex alijs, quæ adducimus in trac. de pæn. diſp. 9. ar 1. in quo fusè probamus hanc veritatem. Et demum quia meremur pro peccatis ſatisfaciendo, vt vidimus in tr. de pæn. Sed non poſſemus mereri per impoſſibile. Ergo poſſumus Deo ſatisfacere, modo ſupra explicato.

Probatur tertia, omnis condignitas,

& valor ſatisfactionis, fundatur in diuina acceptatione, vt videbimus. Sed acceptatio eſt actus amicitiæ. Ergo non poteſt exerceri cum peccatore, qui eſt Deo infenſus, cuiuſmodi eſſet in ſtatu puræ naturæ. Quamuis enim in trac. de pæn. diſp. 1. ar. 6. ad 2. admiſerimus, quod etiam in tali ſtatu, fuiſſet pænitentia naturalis, per quam poſſet homo diſponi ad iuſtificationem, per condonationem peccati, non tamen per talem condonationem fieret amicus Dei poſitiuè, eò quia non reciperet gratiam habitualem, quę ſolùm conceditur filijs adoptiuis, videlicet eleuatis ad ordinem ſupernaturalem, quæ eleuatio non eſſet in tali ſtatu. Ergo licet poſſet peccator in tali ſtatu, recipere à Deo gratiam remiſſiuam peccati, quoad reatum culpæ, & pænæ æternæ, non tamen poſſet per pænitentiam, tollere reatum pænæ temporalis, vel pro illo vllatenus ſatisfacere, ſicut fit in ſtatu eleuationis.

Vnde patet quid ſit dicendum de argumentis initio allatis. Quia tamen continent multa, quæ non cohærent cum noſtris doctrinis, ideo illa ſingillatim examinabimus ar. ſequenti.

AR-

ARTICVLVS IV.

Soluuntur obiecta.

AD 1. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, per quodlibet peccatum mortale auferri à Deo tria bona, nempe honorem illi debitum, per executionem rei præceptæ, ſi ſit *præceptum poſitiuum*, vel per negationem rei vetitæ, ſi negatiuum: rationem vltimi finis, illum *poſtponendo* creaturę: & negationem contemptus, per prælationem rei præceptæ, cuilibet proprio commodo, ſiue vtili, ſiue delectabili. Sed hæc non poſſunt Deo reddi, ſaltem omnia. Quamuis enim per contritionem reddatur ei obſequium, & per dilectionem ratio vltimi finis, non tamen poteſt reddi negatio contemptus, cùm fieri non poſſit, quòd Deus non fuerit creaturæ poſtpoſitus, quæ poſtpoſitio ſemper inuoluit contemptum legis, ſaltem virtualem, & ideo hæc negatio auferri non poſſet, niſi ponendo rem pręceptam, pro eo tempore, quo præcipiebatur, quod eſt impoſſibile. Ergo non poteſt illi reddi totum ablatum. Deinde nego maiorem quia ſatisfacere, non dicit ſolam ceſſationem ab iniuria, & reſtitutionem rei materialis ablatæ, ſed etiam compenſationem offenſę. Ergo licèt reponeretur ablatum,

fieret quidem reſtitutio,non tamen ſatiſfactio, vt videre eſt in materia furti, in qua quia interuenit, non ſolùm damnum, ſed etiam iniuria, ideò ad eius reparationem, non ſufficit reſtituere ablatū, quod reparat damnum, ſed inſuper requiritur pœna furis, quæ reparat ius læſum,& iniuriam illatā Domino,à quo fuit res ablata.

Dices, neque Chriſtus potuit reponere hanc negationem contemptus. Ergo non potuit ſatisfacere. Nego conſequentiam. Nam Chriſtus potuit illam compenſare, per obſequium infiniti valoris, quod non potuit homo, ratione limitationis ſuorum operum. Quare Chriſtus non ſatisfecit, reponendo eandem numero negationem contemptus, quam abſtulit peccator, ſed ponendo obſequium, quod in ratione valoris, illam infinitè ſuperabat; adeòque plus reſtituit Deo,quam fuerat ab illo ablatum.

Vrgebis, hæc negatio, vtpote oppoſita obiecto finito, eſt finita. Ergo poteſt etiam ab homine compenſari. Nego conſequentiam, propter rationem afferendam in reſponſione quarti.

Ad 2. Nego conſequentiam. Ad cuius probationem nego paritatem. Et ratio eſt, quia cùm leges humanæ non verſantur, niſi circa actus externos, non fit contra illas per ſolos actus internos, qui non ſubduntur humanæ poteſtati, quæ illos non cognoſcit. Leges autem diuinæ, vtpotè prouenientes à Deo, qui ſcrutatur

re-

renes, & corda, verſantur etiam circa actus internos, licèt externo opere non compleantur, vt patet in præceptis, de non concupiſcendis rebus, & vxoribus alienis. Ergo qui per illos delinquit, quamuis Deo nihil reipſa inferat mali, tamen tenetur Deo ſatisfacere. Aliter neq; teneretur ad ſatisfaciendum pro actibus externis, quibus nihil mali infertur Deo, ſed ſoli proximo, reſpectu cuius, ſicut prohibetur illatio damni, ita prohibetur attentatio, & cupiditas inferendi. Quamuis ergo magis contemnatur lex diuina, per tranſgreſſionem affectiuam, & effectiuam, tamen etiam contemnitur per ſolam affectiuam, per quam ſtatuitur poſtponere Deum creaturæ; & ideo requiritur ſatisfactio. Et ratio eſt, quia qui facit id, ad quod neceſſariò ſequeretur damnum alterius, ſi nihil obſtaret, tenetur de illo damno, ac ſi eſſet ſecutum; & ideo qui explodit ſclopum in Petrum, animo occidendi, licèt illum non occidat, eò quòd Petrus ferro armatus, plumbeam glandem propulſauerit, tenetur de eius homicidio, eò quia per ipſum non ſteterit, quò minus Petrus occideretur. Ergo quia peccator, quantum eſt ex parte ſua, facit totum illud, quod ſufficeret, ad tollendam a Deo rationem vltimi finis, licèt hæc ablatio reapſe non ſequatur, ex diuina ſumma immutabilitate, adhùc tenetur de eius ablatione, ac ſi ſecuta fuiſſet.

Ad 3. Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, peccatum poſſe conſiderari, non ſolùm vt moraliter perſeuerat in peccatore, per affectum ad ipſum, vel per maculam, qua illum deturpat, ſed etiam vt moraliter perſeuerat in Deo, per iniuriã, & offenſam, qua illum, quantum fuit ex parte ſui, dehoneſtauit. Si conſideretur primo modo, poteſt à peccatore deſtrui, per actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, quibus relicta creatura, quam præhabuit, redeat ad creatorem, quem contempſit. Si verò conſideretur ſecundo modo, non poteſt perfectè deſtrui à peccatore, non ſolùm quia non poteſt reponere negationem contemptus, de qua locuti ſumus in ſolutione primi, ſed etiam quia ceſſatio offenſæ, non eſt plena eius ſatisfactio, eò quia non tollat per illam à Deo moralem offenſę permanentiam; eo modo quo ſi baiulus det equiti alapam, non tollit ab illo offenſam, dolendo de facto, illumque præ cæteris diligendo. Ergo niſi accedat æqualis compenſatio, vel liberalis offenſi condonatio, etiam ablata offenſa, actiuè permanente moraliter in baiulo, non tamen aufertur, vt paſſiuè permanet in equite. Ergo non eſt perfecta deſtructio peccati, niſi deſtruatur ex parte vtriuſque extremi, nempe offendentis, & offenſi, quod puro homini redditur impoſſibile.

Dices, ablata cauſa offenſæ, aufertur ef-

offenſa. Ergo ablato peccato, quod eſt vnica cauſa diuinæ offenſæ, non poteſt in Deo remanere offenſa. Antecedens patet, cùm non poſſit eſſe effectus, ſine cauſa. Probatur conſequentia, quia ablato peccato per actus contritionis, & dilectionis, Deus reconciliatur peccatori, cui proinde nòn remanet infenſus, ſicut eſſet ſi remaneret offenſa.

Diſtinguo antecedens, aufertur offenſa, quoad reatum *culpæ*, & *pænæ ęternæ*, concedo: quoad reatum pænæ temporalis, nego antecedens, & ſub eadem diſtinctione, etiam conſequentiam. Et ratio eſt, quia non tollitur perfectè offenſa, niſi tollatur omninò vterque reatus. Qui enim exigit pœnam ab offenſore, non eſt illi perfectè reconciliatus, quamuis condonet illi vitam, propter deteſtationem actus offenſiui, & obſequium ſibi præſtitum. Ergo quia nulla pura creatura poteſt ſe liberare ab omni pænalitate debita peccato, ideo licet poſſit quoad culpam Deo reconciliari, non tamen poteſt pro illa perfectè ſatisfacere, niſi accedat condonatio debiti ab ipſo Deo, vel pro illo homo Deus ſatisfaciat.

Vrgebis, Ille cenſetur perfectè ſatisfacere, qui facit totum illud, quod poteſt, vt ſatisfaciat. Sed qui Deum offendit, non poteſt aliud facere, quàm conteri, & diligere ipſum Deum. Ergo illi perfectè ſatisfacit per hos actus. Sicut enim qui non eſt ſoluendo, non tenetur

reſtituere, ita qui non poteſt plus facere, vt ſatisfaciat, non tenetur ad id, quod excedit ſuas vires.

Nego maiorem, Primò quia ſi hoc eſſet, poſſet homo in pura natura, ſuis ſolis viribus, perfectè Deo ſatisfacere, quod adſtrueret Pelagianiſmum. Deinde dico, hoc eſſe proprium iniuriæ grauis alteri illatæ, vt qui non poſſit pro illa ſatisfacere, ſubeat pœnam pro illa taxatam, reddendo ſatiſpaſſionem, loco ſatisfactionis. Tertiò, ſpectat ad diuinam excellentiam, vt qui eum grauiter offendit, non poſſit redire in eius gratiam, niſi Deus illi liberaliter condonet offenſam; aliter eſſet vilior Principibus, quorum iniuriæ non compenſantur per actus iniuriantium, ſed per ſolam eorum indulgentiam in tales ſubditos, quorum obſequia acceptentur vt ſufficientia. Ad inſtantiam de debito pecuniario, dico, in decoctoribus non extingui debitum ſoluendi, ſed ſuſpendi, niſi accedat conſenſus creditoris, talem actum, vel exhibitionem impotentiæ acceptantis, in debiti relaxationem. Et ideo ſi pauper, vel decoctor perueniat ad ſtatum ſoluendi debitum, tenetur ad ſolutionem. Ergo per talem actum, qualiſcumque fuerit, & per impotentiam, non tollitur debitum, ſed ſuſpenditur ſolutio illius, quoaduſque fieri poſſit. Vnde nihil ſequitur pro arguente.

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamnis

nis enim offenſa Dei ſit ſimpliciter finita (De quo inferius diſputabimus) non tamen poteſt à puro homine compenſari ad æqualitatem. Primò quia præferre finito infinitum, non eſt eiuſdem valoris, & æſtimabilitatis moralis, ac ſit prælatio finiti ad infinitum, eò quia cùm infinitum infinities ſuperet finitum, non poteſt illi poſtponi, niſi per deſcenſum infinitum, ratione cuius talis poſtpoſitio acquirit quamdam infinitatem. Quando autem præfertur finito infinitum, non fit per aſcenſum infinitum; cùm enim in re finita non dentur, niſi gradus finiti, ad eius exceſſum non requiruntur gradus infiti. E g. Ad hoc vt infinitas hominum, ponatur ſupra numerum denarium hominum, ſufficit, quòd accipiantur ab ea vndecim homines, relictis infinitis. Contra verò ad hoc vt ponatur infra numerum denarium, requiritur, quòd ablatis infinitis, relinquantur nouem homines. Ergo quia peccatum poſtponit Deum infinitum creaturæ finitæ, non poteſt hoc perfectè compenſari, per ſolam prælationem ipſius Dei ad creaturam, vel per ſolam poſpoſitionem creaturæ ad Deum. Vnde corruit eius probatio; ſiquidem actus prauus præferendo creaturam Deo, facit non ſolum aſcenſum infinitum, ponendo paucas creaturæ perfectiones, ſupra infinitas perfectiones Dei, ſed etiam deſcenſum infinitum, trahendo infinitas perfectiones Dei, infra paucas creaturæ per-

perfectiones. Ergo actus ponibiles à peccatore, ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa, non comparantur cum illa, vt finiti cum finito, ſed vt finiti cum infinito, non quia ipſa offenſa ſit infinita ſimpliciter, ſed quia acquirat quamdam infinitatem, quam non habent contritio, & dilectio. Quamuis enim illa doleat de peccato, ſuper omnia mala, & hæc diligat Deum ſuper omnia bona, quia tamen tàm bona, quàm mala ſunt in ſe finita, ſemper in ſatisfaciendo, præhabet infinitum finito, cùm in peccando prætulerit infinito finitum.

Dices, eſt impoſſibile, quòd per actum finitum, trahatur infinitum infra finitum, & ponatur finitum ſupra infinitum. Ergo ceſſant hi aſcenſus, & deſcenſus infiniti; adeòque remanentibus vtrinque ſolis finitis, poteſt vnum per aliud compenſari.

Diſtinguo antecedens, eſt impoſſibile, quòd hoc fiat phyſicè, concedo: moraliter, nego antecedens. Siquidem peccator cõſtituendo bonum delectabile creatum, vt ſuum finem, ad quem dirigit ſuas actiones, quamuis phyſicè, & effectiuè, nõ tollat à Deo rationem vltimi finis, tamen affectiuè, & moraliter illam tollit, vt dictum eſt, eò quia quantum eſt ex ſe, vellet ſuum vltimum finem non eſſe Deum, qui retrahit per ſuas æternas leges à tali bono creato, ſed ipſum bonum delectabile, ad quod tendit. Ergo in hominum

eſti-

æſtimatione, adeòque moraliter trahit Deum infra creaturam. Vnde ſequitur, quòd actio praua, licèt phyſicè, & effectiuè ſit finita, tamen affectiuè, & moraliter acquirat quamdam infinitatem, ratione cuius extenditur ad effectum infinitum, in ea ratione, qua ab illa cauſatur.

Ad illationem de peccato veniali, nego ſequelam; & dico, purum hominem potuiſſe ſatisfacere de condigno pro ſuo peccato veniali. Et ratio eſt, quia peccatum veniale non eſt ſimpliciter contra legem, ſed præter legem Dei, vt communiter dicunt theologi. Ergo non tollit à Deo rationem vltimi finis, quem non facit ſimpliciter infenſum operanti, ſed ſolùm minùs illum amantem, minuendo feruorem charitatis in operante, & amorem in Deo erga ipſum. Atque adeò quia committitur ab amico, vel ſaltem quia de ſua ratione, eſt compatibile cum diuina amicitia, ſupponit Deum ſemper paratum, ad acceptandam quamlibet ſatiſfactionem, proportiònabilem leuitati culpæ, ad hoc, vt illa deleta, redeat ſtatus perfectæ amicitiæ, inter Deum, & hominem. Quod ſi peccatum veniale ſit coniunctum cum mortali, non poteſt pro illo ſatisfieri, eò quia opera inimici non acceptentur à Deo, vt dictum eſt in tr. de pæn. Præterquamquòd ſi purus homo non potuiſſet ſatisfacere pro veniali, fuiſſet neceſſaria incarnatio Verbi, ad ſatiſfaciendum pro illo. Ergo fuiſſet de ſe-

grauiſſimum tale peccatum, quod induceret neceſſitatem vnionis hypoſtaticæ; adeòque non fuiſſet veniale, ſed mortale, quod repugnat in terminis.

Ex dictis ſequitur, fuiſſe homini ſimpliciter neceſſariam Dei incarnationem, vt liberaretur à dæmonis captiuitate, & pro ſuo peccato, ſaltem originali. Deo ſatisfieret, poſito quòd Deus nollet illi condonare debitum, niſi facta ſolutione ad æqualitatem. Cùm enim ex ſe illam facere non poſſet, indigebat Redemptore, qui pro ſe ſolueret.

Vnde patet reſponſio ad 2. argumentum, ex allatis ar. 2. Ad quorum tertiũ nego antecedens, non ſolùm propter rationem allatam in argumento, quod ſi homo teneretur ex iuſtitia, ad ſatisfaciendum pro peccato, obligaretur ad impoſſibile, quòd repugnat iuſtæ iuſtitiæ, vt videbimus in loco; ſed etiam quia toties de nouo peccaret, quoties Deo non ſatisfaceret, cùm ſemper omiſſio actus debiti ex iuſtitia, ſit eſſentialiter praua. Ergo quia hoc eſſet præceptum affirmatiuum, obligans ſemper ſine termino, omnis dilatio eſſet nouum peccatum, quo admiſſo, omnis peccans, ex vno peccato traheretur ad infinita peccata, vnde ſemper redderetur ei magis impoſſibilis ſatisfactio, præſertim cum non poſſit fieri ſatisfactio, niſi redeatur ad ſtatum gratiæ, vt probauimus in tr. de pæn. Atque adeo deberet fieri pro omnibus ſimul,

quod

quod ſuperat vires cuiuſcumque puri hominis, quæ cùm ſint finitæ,non poſſunt extendi ad terminum infinitum. Et demum quia in ſtatu eleuationis ex meritis Chriſti,quamuis poſſimus per contritionem iuſtificari, non tamen tenemur ex iuſtitia,ſtatim conteri poſt peccatum, vt probauimus in tr. de pæn. diſp. 7, ar. 10 Ergò multò minùs teneretur homo, in ſtatu puræ naturæ,ſatisfacere pro peccato,pro quo teneretur quidem ad pænitentiam,cum limitatione afferta loco cit. & ad ſubeundam pænam illi taxatam, vt fuſiùs expendemus ſuo loco, non tamen ad ſatisfaciendum ad æqualitatem.

Ad 4. Nego minorem,quoad primam partem, quòd videlicet potuerit purus homo,reddere Deo ablatum ad æqualitatem, propter rationes allatas ar. 3. Ergo fuit illi neceſſarius aduentus Chriſti,qui redderet pro illo ad æqualitatem. An autem Chriſtus in ſolutione noſtri debiti,ſeruauerit leges perfectæ, & rigoroſæ iuſtitiæ,examinabitur infra,cum agemus de ſatisfactione Chriſti.

Ad 5. Tranſeat conſequentia, ſi procedat de neceſſitate ſimpliciter, cùm ſtatututum fuerit ar. 1. potuiſſe Deum alio modo redimere genus humanum,cui proinde non fuit ſimpliciter neceſſaria incarnatio. Quia tamen ex ſuppoſitione, quòd Deus nollet homini condonare peccatū, niſi per ſolutionem debiti, cùm hęc ab homine præſtari non poſſet, de-

buit

buit præſtari à Filio Dei incarnato, cuius proinde incarnatio fuit ex tali ſuppoſitione neceſſaria. An autem potuerit Deus eleuare aliquam creaturam rationalem ad talem ſtatum, vt poſſet pro aliorum peccatis ſatisfacere, examinabitur infra, cum hic ſolùm diſputemus de ſatisfactione peccati proprij, ſiue actualis, ſiue originalis.

ARTICVLVS V.

An potuerit purus homo ſatisfacere pro peccato alieno, etiam originali?

VIdetur non potuiſſe, vt docent Vaſq. Gonet, Gibbo, Arriaga, cum pleriſque Thomiſtarum. Primò quia quælibet pura creatura, etiam poſſibilis, eſt ſimpliciter finita, quamuis fuerit ſublimata ad gratiam ſuperabundantem, & ad alia quælibet dona ſupernaturalia. Ergo cùm offenſa Deo illata per aliena peccata, ſit ſimpliciter infinita, non poteſt pro illa perfectè ſatisfacere. Deinde quia ſi poſſet redemptio mundi fieri per aliquam puram creaturam, fuiſſet inconueniens Deum incarnari, vtpote ſuperfluum. 3. Omnis pura creatura diſtat infinitè à Deo. Ergo cum ſatisfactio ſequatur ſatisfacientem, eius valor non erit æqualis offenſæ, quæ menſuratur offenſo. Demũ

quia

quia quælibet ſatisfactio poſſibi lis, puræ creaturæ, acciperet fundamentū valoris à gratia habituali. Sed hæc intrinſecè ordinatur ad dignificandum ſubiectum, in ordine ad eius augmentum, & aſſecutionem gloriæ. Ergo non poteſt extendi ad alios; aliter poſſet etiam illos dignificare, ad merendam primam gratiam, & remiſſionem peccati, quod eſt abſurdum.

1. Concl. *Potuiſſet aliquis purus homo, in ſtatu gratiæ, condignè, & ad æqualitatem Deo ſatisfacere, non ſolùm pro peccatis actualibus aliorum, ſed etiam pro peccato originali, & pro peccatis totius mundi.* Ita Suar hic diſp. 4: ſect. 7. cum Paludano, Soto, Vega, Caietano, & quod plurimi facio, huic opinioni ſubſcribunt, non ſolùm Scotus, Durandus, Gabriel, & Medina, ſed etiam D. Thomas hic q. 1. ar. 2. & q. 64. ar. 4. & in 4. d. 15. ar. 2.

Probatur, Deus de facto conſtituit Adam, vt eſſet non ſolùm caput phyſicum hominum, ſed etiam morale, ita vt omnium poſterorum voluntates in eius voluntate moraliter ponerentur, ea conditione, vt ſi ipſe manſiſſet in originali iuſtitia, in qua conditus fuit, omnes cenſerentur voluiſſe in illa manere, & ſic iuſtitia transfunderetur in poſteros, & ſi ipſe per inobſeruantiam diuini præcepti, ab illa recedere voluiſſet, omnes cenſerentur voluiſſe recedere, adeòque eius culpa transfunderetur in poſteros, qui proinde pro illa, tamquam propria, iuſtè puni-

nirentur. Ergo etiam potuiſſet conſtituere alium purum hominem, cum plenitudine gratiæ, & ſanctitatis, vt eſſet omnium aliorum caput morale, in eſſe gratiæ, ea conditione, & pacto, vt omnium voluntates in illo poſitæ, in illo, cum illo, & per illum cenſerentur mereri, & ſatisfacere, non solùm pro actualibus proprijs delictis per pænitentiam, ſed etiam pro originali, quod ex Adam contraxerunt. Sicut enim potuit conſtituere, vt aliquis purus homo poſſet nobis nocere, ſi vellet; cur non potuit alium conſtituere, vt poſſet nobis prodeſſe, ſi vellet?

Præterea potuiſſet Deus dare alicui puro homini, tantum gratiæ, & gloriæ, quantum de facto contulit animæ Christi, illumq; conſtituere, vt mundi redemptorem, eo pacto, & conditione, vt poſſet pro omnibus mereri, & ſatisfacere, dirigendo omnes ſuas actiones, & ſeipſum ad bonum aliorum, & inſuper poſſet illi præcipere, vt quidquid boni faceret, ordinaret ad mundi redemptionem, illi promittendo, quòd ſi bene ſe gereret, & diuino præcepto obediens foret, ſubeundo etiam mortem, ſi opus eſſet, in bonum aliorum, condonaret omnibus peccatum originale, & actualia, eiuſque acceptaret ſatisfactionem, vt ſufficientem, & debito æqualem, cum extinctione reatus pænæ, quem omnes alij, in Adam peccando, contraxerunt. Sed in tali caſu, Deo ſimpliciter poſſibili, potuiſſet hic homo Deo

pro

prò omnibus ſatisfacere, exhibendo ſatisfactionem æqualem debito, non quidem ex ipſa diuina acceptatione conſequente, ſed ex pacto, & præuia promiſſione, illam acceptandi, vnde ſumpſiſſet valorem, & efficaciam. Ergo quia Deus non potuiſſet non acceptare huiuſmodi ſatisfactionem, aliter feciſſet contra pactum & ſuam promiſſionem, hæc ſatisfactio fuiſſet condigna, & ad æqualitatem.

2. Concl. *Quamuis hæc ſatisfactio fuiſſet aliquo modo ex iuſtitia, non tamen fuiſſet æqualis ſatisfactioni exhibitæ à Chriſto, & multò minùs de toto rigore iuſtitiæ.*

Probatur prima pars, quod promittitur cum titulo oneroſo, obligat promittentem ex iuſtitia, ad illud rependendum, adimplenti conditionem, vt patet in promittendo mercedem, ſub pacto, & conditione laboris faciendi, quæ non eſt gratia, ſed debita ex iuſtitia, & non ex pura fidelitate, vt expendimus in tr. de Deo vno. Sed hic homo adimpleret conditionem, ſub qua Deus promiſiſſet condonationem peccati communis, & propriorum actualium, & præterea acceptare eius opera, vt de condigno, & ad æqualitatem ſatisfactoria pro illis. Ergo Deus ex iuſtitia teneretur condonare hæc peccata, & extinguere creditum, petendi ſatisfactionem pro illis; & ita ſe cum hominibus gerere, ac ſi fuiſſet ſibi plenè ſatisfactum.

Probatur ſecunda, cùm dignitas capi-

tis ſit Chriſto naturalis, ex vi vnioni cum Deo, facit, vt eius opera ſint infinit valoris, ex parte principij, preciſo quoli bet pacto. Opera verò huius puri homi nis, eſſent ſolùm ex pacto ſufficientia cum de ſe, etiam ex parte principij, eſ ſent finiti valoris. Vnde ſequitur, quò hic homo purus ſatisfaceret quidem ad æqualitatem, non tamen ſuperabundanter Chriſtus autem ita ſatisfecit ad æqualitatem pro hoc mundo, vt potuiſſet etiam ſatisfacere pro infinitis alijs, & ideo eius ſatisfactio fuit infinitè maior offenſa.

Probatur tertia, ſatisfactio de toto rigore iuſtitiæ, debet fieri ex proprijs, ſine gratia creditoris, & operibus aliàs indebitis. Sed hic purus homo ſatisfaceret per gratiam ſibi indebitam, ex gratia liberalis promiſſionis, & operibus, quæ potuiſſent aliàs à Deo exigi. Ergo non ſatisfaceret de toto rigore iuſtitiæ.

Ad 1. Nego conſequentiam. Quamuis enim offenſa creſcat, juxta menſuram offenſi, & offendentis, non tamen creſcit ſecundum proportionem arithmeticam, ſed ſolùm ſecundum geometricam, vt videbimus infra. Ergo ex infinitate ſimpliciter offenſi, non reſultat in offenſam infinitas ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, hoc eſt ſecundùm ſolam rationem obiectiuam, ſeu terminatiuam. Cùm ergo etiam actus ſatisfactorij talis puri hominis, haberent eamdem infinitatem, poſſent illam æquare, adeòque pro illa perfectè

fectè ſatisfacere ad æqualitatem.
Ad 2. Nego antecedens, quia licèt Deus potuerit alio modo redimere homines, tamen conuenientiſſimè redemit per filium incarnatum, vt diximus ar. 1. non ſolùm vt eſſet copioſa redemptio, ſed etiam vt oſtenderet ex vna parte ſuam bonitatem, quæ illum impulit ad incarnationem filij, pro ſalute mancipij, & ex alia grauitatem offenſæ, quæ remedio tàm eximio deleretur. Ergo non fuit ſuperfluà incarnatio, ſine qua Deus hos fines obtinere non potuiſſet,
Ad 3. Nego conſequentiam, quæ retorquetur in actibus meritorijs, qui licèt proueniant à perſona, infinitè diſtante à Deo premiante, tamen ab illo merentur præmium vitæ æternæ de condigno. Quia ergo ſtante gratuita eleuatione talis hominis, ad ſtatum diuinæ adoptionis, & capitis moralis omnium aliorum, eius opera dignificarentur, ex diuina filiatione, ideo poſſent æquare diuinam offenſam, præſertim cùm ad huiuſmodi æqualitatem non requiratur æqualitas perſonarum, ſed actuum, ita vt tanti valeat apud Deum actus ſatisfactorius, quanti valuit actus demeritorius offenſiuus. Ergo quia hæc æqualitas haberi poſſet, vt dictum eſt, ideo diſtantia perſonarum non obſtaret. Aliter neque poſſet ſatisfieri pro venialibus, eò quia ſatisfactio proueniret à perſona tantumdem à Deo diſtante, quod vidimus eſſe falſum.
Ad

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim gratia habitualis primariò ordinetur ad dignificandum ſubiectum, hoc nō tollit, quòd non poſſit veluti ſecundariò ordinari etiam ad alios dignificandos, ex pacto, & diuina ordinatione. Quia ergo ſupponitur, quòd hic purus homo eſſet à Deo conſtitutus caput morale, in ordine gratiæ, eo pacto, vt poſſet alijs communicare ſuam gratiam, non quidem ex ſe, & ex natura gratiæ, ſed ex diuina ordinatione, per ſuam gratiam poſſet etiam alios dignificare, eo modo, quo de facto gratia Chriſti, licèt primariò dignificauerit ipſum Chriſtum, tamen per applicationem ſuorum meritorum, dignificat etiā alios. Sicut enim Adam, ex eo quòd eſſet caput phyſicum omnium, nòn habuit ex natura rei, quòd transfunderet in poſteros iuſtitiam, vel peccatum originale, ſed ex ſola diuina præordinatione, qua illum conſtituit etiam caput morale, cum alligatione poſterorum voluntatum cum eius voluntate, ita hic homo ex diuina ordinatione, per quam habuiſſet dignitatem capitis, in ordine gratiæ, ita ſecum habuiſſet alligatas aliorum voluntates vt quidquid ipſe ſanctè viuendo mereretur, & alij mererentur. Ex quo ſequitur, quòd ſicut Chriſtus potuit nobis mereri, non ſolùm gratias congruas, ſed etiam primam gratiam; ita poſſet hic homo. Neque enim eſt abſurdum, quòd prima gratia vni conferenda, cadat ſub me-

meritum alterius, ſed ſolùm quòd cadat ſub meritum ſuſcipientis, vt definitum eſt contra Semipelagianos; & ideo admittitur communiter, quòd Stephanus impetrauerit Paulo primam gratiam, & Monica Auguſtino. Vnde corruit vltima illatio argumenti.

Dices, homo peccando facit actum iniuſtitiæ in Deum. Ergo tenetur ex iuſtitia illi ſatisfacere. Sed nullus purus homo potuiſſet Deo ſatisfacere, de toto rigore iuſtitiæ. Ergo ceſſant omnes rationes adductę, pro parte affirmatiua. Conſequentia patet, cùm actus iniuſtitiæ non poſſit compenſari, niſi per actum iuſtitiæ illi oppoſitum. Antecedens probatur, primò quia peccator facit contra legem Dei, non ſolùm vt eſt dominus iuriſdictionis, ſed etiam proprietatis. 2. Quia ſeruus tenetur ex iuſtitia præſtare obſequium Domino. Ergo illud negando, facit contra ſuam obligationem, adeòque contra iuſtitiam. 3. Ablatio honoris eſt actus iniuſtitiæ. Sed quipeccat, aufert honorem à Deo Ergo facit contra iuſtitiam. 4. Peccans affectiuè deſtruit Deum, quantum eſt ex ſe, quia aufert ab illo rationem vltimi finis, quæ eſt illi eſſentialis. Ergo facit contra iuſtitiam.

Nego vltimam conſequentiã. Quamuis enim admittatur, quòd peccans faciat contra iuſtitiam, adeòque teneatur Deo ſatisfacere ex iuſtitia; quia tamen Deus vt creditor, non tenetur ex iuſtitia, petere

tere, & velle ſatisfactionem rigoroſam, quam neque Chriſtus exhibere potuiſſet (vt videbimus) ideo potuit remittere debitum alio modo, vt probauimus in 1. ar. Ergo ſicut de facto remiſit per ſolutionem factam à Chriſto, quam ex pacto, & libera præordinatione, acceptauit vt ſufficientem, ita potuiſſet delere chirographum noſtri debiti, per aliam puram creaturam, à ſe ſtatuendam vt caput morale aliorum, in ordine gratiæ, cuius ſolutionem acceptaſſet vt ſufficientem, licèt, ex ſe non eſſet, de toto rigore iuſtitię commutatiuæ. Vnde ceſſant omnes rationes adductæ, ad probationem antecedentis, cuius pondus alibi examinabimus.

Ex quo ſequitur, quòd neque ex iſto capite fuerit neceſſaria diuinæ Perſonæ incarnatio. Vnde ſoluitur quarta quæſtio, quam propoſuimus ar. 2. Aliarum ſolutiones afferemus diſp. ſequenti.

DIS-

DISPVTATIO IV.

De ſatisfactione Chriſti.

POtiſſimà difficultas, quæ inuenitur in hac quæſtione, reducitur ad hoc, an videlicet Chriſtus Deo ſatisfecerit pro noſtris peccatis, de toto rigore iuſtitiæ? Vt ergo viam ſternamus ad eius ſolutionē, quæremus. 1. An merita Chriſti fuerint valoris infiniti? 2. An pro nobis ſatisfecerit ad æqualitatem? Et tandem reſoluemus quæſtionem, an ex rigore iuſtitiæ. Quorum occaſione, quæremus etiā, an peccatum mortale ſit ſimpliciter infinitum?

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſti merita fuerint valoris infiniti?

VIdentur non fuiſſe, vt opinati ſunt ex hęreticis Caluinus, & ex catholicis Durandus, Gabriel, Medina, quibus communiter adiungitur Scotus cum ſuis

in

in 3. d. 19. q. vii. & in 4. d 15. q 1. Quamuis Maſtrius in 3. diſp. 3. q 8. ar. 1. acerrimè contendat, eximere Scotum ab hoc numero, probando ar. 2. iuxta veram, & germanam Scoti doctrinam, merita Chriſti eſſe quidem infinita, non tamen ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, quod fusè probat ibid. à n. 298. vſque ad finē quæſtionis. Eorum fundamenta ſunt.

1. Opera Chriſti fuerunt finita, quoad eſſe phyſicū, & eorum entitatem. Ergo nō potuerunt habere valorem infinitum, aliter potuiſſent æquare operationes ipſius Dei, illique infinitè placere, ſicut placent actus increati, quod eſt abſurdum. Antecedens patet, quia actiones Chriſti fuerunt elicitæ per humanitatem. Ergo non potuerunt excedere eius modum eſſendi, quo perfectior non poteſt eſſe modus operandi. Conſequentia probatur, valor operis ſequitur bonitatem operantis, cuius eſt modus. Ergo non poteſt eſſe illa maior.

2. Vnum infinitum non eſt maius alio, in eo genere, in quo eſt infinitum. Ergo ſi omnes actiones Chriſti fuiſſent infiniti valoris, omnes fuiſſent æquales, immò omnes ſimul non fuiſſent maioris valoris, quàm vna tantùm, quod eſt abſurdū.

3. Operi infinito ſecundùm valorem, debetur præmium infinitum. Ergo ſi omnia opera Chriſti ſint infiniti valoris, omnia mererentur infinitum præmium, adeòque non poſſet Deus illa præmiare,

quia

quia cùm rependat ſemper præmia finita, quolibet dato, teneretur ad maius, & ſic eius theſaurus eſſet impotens, ad reddendum æquale, quæ videntur abſurda.

4 Vel hic valor haberetur per ordinem ad principium operans, vel per ordinem ad præmium? Neutro modo acquireret infinitatem. Ergo non eſſet ſimpliciter infinitus. Maior patet, cùm valor operis aliunde haberi non poſſit. Minor probatur, quia præmium eſt finitum, & principium operans eſt Chriſtus, qui licèt includat Perſonam infinitam, non tamen eſt infinitus, ſicut nec humanitas per talem vnionem infinitatur. Ergo ex vtroque capite eſſet finitus.

5. Admiſſo quòd Chriſti meritum, eſſet infinitum, ratione perſonæ infinitæ, etiam habens maiorem gratiam habitualem, magis mereretur, quàm habens minorem gratiam, licèt ęqualiter operarentur. Conſequens eſt abſurdum; aliter magis iuſtus per opus minimum plus mereretur, quàm alter per actũ eximium charitatis, vel martyrij. Ergo & antecedens.

Concluſio, *Chriſti merita, eiuſque pro homine ſatisfactio, fuerunt infiniti valoris, non tamen infinitate ſimpliciter ſumpta, tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo, ſed ſolùm ſecundùm quid, hoc eſt quòd licèt quodlibet vel minimum eius meritum, eſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum pro peccatis infinitis, & ad redimendos infinitos mundos, non tamen de facto ſatisfecit pro infinitis.* Hæc concluſio

ſio taliter explicata eſt ipſiſſima doctrina Scoti, vt optimè probat Maſtrius loc. cit. n. 248.

Probatur, & explicatur. Merita Chriſti non potuerunt nobis eſſe ſatisfactoria, niſi ex ſe eſſent digna, ad obtinendum à Deo præmium, & niſi ad noſtram ſatisfactionem dirigerentur, ita vt ratione dignitatis, non ſolùm obtinerent præmium pro merente, ſed etiam culpæ condonationem pro illis, quibus applicarentur; & ideo vt nobis actu prodeſſent, requirebatur, vt actu ad noſtram ſatisfactionem dirigerentur. Quia ergo Chriſtus illa non applicauit, neque direxit, ad ſatisfaciendum pro omnibus poſſibilibus hominibus, qui poſſent ſimpliciter oriri ex Adam, ſed ſolùm pro illis, qui actu eſſent ab illo abſolutè futuri, ideo cùm hi ſint ſolùm finiti, non habuerunt actualem efficaciam infinitam, licèt habuerint ſufficientiā, hoc eſt virtutem, & valorem in actu primo, vt prodeſſent etiam infinitis, ſi ponerentur, & à Chriſto ad illorum omnium vtilitatem dirigerentur. Hæc autem directio non potuit eſſe efficax, ad obtinendam huiuſmodi condonationem, ex præſuppoſita Chriſti ſatisfactione, niſi Deus pepigiſſet cum Chriſto, ſe acceptaturum talem ſatisfactionem, ſub conditione quòd Chriſtus rogaſſet pro illis, pro quibus vellet ſatisfacere, & ad illos nominatim dirigeret ſua opera ſatisfactoria. Ergo ad valorem huiuſmodi

di operum, requirebatur, non ſolùm dignitas operum ex parte ſatisfacientis, ſed etiam eius directio, & Dei pactum, ad acceptanda illa opera, in aliorum ſatisfactionem, vnde potuit limitari. Hæc autem limitatio, vtpote proueniens ab extra, quamuis nihil tolleret de intrinſeca operum dignitate, adeòque illa relinqueret in ſua virtute infinita in actu primo, qua poſſent pro infinitis ſatisfacere, & ſolùm limitaret eorum actualem efficaciam, quia tamen eorum limitabat obiectum, ideo relinquebat illa in ſua infinitate limitata in actu ſecundo, nempe ſecundum quid, quod non eſſet, ſi eſſent infinita ſimpliciter, quæ illa extenderet ad actu infinita, ſine vlla limitatione. Præterea potuit Deus cum Chriſto paciſci, non acceptare pro ſufficienti quodlibet eius opus, ſed ſolum hoc, vel illud, & hoc vt magis ſufficiens, quàm aliud, vel hanc operum collectionem, potius, quàm aliam. Ergo vnum non æquè actu, & exercitè ſatifaciebat, ac aliud pro hominibus, quidquid ſit, an æquè pro operante mererentur præmium. Sed hoc non eſſet, ſi omnia ex infinitate perſonæ diuinæ, acciperent infinitatem ſimpliciter, quia non poſſent ſine iniuria, ex pacto limitari. Ergo non fuerunt ſimpliciter infinita.

3. Infinitas meritorum Chriſti, non deducitur ex ſola dignitate perſonæ diuinæ, ſed etiam ex dignitate naturæ hu-

manæ, in illa ſubſiſtentis, & operantis, vt optimè probat Vaſquez hic q. 1. diſp. 6. ar. 2. c. 2. Ergo cum hęc non ſit ſimpliciter infinita, eò quia perſona diuina non illi communicetur per vnionem infinitam, & modo infinito, neque actiones communes, quæ dicuntur theantricæ, ſunt ſimpliciter infinitæ, non ſolùm quia ad illas non concurrit perſona infinito modo, ſed etiam quia, in dignificatione talium operum, limitatur à natura humana ſecum operante. Conſequentia patet, quia quoties plura concurrunt diuerſi ordinis ad eumdem effectum, poteſt concurſus vnius per alium limitari, vt videmus in concurſu Dei ad effectus cauſarum ſecundarum, qui licèt vt proueniens à Deo infinito, arguat infinitatem, non tamen eſt infinitus, quia limitatur ex parte concurſus cauſarum ſecundarum. Antecedens probatur, quia ſi per impoſſibile natura aſſumpta, non ſanctificaretur per vnionem cum Verbo, & peccaret, licèt eius opera bona conſequentia peccatum, tribuerentur perſonæ Verbi, non tamen mererentur pro illa vitam æternam, cùm potius natura humana mereretur amiſſionem vnionis, & pænas æternas, & multò minus pro alijs hominibus ſatisfacerent, ex ſolo defectu dignitatis naturæ humanæ. Ergo operum infinitas attenditur etiam ex dignitate naturæ aſſumptæ; adeòque non poteſt eſſe infinita, niſi ſecundùm quid, modo explicato.

Vnde

Vnde patet quid ſit dicendum,de argumentis initio allatis, quæ ſi procedant aduersùs infinitatem ſimpliciter, optimè probant intentum, & confirmant primam partem concluſionis. Si verò feriant infinitatem ſecundùm quid, nihil omninò probant, vt patebit ar. ſequenti.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiecta.

AD 1. Nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico, valorem operis non ſequi eius phyſicam entitatem, vt effectum, ſeu proprietatem ipſius, & multò minùs vt eius modum, ſeu perfectionem illi intrinſecè inhærentem, ſicut eſt bonitas, & differentia propria ipſius, quæ illum intrinſecè, & eſſentialiter conſtituunt in eſſe virtutis, & meriti, ſed eſſe aliquod omninò diſtinctum, ab eſſe phyſico, & entitate ipſius actus, non ſolùm vt eſt tale ens, ſed etiam ſecundùm reſpectum ad ſui principium, vnde ſumit denominationem liberi. Dicitur ergo illi aduenire, non per formam aliquam illi intrinſecè inhærentem, ſed per ſolam rationem aliquam extrinſecam, qua in hominum æſtimatione, redundet illi dignitas quędam, & moralis bonitas, qua redditur dignum præmio, ſicut eſt valor in moneta, qui reddit illam pretio æſti-

mabilem. Potuit ergo entitati finitæ c
rum Chriſti, per reſpectum ad Verbi
ſonam, tamquam ad eorum principi
acquirere in hominum, ipſiuſque De
ſtimatione, tantam excellentiam, &
gnitatem vt eſſent moraliter infinita,
ſolùm in eſſe meritoria præmij, ſed et
in eſſe ſatisfactoria, pro offenſa Deo
lata, quamuis hæc infinitas ex capiti
ſupradictis, limitaretur ad eſſe ſec
dum quid. Vnde cadit illatio, quòd
ctiones Chriſti potuiſſent æquare ac
nes increatas ipſius Dei, quia cum hæ
ſimpliciter infinitæ, non poſſunt æqu
per actiones infinitas ſecundùm qu
Præterquamquòd actiones Dei increa
cum ſint eſſe Dei, etiam in eſſe entis
in finitæ; actiones verò Chriſti non
infinitæ, in ratione entis.

Ad 2. Diſtinguo antecedens, vnu
infinitum non eſt maius alio, ſi ſuma
formaliter, & reduplicatiuè vt infinitu
concedo: ſi ſumatur materialiter, &
titatiuè, nego antecedens. Sicut enim
ximus in 3 phyſ. multitudini homin
infinitæ poſſunt addi plures, & plu
homines, ita vt entitas talis collectio
materialiter creſcat, non tamen in eſſ
formaliter infinitam, in qua ratione n
eſt capax augmenti, vel decrementi;
dicimus, in actibus Chriſti eorum va
rem poſſe conſiderari, vel quaſi mater
liter, ex parte bonitatis ipſorum actuu
quæ cùm deſumatur ex obiecto, & h

poſ-

poſſit eſſe diuerſum, & inæquale, vt eſſet e.g. in actibus charitatis,& temperantię, ideo eorum bonitas, adeoque valor poteſt eſſe inæqualis ; vel quaſi formaliter, ex parte perſonę operantis per humanitatem; & quia per talem reſpectum, omnes accipiunt infinitatem, ideo non poſſunt ad inuicem comparari, vt in valore inęquales. Eo modo quo ſi valor monetę deſumeretur adęquatè ex parte cunij, ſiue Principis figurę, vbicumque hęc figura reperiretur, daret illi æqualem valorem, licèt monetę quoad entitatem intrinſecam metalli, eſſent inęquales. Pręterquamquòd cùm hęc infinitas ſecundum quid, quam adſtruimus in Chriſti operibus, ſit potius ordinis, & quaſi negatiua, quatenus ratione perſonę, acquirunt talem excellentiam, vt ſuperent merita, licèt maxima, cuiuſcumque purę creaturę, ideo licèt admittat gradualem inæqualitatem in tali ordine, numquam tamen amittit infinitatem, eo modo quo Angeli,licèt in ſuo ordine ſint inęquales ſecundùm ſpeciem, ſemper tamen retinent infinitatem quamdam negatiuam, & eminentialem, ratione cuius, non poſſunt ſuperari ſecundùm propriam perfectionem, à qualibet ſpecie ordinis inferioris, licèt hę poſſint creſcere in infinitum ſyncathegorematicè, ita vt vna ſit perfectior alia, per acceſſum ad perfectionem angelicam,quam numquam poſſunt æquare. Ergo merita Chriſti, licèt inter

ſe inæqualia, ſemper tamen minimun
illorum erit infinitè maius, omnibus,
ſingulis meritis hominum,& angeloru
vtpote exiſtentium in ordine inferior

Ad 3. Diſtinguo antecedens, operi
cundùm valorem ſimpliciter infinito,
betur prȩmium infinitum, concedo: i
nito ſecundùm quid, nego antecedens,
conſequentiam ſub eadem diſtinctione
ſub qua non ſequitur abſurdum incul
tum, de impotentia Dei, ad prȩmi
dum ȩqualiter. Neque poſſet hoc euit
in ſententia oppoſita, dicendo cum S
rio hic diſp. 3. ſect. 4. ſub finem, qu
Deus poſſet ordinare in prȩmium oper
Chriſti, quòd Pater, vel Spiritus S
ctus ſumeret carnem. Sicut enim pe
nionem hypoſtaticam, Chriſti merit
ſumit infinitatem, ita per ſimilem vn
nem prȩmium, quod illi rependeretu
ſumeret infinitatem. Vnde ſequeretur
qualitas prȩmij cum merito. Hoc (i
quam) dici non poteſt, Primò quia qu
cadit in depreſſionem merentis, non
teſt rependi in præmium; & ideo aliq
dux referendo ex hoſtibus palmam, n
poſſet prȩmiari à Republica, illi c
ſtituendo ȩqualem in bello alium du
quia eius auctoritas per ȩqualem, e
premo gradu deijceretur. Sed incarnat
alius diuinȩ Perſonȩ in alia humanita
deprimeret ſummam, & abſolutam
gnitatem Chriſti, qui ex altitudine v
ci, & primi capitis Eccleſiȩ, ſuprema
obti-

obtinet auctoritatem; eò quia per incarnationem alius diuinę perſonę, diuideretur. Ergo non poteſt hoc rependi in premium à iuſtiſſimo Iudice. Deinde vel vterque homo Deus, eſſent ad inuicem ſubordinati, ita vt vnus alteri ſubderetur in operando, vel eſſent omninò independentes, & diſparati? Primum repugnat dignitati diuinę perſonæ, quę ſicut ad intra nulli ſubijcitur, quamuis vna procedat ab alia, ita & multò magis hoc exigit ad extra, cùm dignitatem aſeitatis amittere non poſſit, ratione cuius omnes diuinę perſonę ſunt ęquales. Secundum non ſoluit, ſed auget difficultatem; ſiquidem etiam opera ſecundi Chriſti, eſſent infiniti valoris, quibus cùm non poſſet rependi in premium incarnatio diuinę perſonę, poſito quòd omnes eſſent incarnatę, remanerent impremiabilia, niſi admittatur proceſſus infinitus in incarnatione diuinarum perſonarum, vel multiplicando illas, vel deſtruendo, & iterum renouando vniones, quę ſunt maiora abſurda. An autem poſſint diuinę perſonę, vel ſimul, vel ſucceſſiuè incarnari abſolutè loquendo, examinabitur infra.

Ad 4. Nego minorē. Ad cuius probationem dico, quòd etiam humanitas in Chriſto, ratione vnionis cum diuina perſona, accipit dignitatem infinitam ſecundum quid, vnde illi reſultat filiatio naturalis Dei. Ergo merita Chriſti ex parte principij, non limitantur,

digna infinita pæna, cum effectus infinitus, etiam in moralibus, non poſſit correſpondere cauſæ finitæ. 5. Priuat Deum infinito bono, nempe ratione vltimi finis, quod non faceret, ſi non eſſet infinitè mala. 6. Pro nullo bono eligi poteſt, ſicut neque pro vllo malo vitando. Ergo ſuperat omne malum, etiam infinitum, & ideo non poteſt eligi ad vitandum infernum. 7 Eſt malum finitis incompenſabile, & ideo à ſolo Chriſto potuit compenſari. Ergo ſuperat omne finitum, adeòque eſt ſimpliciter infinita.

Concluſio. *Nullum peccatum eſt ſimpliciter infinitum, ſiue in ratione malitiæ, ſiue in ratione offenſæ, quamuis habeat infinitatem ſecundùm quid.* Ita Scotus, cum ſuis, quibus accedunt Suar. Vaſq. Lugo, Becanus, Eſparſa, Paſqualigus, & alij.

Probatur quoad rationẽ malitię. Primò quia nullum ens poſitiuum, de facto exiſtens extra Deum, eſt ſimpliciter infinitum. Sed omne peccatum, quoad totam eius malitiam, eſt adæquatè poſitiuũ, vt probauimus in 1. de gener. diſp. 3. ar. 4. Ergo nullum peccatum de facto exiſtens, quoad totam eius malitiam, eſt ſimpliciter infinitum. Sed neque eſt poſſibile, quia infinita malitia eſſet infinitum malum, adeòque infinitè odibile, excludens omnem amabilitatem. Ergo non poſſet poni, niſi ab habente vires infinitas, & à Deo permitti non poſſet, eò quia nullam haberet in ſe bonitatem, ratione

cuius Deus moueri poſſet, ad concurrendum ad illud cum peccatore, adeòque ex parte vtriuſque eſſet impoſſibile.

Probatur quoad rationem offenſæ. Primò quia ſi hæc eſſet infinita, omnia peccata offenderent Deum eodem modo; & ſic omnia eſſent æqualia, vt opinatus eſt Iouinianus, ſecutus errorem Stoicorum. Conſequens reijcitur vt erroneum, vt videre eſt penès Auguſtinum ep. 29. ad Hyer. & ipſum Hyeronimum lib. 2.adu. Iou. Ergo non eſt ſimpliciter infinita, 2. Offenſa, & iniuria ſequitur rationem malitiæ. Ergo non poteſt eſſe illa maior, aut minor, aliter acceſſorium eſſet maius principali,& fructus arbore,ſeu radice, quod eſt impoſſibile; cum effectus, & paſſio non poſſint eſſe ſua cauſa perfectiores,ſeu validiores.3.Malum ſicut habetur per oppoſitionem cum bono, quo priuat, ita eſt maius, vel minus, ſicut eſt quantitas boni, quo priuat, & cui opponitur. Cùm ergo nullum peccatum, ſub quacumque formalitate, priuet, ſiue opponatur bono infinito, non eſt ſimpliciter infinitum.Probatur aſſumptum,quia peccatum non priuat Deo, ſine quo fieri non poſſet, ſed eius communicatione, & amicitia, quæ ſunt finitæ; neque opponitur Deo, quem non deſtruit, ſed eius cultui, & honori,illum dehonorando, qui etiam ſunt finiti. Ergo neque priuat,neque opponitur bono infinito.

Probatur quoad vltimam partem, omne

ne peccatum offendit Deum infinitum, non tamen infinito modo. Ergo non poteſt eſſe offenſa ſimpliciter infinita, ſeu ſimpliciter finita, ſed occupat medium locum, inter finitum, & infinitum; quatenùs videlicèt cùm ſit formaliter finita, terminatur ad infinitum, vnde acquirit infinitatem purè obiectiuam, ſeu terminatiuam, quæ dicitur ſecundùm quid, eò quia non dicat infinitatem in eſſendo, & in ratione formali offenſæ, ſed ſolùm in tendentia ad obiectum, quę ſi conſideretur vt eſt poſitiua, nempe vt eſt conuerſio ad creaturam, eſt finita, quia terminatur ad finitum. Ergo ſupereſt quòd dicatur infinita, per hoc quòd ſit negatiua, nempe vt eſt auerſio, ſiue receſſus à Deo infinito.

Ad 1. Nego maiorem. Primò quia etiam peccans venialiter diſtat infinitè à Deo, non tamen eius offenſa eſt infinita. Deinde quia dignitas offenſi auget offenſam, non vt eſt in ſe, ſed vt eſt in offendentis cognitione, quæ cum ſit finita, non auget infinitè offenſam. Tertiò quia hoc augmentum non ſeruat proportionem arithmeticam, ſed geometricam, vt dictum eſt. Ergo ſicut honor Deo præſtitus per actus religionis, & charitatis, per talia augmenta nō creſcit in infinitū, ita neque offenſa. Quod idē valet de cognitione creata Dei, quæ per ſimile argumentū calculatorium, quòd cognitionis perfectio creſcat ex perfectione ob-

iecti

iecti,non eſt infinita, & de omnibus alijs, quæ verſantur circa Deũ 4. Si valeret hic modus arguendi, omnis creatura eſſet infinita, cùm enim qualibet creatura poſſit Deus facere imperfectiores, & imperfectiores in infinitum, & per quemlibet exceſſum perfectionis ſupra alias, arguatur proprius gradus perfectionis, per exceſsum ſupra infinitas, argueretur infinita perfectio, quod eſt abſurdum. Demum, quia omne donum Dei eſſet infinitum; ſicut enim infinitas Dei, refundit infinitatem in offenſam, ad ſe terminatam, à creatura, ita refunderet in donum, vt à Deo terminatum ad creaturam, cùm eadem ſit vtrobique diſtantia, quo admiſſo, Deus non poſſet facere,niſi infinita.

Ad 2. Quod vt articulus fidei admittitur ab aduerſarijs, nego antecedens, quia iniuria, & honor eodem modo tendunt in obiectum, afficiendo ſcilicet ſolum, extrinſecè perſonam, cui irrogantur. Ergo ſicut honor eſt in honorato ſolùm extrinſecè, tamquam in termino, ita & offenſa, ſi loquamur de offenſa, quæ nullo bono priuet offenſum, ſiue famæ, ſiue diuitiarum, cuiuſmodi eſt illa, quæ conſiſtit in ſola inobedientia, ſeu tranſgreſſione legis, aut mandati, ſicut eſt offenſa Dei propter peccatum; nam offenſa damnificans in bonis, ſiue corporis, ſiue famæ, cùm ſit contra iuſtitiam, ratione priuationis, quam ponit in offenſo, peculiari quadam ratione eſt in illo, tamquam

quam cauſa eius damni; & ex hac fortaſſe arripuerunt aduerſarij occaſionem dicendi, offenſam eſſe in offenſo. Quia ergo in Deum non cadunt offenſæ læſiuæ, ſeu illi nociuæ, ſed purè tranſgreſſiuę, ideo loquendo de illis, dico, illas non eſſe in Deo, niſi extrinſecè, & purè terminatiuè; ſicut eſt honor illi præſtitus, & probatur.

Primò quia ſicut per offenſam cenſetur vileſcere offenſus, ita per honorem cenſetur dignificari. Ergo pariformiter ſe habent. Deinde ſicut offenſa, quę eſt actus inimicitię, & tendit in contemptum alterius, inducit ſeparationem vnius ab alio, ita honor, qui eſt actus amicitię, & ęſtimationis alterius, inducit vnionem vnius cum alio, ita vt honorans affectiuè vniatur cum honorato. Ergo ſicut hæc vnio eſt purè extrinſeca honorato, ita & ſeparatio in offenſo. 3. Sicut offenſa, quia parit offenſo diſplicentiam, cenſetur moraliter illum dimouere à proprio ſtatu; ita & honor quia parit complacentiam honorato, cenſetur illum ponere in meliori ſtatu. Ergo vel vterque eſt intrinſecus termino, vel neuter. 4. honor, quia eſt argumentum iudicij, quod habet honorans de excellentia honorati, reddit illum meliorem, penès honorantem; ita offenſa, quia eſt argumentum iudicij, quod format offendens, de vilitate offenſi, reddit hunc deteriorem penès illum. Ergo cum vterque hic effectus prouęniat ab offen-

ſendente, vel honorante, pro diuerſitate iudicij, quod formant de alio, non afficit, niſi extrinſecè, & purè denominatiuè ſuum terminum, qui moraliter cenſetur ſubiectum vtriuſque, non quidem inhęſionis, ſed ſolùm denominationis.

Dices, offenſa creſcit, creſcente dignitate offenſi, & vilitate offendentis; honor autem decreſcit. Ergo quia hoc augmentum in offenſa, haberi non poteſt à principio actiuo, habetur à ſubiectiuo; & viceuerſa decrementum honoris, non habetur à ſubiectiuo, ſed ab actiuo, quod proinde concurrit immanenter ad actum honoris, ſicut offendens tranſeunter ad actum offenſionis; adeòque honor eſt in honorante, & offenſa in ipſo offenſo.

Nego antecedens, ſi procedat de dignitate, prout eſt realiter in offenſo, vel honorato. Et ratio eſt, quia hæc dignitas non influit in offenſam, vel honorationem, niſi vt cognita. Ergo augmentum offenſæ, creſcit ſolùm ad augmentum cognitionis, quæ cùm ſit in offendente, etiam tale augmentum eſt in illo, & ſolum terminatur ad offenſum, vt ad terminum purè extrinſecum. Et hæc eſt ratio, cur ſi percutiatur Rex vili habitu indutus, cognitus vt baiulus, non offenditur Rex, niſi tanta offenſa, quanta baiulus offenderetur; & ſi baiulus pretioſis veſtibus indutus, habeatur vt Rex, eius offenſa æquiparatur offenſæ Regis. Ergo ſemper augmenta, & decrementa offen-

fen-

ſenſæ, adeòque & ipſa offenſa, habentur ex parte offendentis, & ipſe offenſus ſe habet vt purus terminus ipſius, & vt ſubiectum denominationis, ſicut eſt honoratus, reſpectu honoris. Vnde ſequitur falſitas conſequentiæ.

Vrgebis, ille eſt offenſus, in quo eſt moraliter offenſa. Ergo ſi in termino non ſit offenſa, non eſt offenſus.

Nego antecedens. Et dico, quòd actio, & paſſio ſint vnus, & idem motus. Ergo ſicut eadem cognitio denominat ſubiectum cognoſcens, & terminum cognitum, per puram terminationem ad illum; ita offenſio vt eſt in ſubiecto, denominat illud offendens, & terminũ offenſum per denominationem à forma ſibi extrinſeca. Neque obſtat, quòd percuſſio, vt eſt actio phyſica, ſit in percuſſo; nam vt talis non eſt moralis offenſa, quæ habetur adæquatè, vt eſt formaliter offenſa, à prauitate voluntatis ipſius offendentis. Ergo quamuis phyſicè tranſeat in offenſum, non tamen moraliter, vt patet ex eò, quòd licèt ille actus percuſſionis, non attingat phyſice inimicum, adhùc tamen illum offendit, licèt minùs offendat, ſecundùm quantitatem materialem, quod non eſſet, ſi ad rationem offenſæ requireretur inhæſio in termino. Atque adeo honor, & offenſa pariformiter ſe habent ad ſuos terminos, & per conſequens vel vterque moraliter conſideratus, tranſit in terminum, vel neuter.

AR-

ARTICVLVS IV.

Soluuntur reliqua argumenta.

AD 3. Nego antecedens. Cùm enim debitum, Deum non offendendi, fundetur in bonis à Deo acceptis, ratione creationis, & ſeruitutis in ipſum, & hæc ſint finita, non poteſt eſſe infinitum; aliter finitum pareret infinitum, quòd eſt abſurdum. Ius autem quod habet Deus, nè offendatur à ſubditis, quamuis ſit ſubiectiuè infinitum, tamen eſt formaliter finitum, eò quia terminetur ad ſubditum finitum, qui non eſt capax obligationis infinitæ. Sicut ergo per hoc, quod Deus habeat ius vt honoretur tamquam dominus à creatura, quamuis hoc ius ſit ſubiectiuè infinitum, non obligat ad cultum infinitum; ita ius, nè offendatur, non obligat ad omiſſionem offenſionis infinitæ.

Ad 4. Ductum ex infinitate pænæ, Nego conſequentiam, & dico, æternitatem pænæ non correſpondere peccato ex propria natura, ſed ex diuina ordinatione, vt creaturæ illius capaces, magis deterreantur ab illo patrando, vt probat cum Scoto Maſtrius hic diſp. 6. q. 7. n. 195. Et ideo poſſet Deus illud punire ad æqualitatẽ pæna extenſiuè finita, compenſante extenſionem intenſione, non quidẽ

arith-

arithmeticè, ſed geometricè, vt verificetur quod dicitur Deuter. 25. *Iuxta menſuram delicti, erit & plagarum modus*. Deinde æternitas pœnæ, cùm ſit ſolùm ſyncathegorematicè infinita, ſemper eſt actu ſimpliciter finita, ſecundum intenſionem, quæ ex ſua natura correſpondet peccato, quæ cùm ſemper ſit minor debito, ideo ſemper Deus punit citra condignum.

Dices, pœna finita infinities replicata, habet infinitos gradus, qui ſi colligerentur in vnum, facerent infinitam intenſionem. Ergo æquiualet pœnæ infinitæ, etiã intenſiuè. Sed Deus infligendo pœnam, extenſiuè infinitam, punit citra condignũ. Ergo peccatum meretur infinitam pœnã, tàm extenſiuè, quàm intenſiuè, & ideo eſt infinitum.

Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando replicatio pœnæ fieret per additionem gradus ad gradum, in infinitum, quia ſemper gradus poſteriores adderentur prioribus, & ſic intenderent pœnam. Cùm autem fiat ſolùm ſucceſſiuè, per partes de nouo aduenientes, ſemper æquales abeuntibus, ideo ſemper eſt eadem intenſio, vt eſſet, ſi calidum vt duo aſſiduè mutaret calorem, quamuis mutaret in infinitum, numquam tamen fieret infinitè calidum, ſed ſemper eſſet calidum vt duo. Sicut ergo meritum non dicitur infinitum, per hoc quòd illi correſpondeat præmium ſyncathegorematicè infinitum; ita neque peccatum. Rationem au-

tem,

tem, quare pæna finita peccati duret in æternum, attulimus in tr. de pæn. diſp. 15. ar. 5. ad 3. & eſt, quia durante cauſa pænæ, ſemper iuſtitia exigit, vt illi rependatur (& idem valet de præmio, reſpectu meriti) & ideo ibid. diximus, quod etiam venialia, per accidens puniantur pæna æterna. Quia ergo peccatum in inferno numquam extinguitur, ſicut neque meritum in cælo, ideo diuina iuſtitia exigit, vt illi ſemper pæna debita, & huic præmium debitum rependantur.

Ad 5. Quod peccatum priuet Deum ratione vltimi finis, Nego antecedens; ſiquidē peccans non intendit, quòd Deus non ſit abſolutè vltimus rerum omnium finis, ſed ſolùm hic, & nunc illū poſtponit huic bono finito, adeòque priuat illum vſu, & exercitio vltimi finis, in hoc ſolo caſu particulari. Cùm ergo talis vſus ſit quid finitum, non illum priuat bono infinito. Immò neque priuaret, ſi haberet expreſſam intentionem, illum deſtruendi, ſi poſſet, quia adhùc dirigeretur cognitione finita, qua hic & nunc appareret illi Deus, vt contemptibilis, præ alio bono creato, vnde ſumeret menſuram offenſa Dei.

Ad 6. De inegibilitate peccati, Nego conſequentiam. Et dico, ideo peccatum propter vllum bonum eligi non poſſe, quia difformatur diuinæ voluntati, quæ eſt regula omnis prudentis electionis; & quia nullum poteſt inducere verum bo-

num

num, hoc eſt quod conducat ad vitam æternam, quæ nobis eſt vnicè verum bonum;& idem dico de omiſſione,ſeu vitatione cuiuſuis mali tẽporalis, quod ſemper eſt minus malo inducto per peccatum. Cur autem peccatum non poſſit eligi, ad euitandum infernum, ſi fieret optio, vide in tr. de pæn. diſp, 7. ar. 6. ad 5. Et præterea quia cùm vnica cauſa inductiua inferni,ſit peccatum, ſi hoc eligeretur, vt vitaretur infernus, per hoc ipſum eligeretur infernus, vt ille euitaretur, quod eſt impoſſibile, eo modo, quo non poteſt eligi venenum, ad mortem vitandam.

Ad 7. De eius incompenſabilitate, nego conſequentiam. Primò quia retorquetur argumentũ,cùm ſtatutum fuerit diſp. 3. ar. 3. etiam purum hominem per merita finita, potuiſſe ſatisfacere pro peccato ad æqualitatem. Ergo peccatum nõ eſt infinitum, cum finitum non poſſit æquari infinito. Deinde diximus ar. 1. huius diſp. merita Chriſti fuiſſe ſolùm valoris infiniti ſecundùm quid. Ergo ſi ex æqualitate compenſationis factæ per Chriſtum, arguatur quantitas peccati, hæc erit infinita ſolùm ſecundùm quid, quam ipſi conceſſimus ar,3. Præterquamquòd ſatisfactio Chriſti, nedum fuit ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans, vt videbimus infra. Ergo non ſatisfecit pro debito infinito, in cuius ſolutione non datur exceſſus. Demum incompenſabilitas

litas non prouenit ex infinitate, ſed ex eo quòd ſint in diuerſo ordine, licèt finita, vt patet etiam in alijs; ſiquidem perfectio hominis à nullo inferiori, licèt in infinitum multiplicato, compenſari poteſt, nam pluris æſtimatur vnus homo, quàm infinitæ beſtiæ, & idem dico de vno angelo, præ omnibus hominibus. Cùm ergo peccatum ſit ordinis ſuperioris, ad omnes actus puræ creaturæ non eleuatæ, ideo per illos compenſari non poteſt.

ARTICVLVS V.

An ſatisfactio Chriſti fuerit ad æqualitatem?

VIdetur non fuiſſe. Primò quia peccatum de ſe habuit intrinſecam condignitatem, & vim meritoriam pænæ æternæ. At Chriſti merita non habuerunt ex ſe, & ab intrinſeco, vim ſatisfactiuam pro alienis peccatis, ſed ſolùm extrinſecè, ex pacto, & diuina acceptatione, vt docent Scotus, Gabriel, Durandus, & Medina. Ergo non potuerunt eſſe illi æqualia. 2. Paſſio finita non poteſt habere vim, ad tollendum, vel compenſandum reatum pænæ infinitæ, ſaltem extenſiuè. Ergo non potuit compenſari per paſſionem Chriſti, quæ fuit finita. Vnde perditus Caluinus ait, Chriſtum in Cruce paſſum eſſe pænas damnatorum,

vt

vt condignam faceret ſatisfactionem. 3. Chriſtus non ſatisfecit vt Deus, ſed vt homo. Ergo non potuit condignè ſatisfacere pro iniuria Deo illata, vt Deus eſt. 4. Iniuria illata Deo ab homine, qui eſt infinitè vilior Deo, non poteſt compenſari, niſi ab eo, qui infinitè excedat Deum, cuiuſmodi non erat Chriſtus, qui licèt dicat perſonam infinitam, tamen ſecundùm compoſitum, eſt finitus. 5. Chriſti ſatisfactio potuitnon acceptari. Ergo non fuit æqualis offenſæ, quæ non potuit à Deo reſpui. 6. Plus. Deo diſplicet peccatum, quàm placeant opera Chriſti. Ergo non ſunt æqualia.

Concluſio. *Satisfactio Chriſti, non ſolùm fuit ex ſe, & ex propria condignitate ſufficiens, & ad æqualitatem cùm offenſa, ſed etiam ſuperabundans in actu primo, licèt in actu ſecundo, & quoad efficaciam fuerit ſolùm æqualis, ex eius libera voluntate, & diuina acceptatione, & pacto.*

Probatur 1. Ex multiplici teſtimonio ſacrorum Codicum, vt Pſal. 129. *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Et 1. Io 2. *Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi, &c.* Et ex vnanimi conſenſu Patrum, quorum cenſum fusè init Valentia hic diſp. 1. q. 1. p. 5. qro quibus vnus ſufficiat Aug, qui lib. 3. de Trin. c 14. ait, *Pergit ad paſſionem,* (loquens de Verbo incarnato) *vt pro nobis debitoribus, quæ ipſe non debebat exſolueret. Numquid iſto iure æquiſ-*
ſimo

ſimo Diabolus vinceretur, ſi potentia Chriſtus cum illo agere, non iuſtitia valuiſſet? Sedpoſtpoſuit quod potuit, vt priùs ageret, quod oportuit. Et ſer. 114. de temp. in appendice. *Indubitanter credamus, quòd totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret; meritum enim redempta mercedis dignitas inſignis pretij ſupergreſſa eſt*. Deinde Clemens VI. in extrauag. *Vnigenitus*. de pæn. & rem. pecc. definit, vnam guttam ſanguinis Chriſti fuiſſe ſufficientem, ad redimendum totum mundum, & ſatisfactionis Chriſti theſaurum eſſe indeficientem, & inexhauribilem. Ergo non ſolùm ſatisfecit ad æqualitatem debiti, ſed etiã ſuperabundanter.

3. Dignitas ſatisfacientis non eſt minoris virtutis ad refundendũ valorem operibus ſatisfactorijs, quàm ſit dignitas offenſi, ad refundendam grauitatẽ ipſi offenſę. Sed perſona ſatisfaciens in Chriſto eſt infinitæ dignitatis, vtpotè diuina, ſicut eſt in offenſo per peccatum. Ergo refundit in opera Chriſti valorem infinitum, adeòque non ſolùm ſufficientem, ſed etiam æqualem ad ſatisfaciendum pro offenſa, immò, & ſuperabundantem, quatenus valor offenſæ creſcit ſolùm ex vi vnionis moralis offenſæ cum offenſo, ſeu terminationis ad illum; valor autem operis ad ſatisfaciendum, creſcit ex phyſica vnione diuinę perſonæ cum natura humana Chriſti ſatisfaciente, quæ cùm ſua ratione ſit maior, facit etiam maiorem valo-

valorem,ſupra quantitatem offenſę,adeòque ſuperabundantem, vt deducitur ex illo ad Rom 5. *Non enim ſicut delictum, ita & donum; ſi enim vnius delicto mortui ſunt multi, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundauit.* Vbi aduertatur ly *multo magis*, quod ſignificat exceſſum, & ſuperabundantiam ſatisfactionis Chriſti.

4 Magnitudo, ſeu quantitas meriti, poteſt conſiderari tàm ſecundum intenſionem, quàm ſecundùm extenſionem, & vtramque, non ſolùm in actu primo, ſed etiam exercitè, & in actu ſecundo. Dico ergo, merita Chriſti fuiſſe in actu primo infinita, non ſolùm ſecundùm extenſionem, quatenus poterant extendi ad omne præmium, ita vt quolibet obtento, poſſent ſemper extendi ad maius, & maius in infinitū, ratione infiniti valoris, quem habebant ex perſona diuina, dignificante humanitatem, quam intrinſecè per vnionem hypoſtaticam ſuſtentabat, vt dictum eſt in 1. ar. ſed etiam ſecundùm intenſionem, quatenus eorum vis meritoria erat adeo efficax, vt à Deo non poſſet reſpui, ſed illum obligaret ad præmium rependendum, quodcumque peteret. Si verò conſiderentur quoad valorem, & efficaciam in actu ſecundo, dico non fuiſſe infinita ſecundùm extenſionem, eò quia obtinuerint ſolùm præmiū finitum, fuiſſe tamen infinita ſecundum intenſionem, quatenus limitatio recepti

præmij, non deriuauit ex limitatione valoris, ſed ex libera eius voluntate, ſicut infinitas omnipotentiæ limitatur ad effectus finitos, à Dei voluntate. Cùm enim ſpectaret ad ſummam Chriſti dignitatē, vt filij naturalis Dei, non minus vt reciperet quidquid vellet, nè fieret Deo contemptibilis, non obtinendo aliquid quod peteret, quàm quod collatio præmij, fieret pro eius arbitratu, ideo quia noluit ſibi conferri, niſi ea, quæ de facto voluit, & à Deo petijt, prout ipſe cenſuit expedire, ad bonum regimen ſuæ eccleſiæ, cùm hæc ſint finita, eius valor meritorum in actu exercito, & quoad extenſionem, fuit finitus.

Quod autem hic valor fuerit infinitus modo explicato, ex propria condignitate, non vero ex ſolo fauore extrinſeco Dei, ſeu ex eius acceptatione, probatur, quia cùm perſona Verbi fuerit per ſe intrinſeca Chriſto, tamquam eius vltimum complementum ſubſtantiale, per ſe immediatè influebat in valorem eius operum, quæ proinde ex eius infinita ſanctitate, veluti ex cauſa formali phyſicè extrinſeca, & moraliter intrinſeca, acceperunt condignitatem ad præmium adeo eximiam, vt neque Deus poſſet prȩmium non retribuere, & nullum præmiū finitum illam exhauriret, licèt inuolueret etiam reſpectum intrinſecum ad eius acceptationem, & pactum, quæ nihil minuebant de intrinſeca operum condigni-

ta-

tate, cùm & ipſa caderent ſub talia merita, vt patebit infra.

Vnde patet ſolutio primi.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, paſſio finita, in ſubiecto coniuncto ſubſtantialiter cum Perſona infinita, non compenſat reatum pœnæ infinitæ, nego: in ſubiecto coniuncto cum ſola perſona finita, concedo maiorem. Et admiſſa minori, nego conſeqnentiam, quia cùm actiones ſint ſuppoſitorum, vt alibi ſæpè probauimus, & in Chriſto non fuerit, niſi perſona Verbi diuini, paſſio Chriſti, quæ phyſicè loquendo, cadebat ſupra ſolam naturam humanam ipſius, ratione communicationis idiomatum, quæ reſultabat ex vnione hypoſtatica cum Filio Dei, tribuebatur ipſi Filio Dei, non ſolùm moraliter, quatenus per ipſum dignificabatur natura patiens, ſed etiam phyſicè, quatenus talem naturam ſuſtentabat, & intrinſecè ſubſtantialiter terminabat, ita vt verè dici poſſet, quòd ipſe Filius Dei naturalis pateretur, non quidem in ſe, ſed in natura aſſumpta. Quia ergo ratio Filij Dei naturalis, eſt infinitæ æſtimabilitatis, licèt entitatiuè ſit finita, ideo potuit habere vim meritoriam, ad tollendum reatum pœnæ infinitæ. Vnde corruit blaſphemia Caluini, cùm pluris valeat momentanea Chriſti paſſio, quàm æternus cruciatus damnatorum.

Ad 2. Nego antecedens, Siquidem Chriſtus neque ſatisfecit vt purus Deus,

neque vt purus homo, ſed vt homoDeus, ſeu vt Deus vnitus humanitati. Ergo potuit condignè ſatisfacere pro iniuria ab homine, Deo illata, quatenus ad talem ſatisfactionem, non ſolùm concurrebat, vt principium *quod* intrinſecum ipſe Deus, ſed etiam vt materia, offerendo ſeipſum in pretium hominis, cuius naturam aſſumpſerat. Quomodo autem idem Filius Dei, cui fiebat ſatisfactio, potuerit ſatisfacere, videbitur infra, cum agemus de merito Chriſti.

Ad 4. Nego antecedens. Et dico, infinitatem offenſæ illatæ Deo ab homine, non deduci ex infinita vilitate ipſius hominis, quæ ſi admittatur vt illi intrinſeca, non poſſet à Deo amari, ſed ex infinito exceſſu perfectionis, quem habet Deus ſupra illum; & ideo ar. 3. intulimus, talem offenſam non eſſe ſimpliciter infinitam, ſed ſolùm obiectiuè, & terminatiuè. Ergo quia habetur adæquatè extrinſecè, ex parte infinitæ maieſtatis offenſi, ad hoc vt illi ad æqualitatem ſatisfiat, ſufficit, quòd ſatisfactio fiat à perſona æqualiter digna, cuiuſmodi eſt perſona Chriſti, & nullo modo requiritur, quod ſatisfaciens excedat Deum, ſed ſufficit quòd ſit illi æqualis.

Ad 5. Nego antecedens. Cùm enim ſupra probatum fuerit, merita Chriſti habuiſſe valorē infinitum, ſecundùm intenſionem, tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo, ratione infinitæ perfectio-

nis

nis principij *quod*, habuerunt talem vim, & efficaciam apud Deum, vt ſolùm poſſent limitari in actu ſecundo, quoad extenſionem, ex ſola libera voluntate ipſius Chriſti ſatisfacientis, vt de facto fuerunt limitata, ad ſolos homines, excluſis angelis. Ergo quia non poterant aliũde impediri, quò minus ſuum ſortirentur effectum, ideo non poterant à Deo reſpui, ſeu non acceptari, cùm opera filij naturalis, abſque iniuria, à patre reſpui non poſſint, quæ iniuria caderet in ipſum reſpuentem, ſi fieret, quod vt indignum maieſtate filij, identificata cum maieſtate patris in diuinis, eſt omninò abſurdum excogitare.

Ad 6 Nego antecedens. Cùm enim peccatum non habeat vim demeritoriam infinitam, ratione cuius neceſſitet Deum, ad illud puniendum de condigno, vt patet ex eo, quòd de facto puniat ſemper citra condignum, & quia poſſet ſimpliciter illud condonare; & ex alia parte merita Chriſti habeant vim meritoriam infinitam, cui Deus non poſſit præmium non rependere, vt dictum eſt, ideo eſt multò maior condignitas operum Chriſti ad præmium, quàm ſit condignitas peccati ad pœnam. Sed odium, vel amor Dei cõmenſuratur operum dignitati. Ergo multò magis amat Deus opera ſatisfactoria Chriſti, quàm oderit, adeoque illi diſpliceat peccatum.

Dices, Deus non poteſt neceſſitari, ad

operandum ad extra. Sed collatio præmij eſt operatio ad extra. Ergo non poteſt ad illam ex operibus Chriſti neceſſitari; adeoque poteſt, non acceptatis operibus, nihil illi retribuere. Diſtinguo antecedens, non poteſt ab alio neceſſitari, concedo: à ſe ipſo, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Et ratio eſt, quia Deus pepigit pactum ſponte ſua cum æterno ſuo filio, vt ſi carnem aſſumeret, & mereretur pro homine, illi redderet in præmium, non ſolum eius redemptionem, ſed quidquid inſuper peteret, ad mundi ſpectans regimen, & Eccleſiæ à ſe fundandæ gubernationem. Ergo cùm filius conſenſerit patri, & acceptauerit pactum, cum titulo oneroſo incarnationis, & mortis, adimpleta conditione, non poteſt pater non dare quod promiſit. Et hæc eſt ratio, cur ſupra diximus, condignitatem operum Chriſti dicere etiam reſpectum ad pactum, & diuinam acceptationem, non quia ex hoc ſolo capite habuerint valorem ad præmium, ſed quia habuerint ſummam efficaciam, vt ſtatim, poſito operum valore, rependatur præmium, pro ſuo arbitratu. Quare illud pactum, ſeu promiſſio acceptationis, non dat operibus condignitatem, quam habent ex ſe, ſed ſolum efficaciam, & inimpedibilitatem.

Vrgebis, ergo quia valor operum Chriſti eſt infinitus, deberet defacto aſſequi infinitum præmium, vt ſit æquale

va-

valori. Nego conſequentiam propter traditam rationem, quia videlicèt ſpectabat ad ſummam dignitatem Chriſti merentis, vt præmium illi non rependeretur ad arbitrium retributoris, & iuxta proportionem arithmeticam meritorum, ſed pro arbitratu ſuæ voluntatis, ita vt nihil ei negaretur ſi peteret, & nihil daretur, quod non peteret, quod eſt multò maius quàm ſi illi connaturaliter rependantur infinita. Hoc enim modo, obligauit ſibi diuinam omnipotentiam, & totum genus humanum, illa vt ſibi conformaretur in operando ad extra, & hoc vt nihil poſſet ab illa obtinere, niſi per ipſum, quod valdè conducit ad eius dignitatem, vt ab omnibus tamquam caput, & donorum omnium largitor honoretur. Quamuis enim numquam obtineat præmium cathegorematicè infinitum, ſemper tamen meretur ſyncathegorematicè infinitum, quatenus quocumque obtento, poteſt adhùc obtinere maius, & maius, quin vmquam exhauriatur vis meritoria ipſius.

ARTICVLVS VI.

An Chriſtus ſatìsfecerit de toto rigore iuſtitiæ?

VIdetur non ſatisfeciſſe, vt contendũt Scotus, Durandus, Vaſquez, Gabriel,

briel, Becanus, Medina, Lorca, Delugo, Molina,& alij plures Primò quia de ratione iuſtitiæ eſt,quòd ſit ad alterum. Sed Chriſtus erat Deus, cui ſatisfaciebat, pro noſtris peccatis. Ergo non alteri,ſed ſibi ſatisfaciebat, adeòque non ex iuſtitia propriè dicta, ſed ſolùm analogicè, & ſimilitudinariè.

2. De ratione ſatisfactionis rigoroſæ eſt, vt fiat ex proprijs. Sed Chriſtus non ſatisfecit ex proprijs bonis humanitatis, ſed ex gratis acceptis ab ipſo Deo. Ergo quia ſatisfecit vt homo, non ſatisfecit ex iuſtitia

3. Rigoroſa iuſtitia exigit, vt ſolutio fiat ex bonis ita proprijs debitoris, vt nullo modo ſint ſub dominio creditoris. Ergo cùm omnia bona humanitatis, ſiue phyſica, ſiue moralia, eſſent ſub perfecto, & pleno dominio ipſius Dei,non potuit per illa fieri rigoroſa ſolutio.

4. Exigit, vt fiat ex bonis non debitis alio titulo creditori, vel quæ non poſſint alio titulo ab ipſo exigi. Cũ ergo Chriſtus deberet Deo ex alijs titulis, quidquid poterat illi ſoluere, eius ſolutio nõ erat ex iuſtitia rigoroſa, quia poterat alio titulo exigi à Deo.

5. Potuit Deus non acceptare ſimpliciter Chriſti ſolutionem, illaque non obſtante, poterat punire noſtra peccata, ad quorum relaxationem ex iuſtitia non tenebatur. Ergo Chriſti ſolutio non fuit ex rigoroſa iuſtitia, alitèr obligaſſet

Deum

Deum, ad illam acceptandam.

Concluſio. *Chriſtus ſatisfecit pro nobis de toto rigore iuſtitiæ commutatiuæ.* Ita communiter Thomiſtæ, cum Suario, Valentia, Arriaga, Granado, & alijs pluribus.

Probatur 1. ex plurimis locis ſcripturarum, vt ad Rom. 3. *Quam propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, in remiſſionem præcedentium delictorum.* Et ad Coloſſ. 2. *Delens chyrographum, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci, &c.* Sed hoc chyrographum nō deleuit Deus per liberalem condonationem, ſed Chriſtus per debiti ſolutionem. Ergo ſatisfecit de toto rigore iuſtitiæ. Aliter non fuiſſet neceſſaria incarnatio diuinæ perſonæ, cùm Deus potuiſſet pro ſuo beneplacito acceptare, ad condonandum debitum, quodcumque opus moraliter bonum cuiuslibet creaturæ rationalis, quod ſupra vidimus eſſe falſum.

2. Illa ſatisfactio eſt de toto rigore iuſtitiæ, quæ ſeruat omnes leges illius. Sed ſatisfactio Chriſti ſeruauit omnes leges, & conditiones requiſitas ad perfectam iuſtitiam. Ergo fuit ex toto rigore iuſtitiæ. Maior, & conſequentia ſunt euidentes. Minor patebit in ſolutione obiectionum, in quibus aſſignantur omnes conditiones requiſitæ, ad perfectam iuſtitiam.

3. Vidimus ar. 5. Chriſti ſatisfactionem,

nem, ex infinitate valoris eius meritorũ, non ſolùm fuiſſe ad æqualitatem, reponendo quod fuerat ablatum per offenſam, ſed etiam ſuperabundantem. Ergo cùm Deo non repugnet iuſtitia commutatiua, (vt fusè probaui in tract, de Deo vno diſp. 18. ar. 5.) Chriſti ſatisfactio fuit, de toto rigore iuſtitiæ commutatiuæ, quatenus Chriſtus ex iuſtitia exigebat præmium ſuorum meritorum, & Deus ex iuſtitia tenebatur illud rependere, ea planè ratione, qua D. Tho. 2. 2. q. 61. ar. 4. ad 1. ſuper illud Matth. 7. *Qua menſura menſi fueritis remetietur vobis*, egregiè docet. *Illa forma iudicij diuini, attenditur ſecundùm rationem commutatiuæ iuſtitiæ, prout ſcilicet recompenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis.*

Ad 1. Nego conſequentiam. Quamuis enim Chriſtus ſatisfecerit Deo, & ipſe eſſet Deus, quia tamen ſatisfactio non prouenit à Chriſto, vt erat Deus, ita vt ſolum eius diuinum ſuppoſitum in abſtracto ſatisfecerit, vt principium *quod*, ſed ab ipſo, vt erat Deus homo in concreto, & vt intrinſecè terminans humanitatem, ideo etiam ipſa humanitas, vt ſanctificata per ſanctitatē increatam, concurrebat ad ſatisfaciendum. Ergo cùm ipſa humanitas realiter diſtinguatur à Verbo, facit principium *quod* ſatisfaciens, realiter diſtinctum ab ipſo Deo, cui fiebat ſatisfactio. Atque adeo verè hęc ſatisfactio erat ad alterum, per omnimo-

nimodam adimpletionem huius primæ conditionis. Quomodo autem concurreret humanitas, ſiue *vt quo*, ſiue *vt quod*, videbimus infra, cum agemus de merito Chriſti. Sicut enim Chriſtus verè potuit mereri, ita & potuit ſatisfacere, eò quia potuerit nobis mereri de condigno, extinctionem noſtri debiti ad gehennam, & ius ad gloriam, cùm verè habuerit in ſe diſtinctionem naturarum, & voluntatum, in eiuſdem vnitate ſuppoſiti, quam videbimus non repugnare cùm ratione meriti.

Ad 2. Nego minorem. Quamuis enim perſona Verbi non eſſet debita humanitati, quia tamen per vnionem hypoſtaticam facta eſt illi propria, eo modo quo fuiſſet propria, eius naturalis ſubſiſtentia, cuius defectum ſupplebat diuina, quę cum illa vnita eſt, non in propriam, ſed in ipſius vtilitatem, ideo remanſit ſub eius proprietate, non quidem excellentiæ, quę remanſit apud Deum inamiſſibiliter, ſed proprietate vtilitatis, & quoad dominum baſſum, vt dicitur à iuris peritis, ipſius Chriſti, non verò quoad altum, ſicut ſunt propria quælibet bona cuiuſcumque creaturæ, quæ cùm fuerint à Deo, remanent ſub eius proprietate excellentiæ, & ſolùm fiunt propria quoad vſum, & vtilitatem. Cùm ergo Chriſtus ſatisfecerit per opera, vt dignificata per diuinam perſonam ſibi vnitam, ſatisfecit ex proprijs, eo genere proprie-

tatis, quæ poteſt communicari creaturæ. Neque obſtat, quòd actiones ſint ſuppoſitorum, nam ſuppoſitum non operatur vt in abſtracto, ſed in concreto; & ideo operatur cum natura à ſe ſuppoſitata. Multò minus quòd dignitas ſuppoſiti in Chriſto, ſit propria Dei, proprietate identitatis, quia cùm hæc proprietas vtpote alterius generis, poſſit ſimul eſſe, cum proprietate vtilitatis, ideo non aufert à Chriſto, ſufficientem ad merendum proprietatem, præſertim cum dignitas perſonæ Chriſti, non fuerit ab alio accepta, ſed erat ipſius propria, & naturalis. Ergo quia ipſa perſona facta eſt propria humanitatis, etiam dignitas ad ſatisfaciendum, erat propria humanitatis, quam ab alio extra ſe non emendicabat.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia actio, qua Chiſtus ſatisfecit, ita erat ſub dominio Patris, & Spiritus Sancti, vt eſſet etiam ſub æquali dominio ipſius perſonæ Chriſti ſatisfacientis, quæ ſimul cum alijs duabus, faciebat vnum dominum indiuiſum, & vnum creditorem. Ergo non erat ſimpliciter ſub dominio alterius; aliter non eſſent ſimul vnus, & idem Deus. Quòd ſi opponas cum Vaſquio, eſſe neceſſarium ad rigoroſam ſolutionem ex iuſtitia, non ſolum vt fiat ex proprijs, quæ non ſint ſub dominio creditoris, ſed etiam quòd bona quibus ſoluitur, non accipiant valorem ab ipſo creditore, cuiuſmodi videntur

fuiſ-

fuiſſe opera Chriſti, quæ habebant valorem à deitate, cui fiebat ſolutio. Reſpondeo, quòd perſona Chriſti, vt Deus, erat creditor, & vt terminans humanitatem erat ſoluens, & ſimul ex ſe dignificans ſua opera. Ergo eorum valor non erat ab alio, ſed ab ipſo operante.

Dices, iuſtitia debet eſſe ad alterum re diſtinctum. Sed perſona Chriſti, vt terminans naturam humanam, non eſt altera à perſona Verbi, vt in ſe ſubſiſtente. Ergo uon potuit illi ex iuſtitia ſatisfacere. Vnde infert Vaſquez, principium *quod* proximum fuiſſe ſolam naturam humanam, vt ſanctificatam deitate, ſeu diuino ſuppoſito, quod ait eſſe ſolùm principium remotum ſatifactionis, per communicationem idiomatum. Nego minorem. Quamuis enim perſona Verbi, in abſtracto ſit ſemper vna, & eadem, tamen in concreto eſt valde diuerſa. Siquidem vt terminãs ſolam naturam diuinam, non eſt compoſita, ſicut eſt vt terminans etiam naturam humanam, per quam terminationem facit compoſitum Chriſti, in quo eſt duplex natura, duplex voluntas, duplex libertas, adeoque iurium diuerſitas. Quia ergo perſona Verbi, vt ſatisfaciẽs, accipitur in concreto, & vt compoſita ex duplici natura, & vt creditor accipitur in abſtracto, vt in ſe ſola ſubſiſtens, ideo inter ſatisfacientem, & creditorem, datur ſufficiens diſtinctio ad iuſtitiam, licèt perſona diuina ſatiſfecerit vt principium

quod

quod proximum, ſimul cum natura humana, adeoque ſatiſfecerit vt Deus homo, ſicut ſtatuimus ar. 5.

Ad 4. Dico, antecedens eſſe verum, ſi procedat de titulis iuſtitiæ, cùm non poſſit vna ſolutio extinguere duplex debitum ex iuſtitia. Et ideo ſi debeo Caio centum aureos, ex titulo emptionis ipſius equi, non poſſum ſoluendo illos, extinguere aliud debitum, quod ex illo contraxi, ex titulo dotis, quam illi debeo, eo quia meam ſororem acceperit in vxorem. Si tamen procedat de alijs titulis, vt miſericordiæ, religionis, obedientiæ, gratitudinis &c. eſt omninò falſum, cùm ſit in confeſſo apud omnes, poſſe eamdem ſolutionem fieri ex iuſtitia, & obedientia; aliter non poſſent ſubditi recurrere ad ſuperiores, vt imperent debitori ſolutionem, quia vel non teneretur debitor obedire, nè obediendo faceret cōtra iuſtitiam, vel ſuperior non poſſet illam ſolutionem præcipere, quia per hoc ipſum redderet illam impoſſibilem, quæ ſunt abſurda. Cùm ergo Chriſtus ſatisfecerit morte, ad quam ex iuſtitia non tenebatur, eo quia mors ſoli peccato debeatur, licèt potuerit à Deo exigi, ex obedientia, miſericordia &c. ideo ſatisfecit ex rigore iuſtitiæ, cùm huiuſmodi tituli indicant obligationem diuerſi generis. Vnde intulimus in tract. de pæn. poſſe ſatisfieri, etiam per opera præcepta.

Dices cum Vaſqu. Si aliquis voueat

dare

dare templo centum aureos, & deinde ex contractu, vel delicto deberet eidem centum aureos, non poſſet vnica ſolutione, ſatiſfacere vtrique debito, licèt ex capite voti, non teneretur ex iuſtitia. Ergo non eſt vera doctrina.

Nego conſequentiam, Primò quia vouens obligatur ex iuſtitia, ſaltem ipſi Deo, ad reddendum quod vouit, & ideo poteſt à Deo cogi, & ni ſoluat, etiam puniri. Neque obſtat, quòd creditor non poſſit illum cogere, cùm votum illi non innoteſcat; ſiquidem ius actiuum in rem, non acquiritur, niſi per acceptationem, & conſenſum vtriuſque contrahentis, & ideo quia rectores templi, ob ignorantiam voti, non conſenſerunt, non fuit conſumata acquiſitio talis iuris. Cæterū ſi cognoſcatur votum, & rectores non diſſenſerint, poſſunt vouentem cogere ad ſoluendum, quod eſt ſignum obligationis deriuantis ex iuſtitia, quod euertit aſſumptum Vaſquij in antecedenti. Deinde hi tituli, cùm ſint eiuſdem generis, licèt nati ex diuerſa cauſa, non poſſunt ſubordinari. Ergo non tendunt in idem numero, ſed in omninò diuerſum Atque adeo illi centum aurei, qui ſunt obiectum voti, non ſunt obiectum contractus, & ideo debent geminari. At in caſu noſtro, cùm tituli ſint diuerſi generis, poſſunt ad inuicem ſubordinari; & ideo ſi Petrus debeat centum Caio ex iuſtitia, videndo eius paupertatem, etiam ex miſericordia

ad

ad illum ſubleuandum, poteſt illi ſolue-re quæ debet ex iuſtitia.

Ad 5. Nego antecedens, cùm oppoſitum ſtatuerimus ar. 5. Vnde corruit conſequentia.

DISPVTATIO V.

De merito Chriſti.

QVia Chriſtus Dominus pro nobis ſatisfecit, operibus meritorijs, ideo ad exactam intelligentiam quæſtionis de ſatisfactione, neceſſariò adnectendam puto queſtionem de merito, quod in hoc ſolo differt à ſatisfactione, quòd opus vt meritorium, reſpiciat prçmium, & vt ſatisfactorium, offenſam, & ideo idem opus poteſt eſſe ſimul & meritorium, & ſatisfactorium, vt probatum eſt in tr. de pæn. Quæremus ergo primò, an, & quomodo Chriſtus mereri potuerit? & deinde meritorum obiectum conſiderabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An, & quomodo Chriſtus mereri potuerit?

VIdetur, Chriſtus mereri non potuiſſe, Primò quia comprehenſores mereri non poſſunt, cùm ad merendum eſſen-

eſſentialiter requiratur ſtatus viæ. Sed Chriſtus à primò ſuæ conceptionis inſtanti, fuit comprehenſor, per viſionem beatificam. Ergo mereri non potuit. 2. Chriſtus non fuit liber, eo quia erat impeccabilis. Cùm ergo libertas ſit neceſſaria ad meritum, aliter actus naturales eſſent meritorij, mereri non potuit. 3. Chriſtus vt Deus non erat Deo ſubiectus. Ergo non habebat ſuperiorem, à quo reciperet præmium ſuorum operum, quæ proinde non erant meritoria. 4. Non poteſt aſſignari, per quos actus Chriſtus meruerit, quia vel erant actus proprij diuinæ perſonę aſſumẽtis, vel actus naturę aſſumptæ, vel vtrique communes? Non primi, quia erant diuini: neque ſecundi, quia natura humana non erat principiũ *quod* illorum, cui ſoli conuenit mereri: neque tertij, quia adęquatum eorum principium *quod* erat Verbum, quod mereri nõ poterat. Ergo per nullos actus potuit mereri. 5. Omne meritum ordinatur ad vitam æternam. Sed Chriſtus illam mereri non potuit, eò quia illam eſſentialiter habuerit, ex vnione cum diuina perſona. Ergo non meruit. 6. Eſt de ratione præmij, vt promiſſum moueat ad operandum. Sed Chriſtus non potuit moueri ex promiſſione præmij ad operandum, cùm dignitas filiationis naturalis, illum aſſiduò determinaret, ad operandum propter finem pręſtantiſſimum, nempe ob ſolam Dei gloriam, à quo re-
ceſ-

ceſſiſſet, ſi fuiſſet operatus ob ſpem prę-mij. Ergo quia meritum ordinatur ad pręmium, Chriſto nullatenus potuit conuenire.

Concluſio, *Chriſtus non ſolùm potuit mereri, ſed defacto propriiſſimè ſibi, & nobis meruit.* Eſt communis inter catholicos.

Probatur 1. ex Trid. Seſs. 6. c. 16. vbi dicitur, *Iuſtitia, qua iuſtificamur, illa eadem Dei eſt, quæ à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum.* & c. 7. *Iuſtificationis noſtræ cauſa ſunt, finalis quidem gloria Dei &c. meritoria autem Ieſus Chriſtus.* Deinde ad rationem meriti multa requiruntur, quæ omnia fuerunt in operibus Chriſti. Ergo meruit. Conſequentia tenet. Antecedens probatur, nam actus Chriſti fuerunt liberi, boni ex obiecto, à perſona Deo grata, & viatrice, habentes intrinſecè condignitatem ad præmium, & ex pacto, ſeu diuina promiſſione, vt patebit ſolutione obiectionum. Ergo fuerunt meritorij. Quid autem meruerint, videbimus infra, cum agemus de eorum obiecto, & præmio.

Ad 1, Diſtinguo minorem, Chriſtus fuit comprehenſor, cum excluſione ſtatus viæ, nego: cum eius incluſione, concedo minorem, & nego conſequentiam: Quamuis enim verè Chriſtus Deum videret per eſſentiam, adeoq; haberet beatitudinem eſſentialem, quia tamen à Deo impediebatur, nè illa redundaret in corpus, quod relinquebat mortale, & expo-

ſitum

ſitum paſſionibus, ideo non erat perfectè beatus, nec habebat beatitudinem vltimatè conſumatam, quæ ſola excludit ſtatum viæ. Præterea licèt anima quoad vim ſuperiorem frueretur Deo, quia tamen quoad vires inferiores triſtabatur, vt ipſemet faſſus eſt Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, ideo non erat perfectè beatus, quatenus beatitudo non expellebat à toto Chriſto miſeriam, & dolores. Vnde ſequitur, quòd ſimul erat viator, & comprehenſor, vt docent communiter theologi, cum D. Tho, 3 p. q. 15. ar. 10. Hoc non valet de animabus iuſtorum, qui fruuntur in cælo, quia licèt hæ non fruantur in corpore, quod putredini eſt ſubiectum, non ſunt cum illo vnicæ, & ideo eius putredine non triſtantur. Et deinde quia eorum corpus, vt ab illis ſeiunctum, non eſt viuum, & ideo nihil poteſt agere, per quod tendat ad beatitudinem; corpus autem Chriſti, quia erat vnitum cum anima, patiendo tendebat ad ſuam beatitudinem, quod eſt proprium viatoris, vt docet idem ibid, ad 3.

Ad 2. Nego antecedens. Quamuis enim Chriſtus non habuerit libertatem contrarietatis, per quam poſſet bene, vel malè operari, tamen habuit libertatem contradictionis, per quam poterat bene agere, vel non agere, & hoc, vel illud bonū, vt videbimus infra. Ergo habuit libertatem ſufficientem ad merendum.

Ad 3. Nego conſequentiam. Quamuis

enim

enim Chriſtus non mereretur vt Deus, quia vt talis non habebat ſuperiorem, tamen potuit vt Deus homo, quia vt talis, facit compoſitum Deo ſubiectum, non ſolùm ratione naturæ aſſumptæ, ſed etiam ratione vnionis cum illa; & ideo dicitur ad Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem.*

Ad 4. Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, Chriſtum meruiſſe per omnes ſuos actus, qui erant proprij viatoris, licèt prouenirent à perſona diuina, illos dignificante, cui erat eſſentialis beatitudo. Quinam verò fuerint huiuſmodi actus, examinabitur ar. ſequenti.

Ad 5. Nego minorem, Primò quia ex vi vnionis cum Verbo, non habuit eſſentialiter beatitudinem corporis, vt dictum eſt; aliter non potuiſſet pati, & mori, & nullo modo fuiſſet viator. Deinde quia cùm venerit, ad hominum vtilitatem, non ſolùm vt redemptor, ſed etiam vt glorificator, licèt ſibi nihil mereri potuiſſet, adhùc tamen potuiſſet nobis mereri, quod ſufficit ad ſaluandam rationem meriti. An autem aliquid ſibi meruerit, & quid, examinabitur infra.

Ad 6. Nego minorem. Quamuis enim Chriſtus, in omnibus ſuis operibus, reſpiceret vt finem vltimum gloriam Dei, tamen potuit etiam reſpicere alios fines illi ſubordinatos, nempe exaltationem ſui nominis, gloriam ſui corporis, & noſtram ſalutem. Cùm enim hæc ſint per ſe

hone-

honeſta, & omnia dirigantur ad gloriam Dei, poſſunt amari ex motiuo chariratis Dei, quod non ſolùm mouet, vt ametur Deus ſuper omnia, ſed & alia propter ipſum, vt infra videbimus;

ARTICVLVS II.

Per *quos actus, & quo tempore Chriſtus meruerit.*

1. CONcluſio. *Chriſtus meruit; non ſolùm per actum charitatis in Deũ, directum à ſcientia infuſa, diſtinctum ſpecie ab actu charitatis in eumdem; directo à viſione, ſed etiam per actum charitatis in homines, vt à ſe redimendos propter Deum.*

Probo primam partem, hic actus erat eſſentialiter liber, vtpote proueniens à ſcientia finita, non neceſſitante ad amorẽ obiecti cogniti. Ergo cum haberet omnes alias conditiones, requiſitas ad rationem meriti, quas ſupra recenſuimus, & eſſet à Chriſto, vt viatore erat meritorius. Quòd autem hic actus eſſet ſpecie diſtinctus, ab alio actu, quo Chriſtus amabat eumdem Deum, vt viſum, patet ex dictis in tr. de beat. Et præterea quia amor beatificus, vtpote directus à viſione, tendit in Deum, ſecundùm totam ſuam latitudinem, & ſub quacumque perfectibili formalitate conſideratum, eò quia voluntas moueatur ad illum amandum, propter illimi-

limitatam, & infinitam eius amabilitatem. Amor verò directus à ſcientia infuſa, vel tendit in Deum ſub ratione aliqua communi, ſummi boni imperfectè, & confusè cogniti, vel ſub aliqua ratione ſpeciali, vt miſericordis iuſti, &c, Ergo hæ tendentiæ non ſunt ad idem obiectum, eodem modo conſideratum, adeòque differunt ſpecie, propter diuerſitatem motiui formalis. Quòd ſi aliquis velit ſuſtinere, hoc non ſufficere, ad ſpecificam diſtinctionem *talium actuum*, poſſet etiam ſuſtineri, illos eſſe ſolo numero differentes, quatenus tendunt in idem obiectum, diuerſimodè applicatum, quod adhuc ſufficeret, ad veritatem concluſionis, quidquid reclamet Gonettus.

Dices 1. cum eodem, Non poſſunt duo accidentia ſolo numero differentia, eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Ergo ſi hi actus differrent ſolo numero, non poſſent ſimul eſſe in anima Chriſti. Et ideo ait, eſſe vnum formaliter actum, ſimul liberum, & neceſſarium per diuerſam terminationem ad obiectum. Sed quia hæc obiectio ſupponit quod eſt probandum, & quod probari non poteſt, ideo ſolo proſtratur, per ſolam negationem antecedentis, cùm nulla ſit ratio, cur ſaltem diuinitùs, plura accidentia ſolo numero differentia, in ſubiecto eſſe non poſſint, ſicut plura indiuidua in eadem ſpecie. Præterea vidimus in tr. de beat. non poſſe vnum, & eumdem actum eſſe ſimul neceſſarium, & libe-

liberum, propter diuerſam eſſentialē dependentiam à principio, indifferenti, & determinato. Ergò eſt etiam falſum quod ſubiungit.

Dices 2. Charitas numquam excidit, vt dicitur ad Cor. 13. Ergo idem actus charitatis, qui eſt in via, remanet in patria, quod verificari non poſſet, ſi eſſent duo actus ſpecie diuerſi. Nego conſequentiam, cùm dictum Apoſtoli debeat exponi de habitu charitatis, & nō de actu. Nullum autem eſt abſurdum, quòd idem habitus eliciat actus ſpecie diuerſos, vt probauimus in tr de beat. diſp. 4. ar. 5. ad 3.

Probo ſecundam partem, dilectio proximi fuit actus per ſe honeſtus, & liber in Chriſto, vt proueniens è directione ſcientiæ infuſæ, per quam non apparebat in obiecto, bonitas neceſſitans voluntatem, ad ſui amorem. Ergo erat ex ſe meritorius, quia nihil illi deerat ad rationem meriti. Neque obſtat, quòd Chriſtus vt beatus quoad animam, videndo omnia in Verbo ſibi vnito, videret etiam hominum miſeriam, vnde potuit excitari ad illos amandos. Siquidem hoc admiſſo, ſequeretur ſolùm, quòd etiam potuit habere charitatem in homines, directam à viſione, quo admiſſo, ſi dicatur, hunc actū fuiſſe liberum, & diſtinctum à charitate in Deum, admitto etiam quòd fuiſſet meritorius; ſin verò dicatur, fuiſſe neceſſariū, ſicut fuit amor Dei; dico, *illum non fuiſſe* meritorium, ex defectu libertatis.

Dic es

Dices, potuit hic actus, licèt vnus, & idem, eſſe neceſſarius, vt terminatus ad Deum, & liber, vt terminatus ad homines, Ergo vt terminatus ad homines, potuit eſſe meritorius. Conſequentia patet. Antecedens probatur primò, Deus eodem actu, quo ſe neceſſariò amat, liberè amat creaturas. 2. Eadem cognitio poteſt eſſe intuitiua, & abſtractiua, reſpectu diuerſorum. 3. Idem habitus theologiæ eſt ſimul practicus, & ſpeculatiuus. Ergo & idem actus poteſt eſſe liber, & neceſſarius.

Nego antecedens. Ad cuius primam probationem dicò, ideo Deum eodem actu, quo ſe neceſſariò amat, liberè amare creaturas, quia amor Dei eſt eſſe Dei, qui proinde non diſtinguitur in liberum, & neceſſarium, niſi ſecundùm terminationem ad obiectum, vt fusè proſecuti ſumus in tr. de diu. voluntate. Amor autem creatus, quia accidit amanti, ideo non diſtinguitur per terminationem, ſed per ſuam entitatem, quæ cùm ſit finita, non poteſt habere terminationes oppoſitas. Ad 2. Dico, intuitionem, & abſtractionem cognitionis potiſſimum haberi ab obiecto, quod ſi clarè per ſpeciem repræſentetur, determinat ad cognitionem intuitiuam, ſin autem, obſcurè, ad cognitionem abſtractiuam, quæ proide nullam habent ad inuicem oppoſitionem, ſeu contrarietatem, eò quia differant ſolùm ſecundum magis, & minus, vt di-

ximus in log. lib. 1. diſp. 3. ar. 10. ad 4. Et ideo non ſolùm reſpectu diuerſorum, ſed etiam reſpectu eiuſdem obiecti, poſſunt aſſociari. Neceſſitas autem, & libertas, quia habentur potiſſimum à principio, & à cognitione, ſiue indifferenti, ſiue determinata, non poſſunt in vnum coaleſcere, propter oppoſitionem, & contrarietatem, quam dicunt in operante, in ordine ad poſſe, vel non poſſe aliter operari. Ad 3. Nego antecedens, cùm in trac. de Deo vno, ſtatuerimus, habitum theologiæ eſſe adęquatè ſpeculatiuũ, & nullo modo practicum.

2. Concluſio, *Chriſtus meruit per omnes actus, quos elicuit, virtutum infuſarum, & per quemcumque actum liberum, etiam naturalem, quem elicuit vt viator, à primo inſtanti vitæ, vſque ad mortem incluſiuè.*

Probatur prima pars, quia omnes actus ab illo eliciti virtutum infuſarum, erant moraliter boni, liberi, & habebant omnes alias conditiones, requiſitas ad actum meritorium, vt patet. Ergo erant meritorij, vt fuere actus obedientiæ, religionis, orationis, humiliationis, &c. Probatur ſecunda, quia amor naturalis Dei, & quicumque alius actus virtutum acquiſitarum, immò & quicumque alius actus naturalis, vt comeſtio, ſomnus, labor, &c. qui liberè à Chriſto fiebat, referebatur ad finem ſupernaturalem, & licèt actu non referretur, ob dignitatem diuini ſuppoſiti, acquirebat proportio-

nem,

nem, valorem, & condignitatem ad præmium, vt ſupra dictum eſt, ſicut ipſa humanitas ita deificabatur, vt omnia alia dona illi deberentur,tamquam naturales proprietates Pobatur tertia, ingreſſus in mundum, hoc eſt in primo inſtanti ſuæ conceptionis, quia Chiſtus habuit perfectum vſum rationis, fuit ab illo liberè acceptatus, ad gloriam Dei, & mundi redemptionem, ex motiuo etiam obedientiæ, & religionis ad patrem æternum, cuius erat filius naturalis, vt colligitur ex illo Io. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundũ.* Ergo fuit actus meritorius. Quod idem dico de eius prædicatione, miraculis, paſſione, & omnibus alijs. Ergo in omnibus merebatur. Et ratio eſt, quia in primo vitæ inſtanti habuit ſcientiam infuſam, qua clarè cognoſcebat diuinam bonitatem, ſimul cum viſione, qua illam intuebatur, & plenitudinem gratiæ impellentis ad actus honeſtos. Ergo ſtatim potuit, non ſolùm vt comprehenſor amare Deum, ſed etiam vt viator, amare ſuum ſtatum miſerijs obnoxium,in mundi redemptionẽ,ob gloriam Dei,qui ſunt actus meritorij, & nulla in illo indigebant temporis ſucceſſione. Probatur vltima, quia inſtans mortis, erat vltimus vitę terminus intrinſecus. Ergo nulla eſt ratio, cur per talẽ actum, quo voluit mori, & de facto mortuus eſt, ad obediendũ patri, non meritus fuerit; & ideo dicitur ad Phil. 2. *Factus obediens vſque ad mor-*

tem, mortem autem crucis, propter quod [cut off]
Deus exaltauit illum, &c. comprehende[cut off]
do etiam mortem, vt cauſam meritoria[cut off]
exaltationis. Deinde redemptio fuit il[cut off]
conceſſa, in præmium meritorum. Erg[cut off]
quia communiter à patribus redempti[cut off]
tribuitur eius morti, & actioni maximè
omnium redemptiuæ, vt ait Aug. tr. 15.
in Io. O *mors, vnde mortui reuiuiſcunt*, &
canit Eccleſia, *mortem noſtram moriendo*
deſtruxit, eius fuit mors maximè merito-
ria.

Dices cum Gonetto, In inſtanti mortis, non fuit anima vnita corpori, ſed ſeparata. Ergo non fuit viuus, adeoque non erat viator. Diſtinguo antecedens, in inſtanti intrinſeco, nego: in extrinſeco, concedo antecedens, quia inſtans extrinſecum erat primum inſtans, poſt actum moriendi, in quo ceſſauit ſtatus viæ, adeoque meriti; inſtans verò intrinſecum fuit vltimum vitæ inſtans. Sicut ergo meruit in primo vitæ inſtanti, in quo eius anima vniebatur corpori, ita meruit in vltimo, inquo anima à corpore ſeparabatur, in quo poterat quidem dici, quòd moreretur, non verò quòd eſſet mortuus, quod ſolùm fuit verificatum in alio inſtanti ſequenti. Et ſic conciliantur auctores quoad hoc.

AR-

ARTICVLVS III.

An Chriſtus meruerit ſibi beatitudinem eſſentialem, & gratiam habitualem?

VIdetur meruiſſe, vt contendunt Albertus, Mairo, Baſſolis, & Gugliel. de Rubione, Primò quia perfectius eſt habere aliquid ex merito, quàm ſine illo. Sed Chriſto tribuere debemus, quod eſt perfectiùs, ſi nihil obſtet. Ergo cùm potuerit haberè vtramque ex merito, & nihil obſtet, dicendum eſt, vtramque ſibi meruiſſe, 2. Chriſtus per motum liberi arbitrij, ſe diſpoſuit ad vtramque recipiendam, vt docet Angelicus hic q. 34. ar. 3 Sed diſpoſitio eſt cauſa illius, ad quod diſponit, vt idem docet 1. p. q. 62. ar. 2. ad 3. Ergo cùm Chriſti diſpoſitio fuerit ſupernaturalis, & perſonæ Deo gratæ, & prior natura ipſa gratia, fuit vera cauſa meritoria illius. 3. Ita ſe habuit Chriſtus ad hæc, ſicut ad ſuam ſanctificationem. Sed fuit ſanctificatus ex propria diſpoſitione, tamquam per modum perfectiorem ſibi conuenientem, adeòque meruit ſuam ſanctificationem. Ergo etià gloriam, & gratiam. 4. Chriſtus habuit actum ſcientiæ infuſæ, diſtinctum à viſione, & actum voluntatis humanæ, diſtinctum à voluntate Verbi diuini, etiam ab ini-

initio, Ergo potuit per illos diſponi, & mereri gloriam, & gratiam.

Concluſio. *Chriſtus non meruit ſibi gratiam habitualem, & gloriam animæ eſſentialem, quamuis abſolutè loquendo potuiſſet illas mereri.* Ita Suarius hic diſp. 4. ſect. 1. & 2. quem ſequitur Gonettus diſp. 21. ar. 5.

Probatur prima pars (non quia vtraque connaturaliter, vt proprietas ſequeretur ex vnione, vt aliqui dicunt, cùm etiam gloria corporis taliter ſequeretur, licèt illam meruerit, vt infra) quia vel meruiſſet gratiam habitualem per actus præuios ad illam, vel per actus conſequentes? Non primùm, quia cùm actus præcederent omnem gratiam, fuiſſent purè naturales, vtpote pendentes à ſola cognitione naturali, & voluntate ab illa directa. Sed hi actus non fuerunt in Chriſto, primò quia in primo conceptionis inſtanti, non habuit cognitionem purè naturalem, quæ cùm pendeat à phantaſmatibus, debet eſſe illis poſterior. Et deinde quia licèt admittatur hæc cognitio, vt infuſa, & independens à phantaſmatibus, hæc non potuit eſſe cauſa cognitionis ſupernaturalis, qua Chriſti anima Deum videbat. Ergo non potuit eſſe prior illa, prioritate naturæ; & multò minùs prioritate temporis, quia ratione vnionis, debebatur Chriſto connaturaliter viſio, ſeu cognitio ſupernaturalis. Ergo ſicut vnio præceſſit omnem cogni-

tio-

tionem,ita viſio præceſſit omnem cognitionem naturalem, reſpectu cuius habuit potiùs rationem cauſæ, quàm effectus. Neque poteſt dici ſecundum, quia cùm meritum ſit cauſa, & via ad præmium, debet eſſe illa priùs, ſaltem natura. Sed actus poſteriores gratia, ex qua dignificantur ad merendum, non poſſunt eſſe cauſa ipſius gratiæ dignificantis, aliter effectus cauſaret ſuam cauſam. Ergo non potuit illam mereri, de lege ordinaria per tales actus.

Neque obſtat,quòd aliquando opus vt præuiſum, potuerit efficere aliquid de præſenti, vt diximus in tr. de præd. Siquidem cùm hæc præuiſio ſit actus eſſentialis Dei, ſpectabat ad Chriſtum, vt dicentem diuinam perſonam; adeòque fuiſſet identificata,cum obiecto primario eius viſionis, quæ proinde etiam vt talis,præceſſiſſet omnem eius cognitionem naturalem,qua Chriſtes erat meriturus,adeòque abſtuliſſet ab illo rationem meriti, reſpectu gratiæ habitualis, connaturaliter reſultantis ex viſione, quæ fundatur in vnione. Hoc non valet de præuiſione noſtrorum operum, quæ cùm ſit diuina, & penitùs diſtincta ab operante, non tollit ab illo virtutem meritoriam, quam ſolùm attingit extrinſecè, & potiùs reſpectu illius,vt actu operaturæ,habet rationem poſterioris, vt ibid diximus, ſolum ſecundùm terminationem, & denominationem.

Sed neque potuit mereri beatitudinẽ eſſentialem animæ. Primò quia nullus actus intellectus prior fuit in Chriſto viſione Dei, prioritate naturæ, non ſolùm, quia ſpectabat ad eius dignitatem, & perfectionem; vt prima eius operatio eſſet viſio Dei, ſed etiam quia lumen gloriæ eſt prima proprietas, conſequens ad gratiam conſumatam, cuiuſmodi eſt gratia, quæ reſultat ex vnione phyſica cum Deo. Ergo priuſquam Chriſtus intelligatur operari vt viator, intelligitur formaliter vt beatus, ſecundum animam, adeoque eius beatitudo eſſentialis, quia pręcedit omnes eius actus meritorios, non potuit cadere ſub eius meritum. Præterea prius eſt, regulariter loquendo, quòd natura rationalis ſubſiſtat in ſe, quàm quòd liberè operetur, & ideo etiam in diuinis, neceſſaria ſunt priora liberis, & prius Deus ſubſiſtit in perſonis, quàm operetur ad extra. Ergo priùs natura humana Chriſti, debuit habere diuinam ſubſiſtentiam, per quam in ſe terminaretur, & ſuppoſitaretur, quàm quòd liberè, adeoque meritoriè operaretur. Sed per terminationẽ intrinſecam diuinę ſubſiſtentiæ, debuit habere omnes proprietates, quę connaturaliter cõſequuntur ex tali vnione, & intrinſeca terminatione, cuiuſmodi ſunt beatitudo eſſentialis, & gratia habitualis. Ergo prius illas habuit, quàm mereretur, adeòque non potuit illas mereri, ex ſuppoſitione quòd illas de facto

ha-

habuerit, & quòd Deus illas non impedierit, ſicut de facto impediuit ad finem redemptionis humanæ, redundantiam beatitudinis in corpus.

Probatur ſecunda pars, gratia habitualis, & beatitudo eſſentialis, licèt connaturaliter exigantur ab vnione hypoſtatica, non tamen ſunt cum illa eſſentialiter connexæ. Ergo poſſunt ſimpliciter ſeparari, adeo vt ſicut dantur de facto in ſanctis, ſine tali vnione, ita daretur vnio in Chriſto ſine illis, cùm Deus, ſaltem ad tempus, poſſit abſolutè loquendo, rerum exigentijs non ſatisfacere, ſicut de facto non ſatisfecit exigentię, quam habebat beatitudo animæ Chriſti, vt redundaret in eius corpus. In tali caſu potuiſſet Chriſtus per ſcientiam infuſam, & auxilia interna Dei ita operari, vt mereretur hæc dona. Ergo potuit illa ſimpliciter mereri. Quando ergo diximus, quòd Chriſtus illa non meruerit, nec mereri potuerit, locuti ſumus, ex hypotheſi, quòd illa de facto habuerit, in primo ſuæ conceptionis inſtanti. Non deſunt tamen qui ſuſtineant, quòd etiam in caſu quòd illa habuerit, potuerit illa abſolutè mereri, vt Gonettus, Gibbo, & alij, quorum vnicum fundamentum eſt, quia coexiſtentia temporaria non repugnat, quo minus actus honeſtus ſupernaturalis, mereatur præmium, pro illo eodem inſtanti, quo illud habet, vt patet in augmento gratię, quod datur in præmium

actuum intenſiorum ipſo habitu ſupernaturali, licèt actus, & augmentum ſint in eodem inſtanti reali, ita tamen, vt actus ſit prior natura ipſo augmento. Quamuis enim de lege ordinaria, ſcientia infuſa, vt de facto accidit, præſupponat in Chriſto gratiam habitualem,& viſionē beatificam, tamen potuit à Deo aliter fieri, ita vt illa eſſet priùs natura, quàm hæ, quæ proinde rependerentur in præmium illorum actuum, quos Chriſtus potuiſſet elicere per talem ſcientiam, & gratiam internam actualem.

Sed hæc opinio mihi non probatur, primò quia fieri non poteſt, vt aliquis ſit in termino, & ad illum moueatur. Ergo ſi Chriſtus ab initio fuit in termino ſuæ beatitudinis eſſentialis, non potuit ad illum merendo moueri. Neque valet effugium Gonetti, quod hic motus eſſet inſtantaneus, ſiquidem alibi ſæpe probauimus, omnem motum eſſe eſſentialiter ſucceſſiuum. Ad inſtantiam de augmento gratiæ, dico illud fieri in inſtanti reali ſequenti ad meritum, & non in eodem, vt patebit in loco. Deinde quia meritum debet eſſe ſimul cum ſpe præmij aſſequendi; ſpes autem non poteſt eſſe de eo, quod actu habetur. Verum de hoc fuſius alibi.

Vnde patet ſolutio primi. Cum enim Chriſtus de facto habuerit hæc dona ab initio, & numquam fuerit ſub eorum priuatione, non potuit illa mereri, quamuis

potuiſſet ſimpliciter, ſi aliquando illis caruiſſet.

Ad 2. Nego maiorem, cùm ſit eadem ratio de merito, & diſpoſitione, vt optimè probat Suar. hic diſp. 40. ſect. 2. ad 2. Ad auctoritatem D. Thomæ dico cùm, eodem ibid. illum eſſe locutum, non de diſpoſitione præuia per modũ cauſæ præparantis animam, ſed de conſequente, quę ſit veluti ornans, & conſumans ipſam ſanctificationem, eo modo quo actus primus perficitur à ſecundo. Quamnis enim, diſpoſitio, ex vocis inſtitutione, videatur ſignificare aliquid præuium, tamen aliquando accipitur etiam pro effectu, inquantum hic ornat, & vltimatè perficit ſubiectum, in quo cauſa eſt operata, vt apertè docet idem D. Tho. hic q. 9. ar. 3. ad 2. in quo ait, *diſpoſitio ſe habet ad perfectionem dupliciter, vno modo ſicut via ducens ad perfectionem: alio modo ſicut effectus à perfectione procedens*. Et poſt multa concludit, *In Chiſto ſimul cum ſcientia beatitudinis, manet ſcientia indita, non quaſi via ad beatitudinem, ſed quaſi per beatitudinem confirmata*.

Vnde patet ſolutio tertij. Cùm enim Chriſtus haberet ſanctitatem increatam, independenter ab omni ſua diſpoſitione, etiam eius ſanctificatio, immediatè proueniens à ſanctitate Verbi, exqua habuit gratiam habitualem, fuit taliter independens. Ergo retorquetur argumentum.

Ad 4. Nego conſequentiam, cùm

ſcientia infuſa, & actus voluntatis per illam regulatus, fuerint poſteriores viſione beata, & gratia habituali, vt proprietatibus vnionis hyppoſtaticę. Ergo non potuerunt ad illas habere rationem præuię diſpoſitionis, & cauſæ meritoriæ.

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus meruerit beatitudinem ſui corporis?

VIdetur Chriſtus nihil ſibi meruiſſe, vt garriebat Caluinus lib. 2. inſt. c. 17. Primò quia dicitur ad Rom. 4 *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Ego meruit nobis, & non ſibi; & ideo eius charitas in homines adeo exaltatur, quia fuit purè liberalis, & nullo modo illi proficua. 2. Gloria corporis ſequitur ex gloria animæ, quæ proinde eſt eſſentialis, cùm alia ſit ſecundaria, & accidentalis. Ergo cùm illa non fuerit ex meritis, neque hęc. 3. Intantum gloria corporis non illud beatificauit, inquantum fuit hoc impeditum à Deo vt, poſſet pati, & mori. Ergo Chriſtus non potuit mereri talem gloriam, ſed ſolùm vt Deus illam non impediret, qnod eſt mereri indirectè, vt opinatur Scotus. 4. Quod eſt debitum, non cadit ſub meritum. Sed Chriſto ratione vnionis, erat debitum omne bo-

bonum ſibi conueniens. Ergo nihil poterat ſibi mereri.

Concluſio, *non ſolùm Chriſtus meruit ſibi gloriam ſui corporis, & exaltationem ſui nominis, ſed etiam iudiciariam poteſtatem, dignitatem capitis moralis omnium hominum, & mundi dominium,* Eſt communis inter catholicos, licèt diſcrepent in modo id explicandi.

Probatur e ſacris paginis. Nam dicitur Lucę 24 *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Ergo meruit ſibi gloriam, non animæ, vt dictum eſt. Ergo corporis, Et ad Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum &c propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, &c.* Ergo meruit exaltationem ſui nominis. Et Matth vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Ergo factus eſt princeps, & dominus totius mundi. Et 1. ad Cor, 15. ſub med: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Moriuntur autem omnes in Adam, quia cum eſſet caput hominum phyſicum, & morale in ordine naturæ, eius peccatum tranſijt in omnes. Ergo quia omnes viuificantur in Chriſto, eius merita omnibus proſunt, qui volunt illa ſibi applicare, vt videbimus, & meruit fieri caput omniũ, in ordine gratiæ. Et ideo dicitur pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam & poſſeſionem tuam terminos terræ.* Ergo me-

meruit ſibi hæc omnia.

Ad 1. Nego conſequentiam, cùm ſimul potuerit Chriſtus mereri nobis, & ſibi, quamuis finis eius incarnationis fuerit noſtra redemptio, & ſalus, nempe vt nobis mereretur vtramque, quod non tollit, quò minus hunc finem aſſequeretur per opera, quæ vt erant infiniti valoris, etiam ſibi condignum præmium merebantur. Hoc autem nihil minuit de eius liberali in homines charitate, primò quia eius præmiũ fuit ſolum intentum ſecundario. Et deinde quia per hoc ipſum ſibi Chriſtus merebatur, quia noſtram promouens ſalutem, quam vnicè vt finẽ ſibi præſtitutum intendebat, nobis merebatur. Ergo prius erat quòd nobis mereretur, quàm ſibi, ſaltem ſecundum eius intentionem, adeo vt etiamſi nihil ſibi reciperet vtilitatis, adhuc fuiſſet proſecutus noſtram redemptionem.

Ad 2. Nego conſequentiam. Cùm enim de facto gloria corporis non fuerit in Chriſto, niſi poſt mortem, ideo potuit cadere ſub eius meritum, ſicut diximus de gloria eſſentiali, in caſu quo actualiter non fuiſſet Chriſto collata. Vnde apparet ſumma eius in homines beneuolentia, ratione cuius, voluit priuare ad tempus ſuum corpus, gloria illi connaturaliter debita, vt pro hominibus pateretur, quod facere non potuiſſet, ſi ab initio habuiſſet corpus glorioſum.

Ad 3. Nego conſequentiam. Cùm e-
enim

nim perſona Chriſti eſſet Deus, indiuiſim cum alijs ad extra operabatur. Ergo hoc impedimentum, nè gloria animę redundaret in corpus, fuit volitum ab ipſo Chriſto, vt nuper diximus; & ideo eius negatio non potuit ab ipſo intendi; aliter intendiſſet contradictoria; & multò minus potuerunt ab ipſo fieri actiones meritoriæ, quæ dirigerentur ad eius aſſecutionem in via. Quare argumẽtum Scoti non vrgeret, niſi in caſu, quo reluctante Chriſto, voluiſſet Deus illi gloriam corporis impedire. Cùm ergo de facto non fuerit reluctans, ſed conſentiens, ſuis operibus, non indirectè, ſed directè meruit gloriam ſui corporis, poſt mortem conſequendam, licèt debitam, & nullus eius actus meritorius fuit directus, ad ablationem talis impedimenti, tamquam ad finem proximum, & immediatum. Nam vel ad illam dirigeretur, vt conſequendam in via, vel vt conſequendam in patria? Non primum, quia vel mereretur quod nollet, vel eius meritum non eſſet efficax, quia non aſſequeretur præmium, quod peteret, vt ſibi debitum de condigno, quod repugnat eius valoris infinitati. Neque ſecundum, quia ceſſante fine impedimenti, ceſſat impedimentum. Ergo cùm fuiſſet à Deo volitum hoc impedimẽtum ad tempus, nempe pro curſu eius viæ, illo ceſſante, gloria corporis connaturaliter debeatur Quomodo autem hoc non obſtante, repen-
de-

deretur in prẹmium eius meritorum, mox patebit ſolutione quarti.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, quod eſt debitum, non cadit ſub meritum, ſi ſit habitum, & poſſeſſum, concedo: ſi non ſit habitum, nego maiorem Et admiſſa minori, ſub eadem diſtinctione, nego conſequentiam. Cùm enim connaturalitas non repugnet merito, potuit Chriſtus mereri quod actu non habebat, licèt ſibi eſſet debitum, eo modo, quo filius poteſt optimè geſtis, mereri à patre hæreditatem, licèt iure ſucceſſionis debitam, cùm idem poſſit eſſe debitum duplici titulo, vt innuit Pſaltes pſ.2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, nempe titulo filiationis, & precum.

Dices, dominium, & dignitas capitis debebantur Chriſto, radicaliter ex vnione hypoſtatica, & proximè ex gratia habituali. Ergo cùm illas non meruerit, vt diximus ar. 3. neque meruit hæc.

Nego conſequentiam. Quamuis enim verè ex capitibus aſſignatis, & independenter à meritis, habuerit Chriſtus vt homo, poteſtatem dominandi ſuper vniuerſum orbem, & capitis dignitatem, vt fuse probabimus infra, cùm agemus de eius gratia, tamen quia non habebat earum vſum, qui erat in illo veluti præpeditus, ex diuina ordinatione, qua voluit illum in ſtatu paupertatis, humilitatis, & obedientiæ, ad mundi redemptionem, ideo potuit ſibi illas mereri, quoad v-

ſum

ſum, & exercitium, vt docet hic Suar. diſp. 40. ſect 3. in fine, cum D. Bernardo lib, 3. de conſiderat. Sicut enim acquiſiuit iudiciariam poteſtatem, licèt radicaliter debitam, vt dicitur Io. 5. *Dedit illi iudicium facere, quia filius hominis eſt*, ita & Regis, & capitis dignitatem. Et hoc modo conciliantur auctores, qui videntur oppoſita opinari. Siquidem negantes, huiuſmodi dignitates fuiſſe Chriſto collatas, ex eius meritis, intelligendi ſunt, quoad radicem, & proprietatem talium dignitatum, & affirmantes, ſunt exponendi, quoad vſum earum, qui ſolus fuit collatus in præmium meritorũ. Quamuis enim dignitas in radice, connaturaliter exigeret vſum, , quia tamen hic potuit retardari, ideo potuit fieri præmium meritorum, vt diximus de gloria corporis.

ARTICVLVS V.

An Chriſtus vt homo meruerit, vel mereri potuerit vnionem hypoſtaticam cum Verbo?

VIdetur primò, quòd Chriſti humanitas potuerit abſolutè mereri, ſaltem de congruo, incarnationem, vt docent Caietanus, Lorca, Lugo, Gibbo, cum ſuo Bernardino, & alij, Primò quia non repugnat, Chriſti humanitatem conſeruari

uari potuiſſe, ſaltem pro priori *naturæ* ad ſubſiſtentiam increatam, & pro illo ſigno informari illa gratia habituali, quã de facto habuit, vt Verbo vnita. Sed in tali ſigno potuiſſet liberè operari, eiuſque opera fuiſſent meritoria, ſaltem de congruo, vnionis hypoſtaticę. Ergo potuit illam ſimpliciter, & abſolutè mereri, ſaltem de congruo. Deinde, quia potuit Chriſti humanitas ſe diſponere ad talem vnionem, vel per modum diſpoſitionis exigentis ex natura rei, & connaturaliter vnionem, vel per modum diſpoſitionis neceſſariò prærequiſitæ, vel per modum diſpoſitionis illam *ornantis*, vt fiat congrua ad talem formam. Sed hæc diſpoſitio quomodocumque èxplicetur, meretur aliquo modo *talem vnionem*. Ergo potuit illam mereri, ſaltem de congruo.

Videtur ſecundò, quòd illam de facto meruerit, etiam de condigno, vt putarunt Origenes, Neſtorius, & Photinus, vel ſaltem de congruo, non quidem meritis præuijs, ſed conſequentibus ad ipſam vnionem, præuiſis tamen, quod probabile putant Suar. hic. diſp. 10. ſect. 4. *Ruiz*, & Conink. Eorum fundamenta poſſunt eſſe, Primò quia licèt de facto principium meriti non cadat ſub meritum, loquendo tamen de poſſibili, potuit cadere. Cùm ergo principium totius meriti, ſit vnio hypoſtatica, potuit cadere ſub meritum Chriſti, ſicut multi dicunt,

ce-

cecidiſſe ſub meritum Virginis, & Sanctorum, qui fuerunt ante Chriſtum. Deinde Pſal 44 dicitur: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ*. Quæ verba referri ad Chriſtum, adeoque per vnctionem intelligi vnionem hypoſtaticam, exponunt Aug. Anſelmus, & Beda. Ergo quia per ly, *Propterea* denotatur cauſalitas, ideo inferunt, Chriſtum ſibi meruiſſe vnionem hypoſtaticam. 3. Apoc. 5. dicitur. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*. Vbi ly, *qui* habet vim cauſalis, vt patet ex eodem capite, vbi dicitur, *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es*. 4. Meruit Chriſtus reparationem vnionis hypoſtaticæ in reſurrectione, quam per mortem amiſerat, & illius conſeruationem in Cælo. Ergo etiam illam primò meruit, cùm militet eadem ratio. 5. Perfectiùs eſt accipere aliquid ex merito, quàm ex dono. Ergo quia Chriſto debemus tribuere perfectiorem modum habendi vnionem hypoſtaticam, dicendum eſt, illam ſibi meruiſſe. 6. Subſiſtentia non per ſe influit, ſed ſolùm concomitanter ſe habet ad operationes naturæ. Ergo natura humana Chriſti, ſaltem pro priori naturæ, ad Verbi ſubſiſtentiam, potuit mereri vnionem cum illa. 7. Potuit Chriſtus mereri gloriam ſui corporis, vt dictum eſt ar. 4. quamuis illa eſſet connaturaliter debita, beatitu-

titudini eſſentiali animæ. Ergo licèt ad talem vnionem, ſit connaturaliter debita carentia diſpoſitionis, potuit tamen illa in Chriſto dari.

Concluſio. *Chriſtus vt homo, neque per actus prauios, neque per actus ſubſequentes, meruit, ſiue mereri potuit vnionem hypoſtaticam cum Verbo, ſiue de condigno, ſiue de congruo.*

Probatur prima pars, primò ex Aug, enchir. c. 36. docente. *Quidnam natura humana in homine Chriſto meruit, vt in vnitatem Perſonę vnici filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ bona voluntas, quæ bona opera præceſſerunt, quibus mereretur iſte homo vt vna fieret perſona cum Deo?* Et ſer, 9. in Matth. *Quid meruit homo ille, qui Chriſtus eſt? Si tollas gratiam, & tantam gratiam, quæ unum oportebat eſſe Chriſtum, & ipſum eſſe, quem nouimus? Tolle gratiam iſtam, quid eſt Chriſtus, niſi homo?* Et de præd. SS. c. 15. & alibi ſæpe idem aſſerit. 2. Cùm actiones ſint ſuppoſitorum, vt alibi ſæpe probaui, priùs debet intelligi natura, vt ſuppoſitata, & vltimatè completa in ſuo eſſe ſubſtantiali, quàm operetur; Sed natura humana Chriſti, non habuit aliam ſubſiſtentiam quàm diuinam. Ergo priùs debuit eſſe ab illa ſuppoſitata, per vnionem intrinſecam, quàm potuerit operari, & mereri. 3. Principium meriti non potuit eſſe poſterius ipſo merito, aliter effectus præceſſiſſet ſuam cauſam. Ergo cùm

cùm vnio hypoſtatica fuerit principium omnis meriti, non potuit eſſe poſterior, adeoque præmium vllius meriti. 4. Omne meritum ordinatur ad beatitudinem, quæ adæquat omne meritum finitum. Ergo non poteſt extendi ad vnionem hypoſtaticam, quę ſuperat beatitudinem. Sed ſi Chriſtus meruiſſet ante vnionem, eius merita fuiſſent finita, vtpote non dignificata diuina perſona ſibi vnita. Ergo non potuiſſent mereri, niſi vnionem intentionalem cum Deo, in quo conſiſtit formalis beatitudo, non autem phyſicam, ſicut eſt hypoſtatica, quæ ex hoc ipſo eſt maior, & dignior formali beatitudine.

Probatur ſecunda, primò quia præmium eſt effectus meriti. Ergo non poteſt præcedere ipſum meritum, quod proinde non poteſt eſſe poſterius. 2. Merita eſſentialiter pendentia ab vnione, accipiunt ab illa valoris infinitatem. Ergo non poſſunt ad illam extendi; nam vel extenderentur, ſecundùm propriam condignitatem, vel ſecundùm dignitatem, quam accipiunt à perſona vnita? Non primum, quia præciſa dependentia ab vnione, eſſent valoris finiti, adeòque non poſſent extendi ad id, quod ſuperat omne præmium cuiuſcumque meriti finiti. Neque poteſt dici ſecundum, quia principium dignificans operantem, non poteſt cadere ſub meritum ipſius operantis, aliter non operaretur vt dignificatus, ſed vt per opus dignificaretur, adeòque opus

non

non eſſet dignum,niſi præmio, quod correſpondet merenti finito, & merito valoris finiti,vt nuper diximus, quod numquam attingit perſonam infinitam dignificantem, quæ non poteſt cadere ſub meritum valoris finiti, & limitati.

Probatur tertia, nulla operatio poteſt, etiam de potentia abſoluta, mereri ipſum operantem, & multò minus ſeipſam. Sed ſi operationes Chriſti, antecedentes ad vnionem, illam meruiſſent, meruiſſent ſe ipſas, & operantem. Ergo nulla operatio Chriſti potuit mereri ſuam vnionem hypoſtaticam. Maior patet, cùm repugnet in terminis,eamdem numero operationem, eſſe cauſam, & effectum ſui ipſius. Minor probatur, *Chriſtus* eſſentialiter conſtituitur ex vnione naturæ humanæ, cum diuina. Ergo qui meretur talem vnionem, meretur ipſum Chriſtum, ſicut qui meretur vnionem animæ Petri, cum eius corpore, meretur ipſum Petrum. Atque adeo quia loquimur de meritis Chriſti, ſi hæc antecedenter ad vnionem hypoſtaticam, extendantur ad ipſum Chriſtum, qui proinde mereretur ſeipſum, & ſic eſſet meritum, & præmiũ ſui, & penderet à ſeipſo, tamquam à cauſa meritoria, quo nihil abſurdius. Præterea ipſum meritum extenderetur ad ſeipſum. Cùm enim ſit impoſſibile produci effectum, ſiue formam, ſine eius effectu formali, & effectus formalis meritorum Chriſti, vt ſunt formaliter meri-

rita, ſit eorum valor infinitus, prouenïens ab vnione cum Perſona infinita, dignificante naturam humanam merentem, ſi Chriſti opera mererentur talem vnionem, mererentur ſuum effectum formalem, adeòque ſe ipſa, cùm effectus formalis intrinſecus non diſtinguatur à ſua cauſa formali.

Probatur quarta ex eodem principio, quia quod præcedit per modum diſpoſitionis, ſeu meriti de congruo, eſt ſuo modo cauſa conſequentis. Ergo ſi Chriſti actiones ita ſe habuiſſent ad vnionem, rediret abſurdum mox inculcatum, aduerſus meritum de condigno. Præterea actiones Chriſti, vel eſſent meritoriæ, vt dignificatæ immediatè ab ipſa gratia vnionis, vel à gratia habituali ab ipſa conſequente? Si primum, ergo eſſentialiter penderent ab ipſa vnione, vt à principio præſuppoſito, quod proinde non poſſet eſſe eorum præmium. Si ſecundum, cùm hæc gratia eſſet ſolùm data, vt natura Verbo vnita, connaturaliter operetur, per principium ſibi intrinſecum, eſſet veluti effectus, ſeu proprietas vnionis. Ergo illā, & neceſſariò, eſſentialiter præſupponeret, adeoque rediret argumentum, cùm effectus non poſſit eſſe diſpoſitio ad ſuam cauſam. Item hæc gratia vt de facto collata, tamquam conſequens ad vnionem, non mouit Deum, ad conferendam vnionem ſubiecto illius. Ergo neq; poteſt mouere, cùm eadem inuariata,

non

nō poſſit tranſire, à non eſſe motiuam, ad eſſe motiuam, etiam moraliter, vt probat Vaſq. diſp. 41. c. 3. Quod ſi fingamus, illam potuiſſe dari antecedenter ad vnionem, non quidem realiter, ſed pro priori naturæ, dico quòd etiam in tali caſu non promouiſſet ad vnionem. Cùm enim omnis gratia habitualis promoueat ad filiationem adoptiuam Dei, feciſſet Chriſtum eius filium adoptiuum, in eodem inſtanti reali, in quo daretur vnio, per quam fieret filius naturalis, quod repugnat. Demum non potuit conferri pro priori tempore ad vnionem, quia licèt caſus fuiſſet poſſibilis, eo quia potuiſſet Deus prius formare humanitatē Chriſti, ſubſiſtentem propria ſubſiſtentia, & deinde illam aſſumere, auferendo propriam, & communicādo diuinam ſubſiſtentiam, qua ſola terminaretur, tamen pro tempore antecedenti vnionem, quamuis Deus dediſſet naturæ humanæ eamdem gratiam quam dedit aſſumptæ, non potuiſſet per illam mereri vnionem, vt dictum eſt, quia tunc eius merita fuiſſent ſolum valoris finiti, adeoque non potuiſſent extendi ad præmium infinitum, cuiuſmodi eſſet vniri cum perſona diuina Ergo &c.

Vnde patet reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad alia patebit ar. ſequenti.

AR-

ARTICVLVS VI.

Soluuntur obiecta ſecundæ ſententiæ.

AD 1. Nego antecedens. Cùm enim ſit de ratione meriti, vt ſit opus perſonæ Deo gratæ, neceſſariò debet in operante ſupponere gratiam gratis datam, quæ dignificet operantem. Vel ergo natura humana Chriſti vt merens, fuiſſet dignificata per vnionem, vel per gratiam habitualem præuiam? Si primum, ergo vnio, quæ fuiſſet initium meriti, fuiſſet gratis data, adeòque non in præmium meritorũ, quæ ex illa acciperent valoris infinitatem. Si ſecundum, ergo initium talium meritorum, fuiſſet gratia habitualis, adeoque hæc non eſſet illorum præmium; & cum hæc conferret ſolum dignitatem, & valorem finitum, non poſſent talia merita extendi ad vnionem. Atque adeo quia numquam probatur, quòd initium meriti poſſit cadere ſub meritum, numquam habetur intentum.

Dices, poſſet Deus cum aliquo paciſci, vt ſi faciat aliquid naturale, dabit illi gratiam neceſſariam ad merendum. In tali caſu hic poſſet mereri primam gratiam, quæ conferretur ex pacto, intuitu talis operis naturalis. Ergo initium meriti poteſt cadere ſub meritum. Nego minorem, quia cum hoc opus naturale,

non haberet condignitatem ad talem gratiam, cui non eſſet proportionatum, non eſſet meritum reſpectu illius. Gratia ergo gratis conferretur, poſita conditione, ſub qua ſola fuit decreta. Sicut ergo princeps, ſi promiſiſſet Petro principatũ, ſub conditione quod illum petat, eius petitio non eſt meritum, cui correſpondeat principatus, vt præmium, ſed eſt pura conditio diſparata, ſub qua Princeps vult Petro gratis donare principatum: ita Deus gratis daret ſuam gratiã illi, qui poneret conditionem, ſub qua gratiam promiſit, ita vt eius collatio non correſpondeat conditioni, ſed voluntati diuinæ conditionatæ, purè liberali.

Ad inſtantiam Sanctorum Patrum, dico, illorum preces non reſpexiſſe incarnationem quoad ſubſtantiam, quam ſupponebant futuram, ſed eius aliquam circumſtantiam temporis, & loci, vt patet ex eo, quòd non dicerent. *Mitte filium tuum, ſed mitte quem miſſurus es*, determinando preces, ad accelerationem ſtatutæ miſſionis, in talem locum potiùs, quàm in alium, ex tali ſtirpe, &c. Præterquamquod etiam quoad incarnationis circumſtantias, huiuſmodi preces adſummum erant merita largè, ſeu de congruo, pura congruitate diſpoſitiua, non verò impetratiua, & cauſatiua, quatenus congruebat diuinæ bonitati, vt poſito decreto, de redimendo homine per ſuum filium,

illum

illum mitteret eo tempore, quo tàm vehementer expectabatur. Idem dico de ſanctiſſima Virgine, quæ non meruit abſolutè maternitatem, ſed ſolùm vt alijs præferretur, poſito quòd filius Dei, in vtero fœminæ ſtatuerit carnem ſumere.

Ad 2. dico, locum pſalmi 44. ad vnguem verificari de ipſo Dauid, qui ob eius merita, fuit vnctus Rex Iſrael, & ideo ſubditur, *Vnxit te Deus præ conſortibus tuis*, nempe fuit prælatus ſuis fratribus ex 1. Reg c. 16. quod de Chriſto verificari non poteſt. Quòd ſi adhærentes alijs, velimus locum interpretari de Chriſto, & admittere vt cauſalem ly. *Propterea te vnxit*, dico, per illam intelligi manifeſtationem diuinæ filiationis, factam Chriſto, in Iordane, per illa verba, *Hic eſt filius meus dilectus*, vel dominium totius mundi, iuxta illa verba ipſius Chriſti Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Ergo nihil prodeſt arguenti.

Vnde patet reſponſio ad 3. ex Apoc. vbi per ly, *accipere diuinitatem*, non intelligitur incarnatio, aliter non poſſet dici, *dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere diuinitatem*. Si enim per agnum intelligitur Chriſtus, nempe humanitas deificata, quomodo hæc per ſuam mortẽ accepit diuinitatem, quã habuit ab inſtanti conceptionis ſuæ? Debet ergo exponi de manifeſtatione, & gloria externa, quam Chriſtus meruit, vt dictum eſt ar. 4.

Ad 4. Nego antecedens. Quamuis enim poſſet ſuſtineri, Chriſtum meruiſſe, non ſolùm reparationem vnionis hypoſtaticæ, quam per mortem amiſerat, vt terminabatur ad partes vnitas, ſed etiam eius conſeruationem, ſicut putat probabile Suar. hic diſp. 10. ſect. 4. ſub finem, tamen puto probabilius, quòd neutram meruerit. Primò quia dona Dei ſunt ſine pænitentia. Ergo ex parte Dei ſunt perpetua, adeòq; eorum conſeruatio ſpectat ad rationem primæ donationis, quæ cùm fuerit liberalis, & gratioſa, etiam eorum conſeruatio erit talis. Atque adeo quia prima collatio vnionis, non fuit ex meritis Chriſti, qui non potuit ponere impedimentum peccati, ad eius conſeruationem, neque hæc fuit ex meritis eius. Neque obſtat quòd fuerit per mortem interrupta. Cùm enim fuerit còllata tali humanitati, ſub expreſſa conditione, quod ad tempus illa priuaretur, & deinde per reſurrectionem repararetur, eius reparatio fuit de eſſentia primæ collationis, & ideo partes humanitatis abinuicem in triduo ſeparatæ, remanſerunt Verbo vnitæ, vt redeuntes ad priſtinam vnionem, etiam hæc vnio, vt pars eſſentialis humanitatis, ſaltem *vt quo*, rediret ad vnionem cum Verbo, non quidem vt præmium mortis, ſed vt connaturaliter debitam partium vnioni, quæ vt inter ſe vnitæ, conſtituebant naturam humanam, in eſſe terminum adæqua-

æquatum diuinæ aſſumptionis. Deinde vidimus in tr. de vis. viſionem beatificam inuoluere eſſentialiter ſui perpetuitatem, ſaltem ſecundùm ſpeciem. Ergo cum anima Chriſti, ex vi vnionis cùm Verbo, habuerit ab initio viſionem beatificam, habuit etiam eius conſeruationem, quam numquam amiſit, cùm ſit impoſſibile, retineri proprietatem, ſine eo, cuius eſt proprietas.

Dices, Chriſtus meruit reunionem partium humanitatis per reſurrectionem. Ergo etiam earum reunionem ad Verbum, ſicut meruerat vnionis extenſionem ad partes materiæ de nouo acquiſitas. Nego conſequentiam, Et ratio eſt, quia reunio phyſica partium humanitatis, non ſuperabat eius meritum, vt procedens à gratia habituali. Ergo potuit cadere ſub eius meritum, vt præuiſum à Deo, atque adeo illi coexiſtens in ſua æternitate. At vnio hypoſtatica cum Deo, ſuperat omne meritum, vt dictum eſt. Ergo non poteſt cadere ſub meritum, neque quòad eius primam collationem, neque quoad reparationem, neque quoad partium extenſionem. Admitto tamen, vt valde probabile, quòd Chriſtus ſicut meruit gloriam ſui corporis, & ſui nominis exaltationem, vt diximus ar. 4. ita meruit, vel mereri potuerit ſui corporis reſurrectionem, adeoque non ſolùm reunionem totius ſuæ humanitatis cum Verbo, quam ſolùm amiſit ſecundùm vnionem partiũ,

 eiuſ-

eiuſque extenſionem ad partes de nouo acquiſitas, vt concedunt cōmuniter theologi. Et ratio eſt, quia hæc omnia videntur ſpectare ad perfectam eius reſurrectionem, & ſui nominis exaltationem. Ergo licèt ſequantur vt debita, ex gratia vnionis, poſſunt etiam eſſe debita ex meritò, cùm non repugnet, quòd idem debeatur pluribus titulis, ſaltem quoad circumſtantias, cuiuſmodi videntur eſſe enumerata, vt dictum eſt ar 4.

Ad 5. Nego conſequentiam, quia cùm vnio hypoſtatica non poſſit cadere ſub meritum, ſaltem quoad ſubſtantiam, vt dictum eſt ſupra, non potuit haberi, niſi ex dono, ſicut fuit habita à Chriſto, exiſtentia ſuæ humanitatis.

Ad 6. Nego antecedens. Cùm enim operationes Chriſti ſint theandricæ, debent immediatè procedere à natura humana, & ſubſiſtentia, aliter non prouenirent à Deo, & homine, vt duplici principio *quod*, ſeu à ſuppoſito, vt vnico principio *quod* adæquato. Ergo quia ſuppoſitum eſſentialiter dicit naturam ſuppoſitatam, ſeu ſubſiſtentem, eius operatio debet eſſe naturæ, & ſubſiſtentiæ, ſimul operantium per modum vnius principij adæquati.

Ad 7. Nego conſequentiam, propter rationes allatas.

DIS-

DISPVTATIO VI.

De vnione hypoſtatica.

Quæremus primò. An hæc vnio ſit aliquid poſitiuum ſuperadditum extremis ? 2. An ſit modus ſubſtantialis, & intrinſecè ſupernaturalis ? 3. Eius ſubiectum inueſtigantes, quæremus, an facta ſit in natura, vel in perſona Verbi ? Et demum de eius effectibus diſputabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vnio hyppoſtatica ſit aliquod poſitiuum realiter ſuperadditum extremis ?

Videtur non eſſe, vt opinantur Caiet. Nazar. Aluarez, Gonettus, Valentia, & alij, Primò quia per illud Verbum vnitur humanitati, per quod exercet in ea rationem termini, & vltimi complementi ſubſtantialis. Sed hoc non exercet per vllum modum realiter diſtinctum,

ſed præciſè per ſuam perſonalitatem. Ergo per eamdem, & non per modum, formaliter cum illa vnitur. Maior probatur, quia vniri per modum termini, eſt actuale exercitium terminandi. Probatur minor, quia nullum creatum poteſt eſſe actuale exercitium, ſeu actus ſecundus virtutis infinitæ increatæ terminandi, ſicut nec poteſt eſſe virtutis diuinę producendi, ſeu creandi.

2. Per hoc præciſè quòd Deus velit efficaciter vniri cum humanitate, vnitur de facto. Ergo eius vnio eſt eius decretum, ſicut eius decretum eſt ratio formalis, illum determinans ad hoc volendum.

3. Formam vniri materiæ, nihil aliud formaliter dicit, niſi quòd forma actuet materiam, quam prius non actuabat. Ergo etiam Verbũ nunc vniri cum humanitate, nihil aliud formaliter dicit, niſi quòd nunc illam intrinſecè terminet, quam prius non terminabat. Atque adeo quia terminat immediatè, excluſo omni accidente medio, per ſe ipſum formaliter, etiam per ſe ipſum formaliter vnitur. Aliter ſi vniretur per accidens, faceret totum accidentale, quod eſt abſurdum.

4. Si vnio diſtingueretur ab extremis in Chriſto, faceret in illo compoſitionem, ex parte vtriuſque extremi, vnde perſona Verbi eſſet compoſita, quod videtur abſurdum, propter eius ſimplicitatem, ratione cuius non poteſt cum alijs in-

in compoſitionem venire. Ergo non diſtinguitur.

5. Vnio modalis diſtincta, vel eſſet in Verbo diuino, vel in humanitate? Non primum, quia adueniret illi accidens. Neque ſecundum, quia modus vnionis non poteſt vnire, niſi illud, quod modificat. Ergo cùm non modificaret Verbum, illud non vniret.

Concluſio, *Vnio hypoſtatica eſt modus poſitiuus realiter diſtinctus ab extremis, quæ vniuntur in Chriſto.* Ita Suar. hic diſp. 8. ſect. 2. Vaſq. Albertus, Eſparſa. Gibbo, Lugo, &c.

Probatur 1. Ea quæ ſunt realiter ſeparabilia, ſunt realiter diſtincta, vt fusè probaui in met. Sed hæc vnio eſt realiter ſeparabilis ab extremis in Chriſto. Ergo realiter ab illis diſtinguitur. Maior patet, cum nihil poſſit à ſeipſo ſeparari. Minor probatur, potuit Verbum vniri cum alia humanitate, relicta illa, cum qua vnitur. Ergo potuit humanitas coexiſtere Verbo, ſine tali vnione, quæ proinde eſt ab vtroque ſeparabilis. Deinde hæc extrema ſunt indifferentia, ad vniri, & non vniri. Ergo ad hoc vt determinentur, ad actu vniri, eſt neceſſarius modus poſitiuus realiter vtrique ſuperadditus, vt ex profeſſo oſtendimus vniuerſaliter, prò omni compoſito in 1. de gener. diſp. 2. ar 2. Demum quia non admiſſa vnione ſuperaddita, non ſaluaretur Verbi incarnatio. Ad hoc enim vt verifice-

tur de illo, quod fiat caro, non ſufficit quòd fiat humanitas, & quòd cum illa fiant omnia alia, quia poſitis omnibus his, & ſola non poſita vnione modali, realiter diſtincta, Verbum non fieret caro. Ergo adhoc vt ſaluetur dictum Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, neceſſe eſt, factum eſſe de nouo modum vnionis, realiter diſtinctum ab extremis, qui ſit fundamentum proximum, relationis prædicamentalis humanitatis ad Verbum, in qua Scotiſtæ putant, ſaluari poſſe quidditatem talis vnionis, cuius proximum fundamentum aſſignare non poſſunt, niſi ponant hunc modum. Vnde obiter impugnatur hæc opinio.

Ad 1 Nego minorem. Ad cuius probationem nego antecedens, Primò quia probauimus in 7. phys. Deum operari ad extra, per actionem formaliter tranſeuntem, vnde intulimus, creationem eſſe in termino, & non in creante. Sicut ergo modus actionis creatus, eſt exercitium actuale, & actus ſecundus Dei creantis, ita modus vnionis eſt exercitium Verbi, intrinſecè terminantis humanitatem. Deinde quia hęc terminatio facta eſt in tempore, & eſt ſeperabilis à Verbo. Ergo ad hoc vt Verbo modò conueniat, cùm antea non conuenerit, non ſufficit quòd ponatur humanitas, cùm etiam ea poſita, poſſit Verbo non terminari, ſicut ſunt aliæ humanitates, ſed debet dari de nouo aliquid, quod habeat rationem cauſę

for-

formalis, vnde reſultet hic effectus formalis, quod aliud non poteſt eſſe, niſi modus vnionis.

Ad 2. Nego antecedens. Cùm enim hoc decretum non ſit ad ſeipſum, debet eſſe ad aliud extra ſe, quod habeat rationem obiecti voliti, & per quod verificetur, & executioni mandetur hoc decretum. Hoc autem non poteſt eſſe, niſi modus vnionis, ſine quo eſſet inexplicabile hoc decretum, vt inibi dictum eſt.

Ad 3. Nego minorem ſubſumptam. Sicut enim cauſa dicitur efficere aliquid immediatè, licèt mediet actio, quæ ſe habet *vt quo*; ita Verbum terminat immediatè humanitatem, licèt mediet vnio. Et hæc eſt ratio, cur ex tali terminatione, non reſultet totum accidentale, quia videlicèt in compoſitione totius, attenduntur, ea quæ componunt *vt quod*, non *vt quo*.

Ad 4. Nego antecedens, quia cùm hęc vnio ſit creata, non eſt in Verbo, ſed in humanitate, & ſolùm terminatur ad Verbum, ſicut vnio animæ cum corpore, non eſt in anima, ad quam terminatur. Ergo non poteſt facere compoſitionem in illo. Admitto tamen, perſonam Verbi in Chriſto eſſe compoſitam, vt vocatur cōmuniter à theologis cum D. Tho, non quidem ex perſonalitate, & vnione in ſe recepta, ſed ex natura diuina ſecum identificata, & humana à ſe intrinſecè terminata. Hæc autem compoſitio non

derogat ſummę eius ſimplicitati, vt probauimus in tr. de Deo vno diſp. 5. ar. 2. quia licèt Verbum terminando naturam humanam, fiat illi intrinſecum, non tamen fit eius pars, & huiuſmodi terminatio non recipitur in Verbo, cui eſt extrinſeca Ergo nullam in illo facit mutationem, ſicut eſſet neceſſarium, ad minuendam perfectionem ſimplicitatis.

Vnde patet reſponſio ad 5. & dico, quòd vnio non modificat Verbum, ad eſſe partem Chriſti, ſed ſolùm ad eſſe eius terminum, quod poteſt præſtari per vnionem in ſe non receptam, quamuis etiam ad modificationem per modum partis, non ſit neceſſaria receptio, vt patet in homine, cuius vnio modificat animam, ad eſſe hominis partem, licèt in illa non recipiatur.

ARTICVLVS II.

An modus vnionis ſit ſubſtantialis, ſupernaturalis, & vnicus?

VIdetur 1. Non eſſe ſubſtantialis, vt putant Durandus, & Paludanus, Primò quia humanitas aduenit Verbo perfectè, & ſubſtantialiter completo in ſuo eſſe. Ergo aduenit illi accidentaliter, adeoque facit cum illo totum accidentale, vt aliqui ex Neſtorianis, & Euthychianis opinabantur. 2. Ita ſe habet

vnio

vnio ad Verbum, & humanitatem in Chriſto, ſicut in toto ad formam, & materiam. Sed hæc non eſt ſubſtantialis, eò quia nihil ſit aliud, quàm generatio formæ in materia. Ergo, & illa, quæ proinde erit ſola actio, qua Deus ſumit carnem 3. Incarnatio eſt indutio carnis, inſtar veſtis, vt dicitur ad Phil. 2. *Habitu inuentus vt homo*. Sed veſtes ſunt veſtito per modum accidentium, eò quia illum intrinſecè non immutent. Ergo ſicut incarnatio eſt Verbo accidentalis, ita humanitati vniri cum Verbo, eſt illo veluti veſtiri, per vnionem accidentalem, qualis eſt adiacentia veſtium ad corpus.

Videtur 2. quòd hæc vnio ſit naturalis. Primò quia ita vocatur à Patribus, vt Cyrillo, Damiano, Nazianzeno, Sophronio, & Niceta, vt refert Suar. hic diſp.8. Sect. 1. ſub finem. Deinde quia ſi hæc vnio eſſet intrinſecè ſupernaturalis, Chriſtus ex illa reſultans eſſet ſupernaturalis, adeòque non ſolùm eſſet poſſibilis, ſed daretur de facto ſubſtantia ſupernaturalis, cuius oppoſitum docuimus in tr. de Viſione. 3. Chriſtus non eſſet vniuocè homo, vt alij, ſed eſſet diuerſæ ſpeciei, vtpote conſtans ex principio intrinſeco ſupernaturali. Ergo non poſſet dici, de Deo, *& homo factus eſt*, vt aſſeritur in Symbolo Nicæno, quod eſt erroneum. 4. Hæc vnio eſt materialis, & corporea, aliter non poſſet recipi in carne, illamque vnire cum Verbo. Ergo eſt

na-

naturalis, quia non ſuperat vires extremorum, quæ ſibi applicatà, ſe ipſis vniuntur.

Videtur 3. quòd hic modus ſit duplex, vnus qui vniat animam, & alter qui vniat corpus cum Verbo, qui duo modi ſint veluti partiales, conſtituentes in Chriſto, vnam vnionem totalem humanitatis cum Verbo, vt docet Gibbo diſp. 5. dub 5 n. 8 ſecutus pleroſque theologorum. Primò quia in triduo mortis Chriſti anima, & corpus, etiam ab inuicem ſeparata, remanſerunt vnita Verbo. Ergo ſingula habent partiales vniones; aliter ſi fuiſſent vnita vnica vnione, cùm illa in ſeparatis manere non poſſet, remanſiſſent diuiſa à Verbo, quod eſt erroneum, cùm ſit commune proloquium, *quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit*. 2. Cum Verbum deſcendit ad inferos, ſecum duxit animam, & non corpus, quod remanſit in ſepulchro. Sed ſi corpus fuiſſet vnitum cum Verbo, per eamdem vnionem, qua fuit vnita anima, non potuiſſet non deſcendere cum anima. Ergo per diuerſam vnionem. 3. Modus debet proportionari rei, cuius eſt modus. Ergo vnio animæ debet eſſe ſpiritualis, & corporis, materialis. 4. Vnio animæ cum corpore, non fuit aſſumpta, non ſolum quia daretur modus modi, & vnio vnionis, ſed etiam quia non potuiſſet dimitti, & ſic Chriſtus non potuiſſet mori, quod eſt erroneum. Ergo fuerunt aſſumptæ partes

huma-

humanitatis, ſinguſę ſingulis vnionibus partialibus

Concl. *Modus vnionis eſt ſubſtantialis, intrinſecè ſupernaturalis, & vnus ſimplex, non compoſitus ex pluribus partialibus.*

Probatur prima pars. 1. ex definitione quintæ Synodi generalis act. 5. can. 4. *Qui non confitetur, filium Dei carni ſubſtantialiter vniri, anathema ſit.* Cui concinunt Epheſiuum can. 13. & Lateran. ſub Martino 1. conſultat. 5. c. 6. Deinde quia ſi hæc vnio non eſſet ſubſtantialis, non faceret compoſitum per ſe, ſed per accid. Ergo Chriſtus non eſſet per ſe, & ſubſtantialiter Deus homo, quod vt hæreticum, damnatum eſt in Neſtorio. 3. Reijcitur communiter vt abſurda, locutio Durandi, quòd *non tam propriè dicitur Deus homo, ſed humanatus*, eò quia in Conc. Francofurt; ep ad Ep Hiſpaniæ definitum fuerit *Verbum diuinum non eſt dicendum humanatum, ſed homo, neque homo deificus, ſed Deus.* Et in Later. cit refertur, & approbatur ep. Alex. III. ad Ep. Rhem. qua inuehitur in quoſdam id negantes, inquiens. *Cùm Chriſtus ſit perfectus Deus, & perfectus homo, qua temeritate audent dicere, quòd Chriſtus ſecundum quod eſt homo, non eſt quid?* At ſi vnio non eſſet ſubſtantialis *vt quo*, homo non poſſet affirmari in recto de Verbo, nec Deus de homine, dicendo, *Deus eſt homo,* & *homo eſt Deus.* Ergo eſt ſubſtantialis.

Probatur ſecunda pars, Illud eſt intrin-

trinſecè, & quoad ſubſtantiam ſupernaturale, quod eſt omninò indebitum omni naturæ particulari, ſecundum ſe conſideratæ, vt fusè probauimus in trac. de Viſ. diſp. 3. ar. 2. Atqui vnio hypoſtatica nulli naturæ particulari eſt debita, vt probauimus diſp. 5 vbi aſſeruimus, neque poſſe cadere ſub meritum, adeòque neque moraliter eſſe debitam. Ergo eſt omninò ſupernaturalis.

Probatur tertia, In quolibet toto ſubſtantiali, datur vna tantùm vnio ſubſtantialis, inter materiam, & formam, ſiue ſint omogeneę, ſiue ætherogeneę, vt fusè probauimus in 1. de gener. diſp 2. ar. 3. vbi acuimus calamum, aduerſus admittentes duplicem vnionem partialem. Ergo etiam quia in ſacroſanćto cōpoſito Chriſti Domini ſufficit vna vnio hypoſtatica, non eſt diuidenda in duas, vt mox patebit.

Ad 1. Nego conſequentiam. Quamuis enim humanitas adueniat Verbo perfećto, & ſubſtantialiter completo, quia tamen ipſa humanitas non aduenit vt in ſe perfećtè, & ſubſtantialiter completa, ſed vt complebilis per ſubſiſtentiam ipſius Verbi, ideo facit cum illo totum ſubſtantiale, in quo humanitas ſe habet per modum perfećtibilis, & Verbum per modum perfećtiui, non quidem per modum partis; ſed per modum termini intrinſeci, ita vt tam Verbum, quam humanitas ſubſiſtant vna, & eadem ſubſi-

ſten-

ſtentia, quæ cum ſit diuina, & ſubſtantialis, facit totum ſubſtantiale diuinum, non quòd humanitas fiat deitas, ſed quòd diuina ſubſiſtentia deificetur, ita vt poſſit verè dici, quòd ſicut Deus factus eſt homo, ita homo factus eſt Deus, per communicationem idiomatum, vt videbimus infra ſuo loco.

Ad 2. Nego minorem, cum ſua probatione, cùm probauerimus in 1. de gener.diſp. 2. ar. 5. vnionem formæ cum materia, realiter diſtingui ab actione productiua, ſeu eductiua formæ à materia. Hoc autem multò magis valet de actione, qua Deus incarnatur, quæ cùm non terminetur ad ſeipſam, debet terminari ad vnionem omninò diſtinctam, præſertim cùm actio, quatenus eſt vnitio, cùm ſit eſſentialiter tranſiens, & ſucceſſiua, non poteſt eſſe identificata, cum vnione eſſentialiter permanente, ſaltem ſecundum ſpeciem, vt eſt vnio hypoſtatica.

Ad 3 Nego maiorem; aliter non eſſet verum quod dicitur Io: 1. *Verbum caro factum eſt*, cum veſtitum non fiat veſtis. Ad locum Apoſtoli dico, per ly *habitu inuentus vt homo*, denotari, non ſolùm quòd Verbum in Chriſto appareret per humanitatem, & per illam nobiſcum inſtar hominis verſaretur, vt dicitur ibid. *In ſimilitudinem hominum factus*, & *formā ſerui accipiens*, ſed etiam quòd ſicut veſtes, quia extrinſecùs adiacent, non in-

du-

ducunt mutationem intrinſecam corpori, ita nec humanitas, ſub cuius forma apparuit filius Dei, aliquid imminuit de eius diuinitate; & ideo ibid. dicitur, *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*, nempe æqualitate identitatis, cum eadem diuinitate.

Ad 1. 2. ſen. Dico, vnionem hanc fuiſſe aliquando ab aliquibus vocatam naturalem, non quia fuerit facta ad exigentiam naturæ, ſeu eius viribus proprijs, ſed quia eſt phyſica, & realis, & non aliquid fictum, ſeu phantaſticum, vt patet ex ipſo Niceta ſe ita explicante lib. 3. theſauri c. 3. *Coniunctionem eſſentialem dicimus, hoc eſt veram, & non phantaſticam, ſeu commentitiam*, vt hæreticorum non pauci ſomniabant.

Ad 2. Admittendo, in Chriſto Domino dari aliquod conſtitutiuum intrinſecum ſupernaturale, non proinde datur ſubſtantia ſupernaturalis. Et ratio eſt, quia hoc conſtitutiuum eſt ſola vnio, quę conſtituit *vt quo*, ſicut ipſa ſubſiſtencia conſtituit terminando. Ergo quia tota humanitas, ſecundum partes componentes *vt quod*, eſt naturalis, & ipſa diuina ſubſiſtentia eſt intrinſecè naturalis, licèt terminet modo ſupernaturali humanitatem, vt probauimus in tr. de Viſione, Chriſtus non eſt ſupernaturalis, niſi ſecundum modum vnionis, quod non repugnat dictis loco cit. vbi locuti ſumus de ſubſtantia, ſecundum partes *vt quod*,

con-

condiſtinctas à modis, qui licèt vocentur ſubſtantiales, tamen non ſunt ſubſtantiæ.

Ad 3. Dico, Chriſtum non eſſe vniuocè hominem, ſecundum totum quod dicit, ſed ſolùm ſecundùm humanitatem, quæ cum ſit eiuſdem ſpeciei cum alijs hominibus, ideo Deus illam aſſumendo, factus eſt verus homo. Sicut ergo non tollit à Chriſto veritatem humanitatis, terminatio naturæ humanæ, per ſubſiſtentiam diuinam; ita non tollit ab eo naturalitatem, ſecundùm quod eſt homo, ſupernaturalis nexus cum diuinitate, qui adſummum faceret, ſupernaturale compoſitum ineffabile ex Deo, & homine, non autem naturam aſſumptam, ex qua illud reſultat.

Ad 4. Nego conſequentiam. Et dico, vnionem hypoſtaticam eſſe materiálem, & recipi in ſola materia Chriſti, & terminari ad eius animam, & Verbum. Quomodo autem hoc ſit, patebit ar. ſeq.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta tertiæ ſententiæ, roborando doctrinam de vnitate vnionis hypoſtaticæ.

AD 1. Diſtinguo antecedens, anima, & corpus, etiam ab inuicem ſeparata remanſerunt vnita Verbo, per eamdem vnionem, quam habuerunt coniun-

cta

cta, nego : diuerſa vnione, concedo antecedens. Et admiſſo quòd in triduo vniretur ſingula ſingulis vnionibus, nego poſtremam conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm modus eſſentialiter pendeat, à re cuius eſt modus, illa variata, remanere non poteſt, vt probatum eſt in diſp. met. lib 1. diſp. 2. ar. 1. Sed vnio hypoſtatica humanitatis cum Verbo, eſt eius modus, illi eſſentialiter affixus, vt dictum eſt in 1. ar. Ergo variata humanitate, eius vnio remanere non poteſt. Cùm ergo in triduo mortis Chriſti, eius humanitas fuerit eſſentialiter variata, propter tranſitum corporis e vita ad mortem, & ex anima ad formam cadauericam, vt probauimus in 1 phyſ. diſp. 3. ar. 5. ad. 5. vnde tranſijt ad aliud genus entis, non potuit retinere eumdem modum vnionis. Atque adeo quia Chriſto viuente, humanitas vt viuens per informationem animæ, cum qua faciebat vnum totum ſubſtantiale per ſe, vniebatur Verbo per vnicam vnionem, Chriſto mortuo, quia eius corpus fuit ab anima ſeparatum, non potuit cum Verbo vniri, niſi per duplicem vnionem, quarum vna eſſet materialis, & inhæreret cadaueri, & altera eſſet ſpiritualis, & inhæreret animæ, quæ vt ſeparata, non erant amplius vnum, niſi ſuppoſitaliter, nempe terminatione eiuſdem diuini ſuppoſiti.

Dices, ergo in triduo fuiſſent de nouo productæ hæ duæ vniones hypoſtaticæ, &

prior

prior fuit deſtructa. Sed hoc repugnat Damaſceno dicenti, *quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit*. Ergo remanſerunt.

Nego minorem. Et dico, illud dictum verificari de partibus ſubſtantialibus, ſpectantibus ad integritatem humanæ naturæ, ſecundùm conditionem ſtatus, quem Deus decreuerat, vt per eius aſſumptionem, redimeret homines. Sicut Ergo variatis partibus materiæ, per calorem naturalem conſumptis, vel acquiſitis, variabantur vniones cum Verbo, dùm viueret Chriſtus, ita in eius morte, fuerunt variatæ, modò cum terminatione ad vnionem animæ cum corpore, & modò cum terminatione ad formam cadauericam, vt expendimus loco nuper citato, vbi occurrimus omnibus abſurdis, quæ videntur ex hoc deduci.

Ad 2. Concedo totum, quod ſolùm probat dualitatẽ vnionis in triduo mortis, non autem in vita Chriſti. Sicut enim ſi dimiſiſſet humanitatem, debuiſſet Verbum, dare illi propriam ſubſiſtentiam, qua in ſe ſiſteret; ita cum voluit partes diuiſas abinuicem, retinere ſecum vnitas, debuit illas alijs nexibus ſibi copulare.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ æquè militat aduerſus duas vniones; ſiquidem vnio materialis corporis, proportionaretur quidem ipſi corpori, non autem Verbo. Ergo non poſſet illud cum Verbo vnire. Vel enim requiritur pro-

por-

portio cum vtroque extremo, vel ſolùm cum ſubiecto? Si primum, ergo nulla eſſet poſſibilis vnio, quæ proportionaretur corpori, & Verbo. Si ſecundum, ergo vna vnio materialis recepta in ſolo corpore, poteſt ipſum, & animam vnire cum Verbo, ſicut per vnam vnionem anima vnitur cum corpore, vt fusè probaui in 1. de gener. diſp. 2. ar. 3. reijciens opinionem de duplici vnione.

Ad 4. Nego antecedens. Et dico, non potuiſſe aſſumi partes humanitatis, vt viuentes, niſi aſſumerentur vt vnitæ, adeòque aſſumeretur earum vnio. Ad eius primã probationem, vltrò admitto, quòd in Chriſto daretur vnio vnionis, & modus modi, non tamen reſpectu eiuſdem effectus formalis, vt explicui in diſp met. lib. 1. diſp. 2. ar. 1. ad 2. Ad cuius euidentiam dico, in Chriſto dari duplicem vnionem, quarum vna vnitur anima cum corpore, & per hanc efficitur humanitas, quæ non haberetur per has partes ſeparatas, & alia vnitur ipſa humanitas cum Verbo, & per hanc efficitur Chriſtus, qui eſt homo Deus, ſeu humanitas diuinizata. Quia ergo prior vnio non habet pro effectu formali, niſi vnitatem naturæ humanæ, ideo in ordine ad vnitatem eiuſdem cum diuino ſuppoſito, non ſe habet formaliter, & *ut quo*, ſeu per modum rationis formalis vnitiuæ, ſed ſolùm materialiter, & *ut quod*, ſeu per modum vniti, eò quia ſola ſecunda vnio il-

li adueniens, quæ dicitur hypoſtatica, ſit cauſa formalis, per modum vltimi determinatiui, vnitatis ſuppoſitalis, reſultantis ex vnione vtriuſque naturæ humanæ, & diuinę, cum eodem diuino ſuppoſito. Et hæc eſt ratio, quare prior vnio non dicatur hypoſtatica, quia non nectit naturam humanam cum diuina hypoſtaſi, ſed ſolùm vnam eius partem cum alia. Vnde ſequitur, effectum formalem vnius, non confundi cum effectu formali alterius, adeòque vnam vnionem, reſpectu ſuorum vnibilium, retinere ſemper rationem vltimi determinatiui formalis, quia licèt nectatur per aliam vnionem, non tamen nectitur cum iiſdem extremis, ſed cum alio ab illis adæquatè diſtincto, reſpectu cuius habet rationem vniti, & non vnionis; & ideo ſi ſumantur formaliter, non datur modus modi, ſeu vnio vnionis, bene tamen dantur, ſi vna ſumatur materialiter, & alia formaliter, & reſpectu diuerſorum. Attuli exemplum loc. cit. Caij ſericis veſtiti, qui ſi funibus vinciatur, vincitur etiam ſecundùm illam vnionem accidentalem, qua veſtes illi adiacent; hæc tamen vnio non habet rationem vnionis, reſpectu ſecundæ, qua vnitùr funibus, quia non ligat, ſed veſtit; & ideo vnitur, & nō vnit. Idem dic in caſu noſtro de vnione animæ cum corpore, reſpectu hypoſtaticæ.

Ad aliam illationem, quòd ſi per vnicam

cam vnionem tota humanitas vniretur Verbo, non potuiſſet dimitti, reſpondimus, reſpondendo ad 1. Quibus addo, etiam admiſſa duplici vnione hypoſtatica, hoc ſecuturũ fuiſſe. Primò quia hæ duæ vniones, vel necterent animam, & corpus vt vnita, vel vt ſeparata? Si primum, ergo ſingulæ vnirent cum Verbo, etiam ſingulas vniones talium partium, nempe ſpiritualem propriam animæ, & materialem propriam corporis, ſupponendo quòd etiam ad vniendas partes humanitatis, detur duplex vnio. Sed hoc admiſſo, rediret idem *abſurdum*; ſiquidem in triduo mortis, poſita ſeparatione talium partium, non remanerent in illis hæ vniones, cùm ſit impoſſibile, dari vnionem in partibus ſeparatis. Ergo Verbum dimiſiſſet illas vniones, quas aſſumpſerat, ad quod euitandum, nihil planè prodeſt hæc dualitas vnionum. Quòd ſi admiſeris vnicam vnionem inter partes humanitatis, multò magis vrget argumentum; ſiquidem illæ partes, quia fuiſſent aſſumptæ vt vnitæ, aliter non fuiſſent aſſumptæ vt viuentes, ſingulæ fuiſsẽt aſſumptæ cum illa communi vnione. Ergo non ſolùm illa fuiſſet dimiſſa in triduo mortis, ſed etiam fuiſſent dimiſſæ ambę vniones hypoſtaticæ, quæ ablatis extremis, remanere non potuiſſent. Si verò dicatur ſecundum, Ergo partes humanitatis non fuerunt aſſumptæ, vt viuentes, ſed vt mortuæ, ſaltem ex parte

cor-

corporis, quod non eſt viuens, niſi vt anima informatum; atque adeo Verbum non aſſumpſiſſet humanitatem, ſed cadauer, quod eſt maius abſurdum. Deinde vnio hypoſtatica, cùm ſit modus eſſentialiter ſucceſſiuus, & identificatus cum ſua duratione, vt probaui in locis citatis, aſſiduò renouatur, & dimiſſa vna, ſuccedit alia, ſicut in trac. de viſ. diximus de ipſo actu viſionis beatificæ, qui non eſt permanens, niſi ſecundum ſpeciem. Ergo ſicut ipſa vnio hypoſtatica poteſt dimitti, ſaltem ſecundùm indiuiduationem, & per ſui ceſſationem, cur etiam non poterit eodem modo dimitti vnio partium humanitatis?

Quòd ſi dicas cum alijs,dari quidem in Chriſto duas vniones hypoſtaticas partiales, non tamen vt vna terminetur ad corpus, & alia ad animam, ſed vt vna terminetur ad vnionem naturalem animæ cum corpore, & alia terminetur indiuiſim ad animam, ſanguinem, carnem, & alias partes corporis abſolutas immediatè aſſumptas, probabilius loqueris cum Eſparſa hic. q. 20. non tamen euitas abſurdum inculcatum, Primò quia adhùc vnio hypoſtatica cum vnione naturali ceſſaret in triduo, aliter Chriſtus non moreretur. Et deinde quia rediret argumentum ſupra factum, cùm alia vnio hypoſtatica non poſſet terminari indiuiſim ad partes ſubſtantiales, & integrales humanitatis, niſi vt vnitas, vt ſal-

uetur eius terminatio ad illas, vt viuen tes. Quia ergo in triduo amiſerunt vnionem, amiſerunt vitam, ſaltem ſecundum partes corporis. Ergo quia viuens à mortuo differt pluſquam genere, mutaretur terminus talis vnionis, quæ proinde remanere non poſſet, neque ſecundum numerum, neque ſecundum ſpeciem, ſed ſolùm eadem ſecundùm genus, cùm *ſit de* ratione vnionis, ut ſequatur extrema. Ergo adhùc periret vtraque vnio partialis, vnde redderetur inutilis hæc dualitas.

Neque poſſes recurrere ad commune effugium, quòd hæc vnio terminaretur immediatè ad animam, & ad partes corporis, mediante anima. Siquidem poſita ſeparatione animæ à corpore, non facerent amplius vnum, ſed duo. Ergo non poſſent vniri per modum vnius, adeoque aſſumi vnum mediante alio, quod ſolùm valet in per ſe vnitis. Vnde vel deberent multiplicari vniones hypoſtaticæ partiales, prò multiplicitate partium corporis, vel dicendum eſt, eas omnes ſimul cum vnione, & anima, per modum vnius extremi, vnica vnione hypoſtatica vniri cum Verbo, quæ pereat in triduo, & loco illius ſuccedant duæ vniones partiales, quarum vna vniat animam, & alia corpus mortuum, ita vt in reſurrectione, redeunte vnione naturali animæ cum corpore, & ceſſante hac duplici vnione partiali, vna redeat vnio totalis ſimplex, in

eter-

ęternum duratura, vel eadem numero, ſi afficiatur duratione indiuiſibili, quam in 4 phys. vidimus non repugnare, vel eadem ſecundùm ſpeciem, ſi durationem habeat ſucceſſiuam, quorum determinatio eſt nobis inſcrutabilis.

ARTICVLVS IV.

An vnio hypoſtatica facta ſit in ſola Perſona Verbi? Examinantur, & reijciuntur errores hęreticorum.

VIdetur 1. non eſſe facta in ſola perſona Verbi, vt impiè dixit Neſtorius Patriarca Conſtatinop. admittens in Chriſto duas perſonas, diuinam, & humanam accidentaliter ſolùm vnitas, nempe per inhabitationem, vt in templo: per conformitatem voluntatum, & operationum: per vnitatem mutui amoris, ſicut coniugati dicuntur vna caro: per dignitatem reſultantem ex his, ratione cuius deberetur homini cultus filij Dei. Eius fundamenta potiſſimùm ducuntur ex mala intelligentia ſcripturarum, & patrum, & ex friuolis rationibus, quarum prima eſt, Chriſtus Io. 2. dixit de ſe, *ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, vbi ſubditur. *Ille autem dicebat de templo corporis ſui*. Ergo Perſona Verbi habita-

bitabat in homine, ſicut in templo, & ſicut Dæmon in ænergumeno. 2. In Chriſto ſunt duæ generationes. Ergo duæ perſonæ, vna vt terminus generationis æternę, & alia vt terminus temporalis. 3. Non poteſt creatum efficere increatum. Sed ſi in Chriſto eſſet ſola perſona Verbi, cum mater illum genuit, & peperit, creatum feciſſet increatum. Ergo non eſt vna ſola perſona. 4. Terminus actionis debet fieri per ipſam actionem. Sed perſona Verbi non potuit fieri per actionem incarnatiuam, quia fuit ab æterno. Ergo debuit in Chriſto eſſe alia perſona, quæ vt terminus actionis, de nouo fuerit facta.

Videtur 2. hæc vnio facta eſſe, non ſolùm in vnitate perſonæ, ſed etiam in vnitate naturæ, ſiue hæc facta fuerit ex natura diuina, & humana coeuntibus in vnam tertiam naturam, vt volebat Dioſcorus; ſiue hæc fuerit ſola natura diuina, in quam conuerſa fuerit natura humana, vt Euthyches ſomniabat. Primò quia cum dicitur Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, ly *factum* debet accipi eodem modo, atque accipitur Io. 2. *Vt autem guſtauit aquam vinum factam*, hoc eſt per veram, & ſubſtantialem conuerſionem aquæ in vinum, & naturæ humanæ in diuinam, vel diuinæ in humanam. 2. In Conc. Calcedonenſi act. 1. fuit lecta epiſtola S. Cyrilli, ad Io. Ep. Antioch. in qua dicitur, *Non oportet intelligere duas naturas in Chri-*

ſto,

ſto, ſed vnam naturam Verbi incarnati. 3. Dicitur in Symbolo S. Athanaſij, *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*. Sed anima, & caro vt duæ naturæ partiales, conſtituunt vnam naturam totalem hominis, per compoſitionem ſubſtantialem perfectiui cũ perfectibili, ſiue actus cum potentia. Ergo deitas, & humanitas componũt vnã naturã in Chriſto. 4. Cyprianus, Ambroſius, & Iuſtinus dicunt, eodem modo filium Dei eſſe factum hominem, ſicut per verba conſecrationis, panis fit corpus Chriſti. Ergo ſicut panis conuertitur in corpus Chriſti, ita Verbum in hominem. 5. Natura diuina non diſtinguitur à perſona. Ergo ſi hæc vnio facta eſt in perſona, debuit etiam fieri in natura. 6. Humana natura per vnionem cum Verbo, acquirit maximam perfectionem. Sed hoc non eſſet, ſi vniretur in ſola eius perſona, quæ ratione ſui non dicit, niſi perfectionem ſimplicem. Ergo debet vniri in eius natura, quæ dicit omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices. 7. In tr. de Vis. diximus, non poſſe intellectum beati vniri intentionaliter, per actum viſionis cum diuina perſona, quin etiam vniatur immediatè cum eius natura. Ergo multò minus poterit immediatè natura humana, vniri cum perſona Verbi per phyſicam vnionem, quin etiam vniatur immediatè cum eius natura. 8. Perſona eſt *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia,*

tia, vt nos admiſimus in diſp. met. ex Boetio lib. de duab. nat. ſub init. Ergo ſi in Chriſto eſt vna perſona, eſt etiam, vna natura, in qua hæc vnio facta eſt.

Pro reſolutione, videndum eſt primò, an in Chriſto ſint duæ naturæ? 2. An ſint duæ perſonæ? 3. An terminus vnionis hypoſtaticæ ſit perſona, vel natura Verbi? Ex quibus facilè deducemus quid ſit dicendum in propoſita difficultate.

1. Concl. *In Chriſto D. ſunt duæ naturæ integræ, & non confuſa, nempe diuina, & humana, & una ſola perſona, nempe diuini Verbi, & ideo eſt uerus Deus, & uerus homo.* Eſt de fide quoad omnes partes.

Probatur prima, non ſolùm ex Lateran. ſub Martino 1, Flor. in litt. vnionis, Tolet. 4; Hiſpal. 2. & 13. ſed etiam ex Ephes. 1. Calced. &c. vt refert Suar. diſp. 7. ſect. 2. & ex vnanimi conſenſu theologorum, & Patrum. Et præterea ratione, quia ſi Chriſtus non habuiſſet veram, & realem naturam humanam, non potuiſſet pati, & mori. Item vera, & realis humanitas conſtat ex vera anima rationali, & vero corpore vnitis. Sed Chriſtus habuit veram animam, vt patet ex Io: 14. vbi dixit de ſe, *Triſtis eſt anima mea*, & verum corpus, vt dicitur in 1 Pet. 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*. Ergo habuit veram naturam humanam, ſecundùm quam natus, & mortuus eſt, & poſtea reſurrexit, reſumendo vnionem talium partium, quam amiſe-

rat moriendo. Quòd autem habeat etiam naturam diuinam veram, & immutatam, patet,non ſolùm ex iiſdem concilijs, & definitionibus Eccleſiæ mox relatis; & ex eo quod canit Eccleſia de Deo incarnato, *Id quod fuit permanſit, quod non erat aſſumpſit, non commiſtionem p.ſſus, aut diuiſionem*; & ex Symbolo S. Athanas. *Chriſtus Dei filius, Deus, & homo eſt, Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo ex ſubſtantia matris in ſæculo natus*; verùm etiam ex multiplici teſtimonio ipſius Chriſti, vt Io. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*: & Matth. 16. Cùm dixiſſet Petrus, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, Chriſtus approbans dictum reſpondit, *Beatus es, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cęlis eſt*: Et Matth. 3. in fine, ecce vox de cælis dicens de Chriſto baptizato à Baptiſta, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui &c.* Iure igitur in Later ſub Martino I. can. 6. definitur tamquam de fide, *Si quis non confitetur propriè, & verè ex duabus naturis, deitate, & humanitate, ſecundum ſubſiſtentiam vnitis, inconfusè, & indiuisè eumdem, & vnum Chriſtum eſſe, ſit condemnatus.*

Probatur ſecunda pars, Primò, Chriſt verus Deus,& verus homo, vt probatum eſt, & habuit naturam diuinam, & humanam realiter diſtinctas, & inconfuſas, vt melius patebit argumentorum ſolutione. Ergo nullam ex parte naturarum habet vnitatem; atque adeo ſi non

haberet vnitatem ex parte ſubſiſtentiæ, non eſſet vnus Chriſtus ſubſtantialiter, ſed duo, & adſummum poſſet dici vnus accidentaliter, hoc eſt per vnionem accidentalem duarum naturarum, in sè perfectè, & vltimatè ſubſiſtentium; adeòque ſicut non poſſet dici, quòd homo ſit Deus, ita neque poſſet dici, quòd Deus ſit homò, quod eſſet ruere in errores ſupra relatos. Cùm ergo ſit de fide, Chriſtum eſſe vnum tantum, compoſitum ex duplici natura, vt dicitur in Sybolo S. Athanaſij, dicendum eſt cum eodem, quòd ſit *vnus, non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ*. 2. Si Perſona Verbi diſtingueretur in Chriſto à perſona hominis, Verbum non verè diceretur incarnatum, eo quia non aſſumpſiſſet carnem in propria perſona, ſed in aliena. Ergo cum dicitur Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, diceretur falſum, quod eſt hæreticum. Atque adeo veritas incarnationis, cōſiſtit in hoc, quòd natura humana fuerit aſſumpta, ad hoc vt ſubſiſteret ſubſiſtentia diuina, & componeret vnam, & eamdem perſonam filij Dei, cum diuina natura. 3 Quia ſi vtraque Chriſti natura non ſubſiſteret in eadem diuina perſona, non daretur communicatio idiomatum inter vtramque; & ſic non poſſet dici, quòd homo ſit filius naturalis Dei, & quod filius Dei ſit paſſus, & mortuus, quod eſt hæreticum, vt infra videbimus. Ergo eſt vna perſona, vt optimè concludit Aug. tract. 27. in Io.

10. *Commendaui nobis, vnam perſonam eſſe Chriſtum, Deum, & hominem, non duas, nè fides noſtra non ſit Trinitas, ſed quaternitas.* Hæc autem perſona non poteſt eſſe humana, primò quia ſubſiſtentia creata eſt negatio vnionis cum alio, vt diximus in met. Ergo quia perſona conſtat ex natura, & ſubſiſtentia, hæc perſona diceret eſſentialiter negationem vnionis cum natura diuina, cum qua de facto vniretur, quod eſt contradictio. Hoc non valet de perſona diuina, quia cùm ſubſiſtentia diuina ſit poſitiua, per hoc quòd vniatur cum aliena natura, non trahit contradictionem. Quomodo autem eius incommunicabilitas, aſſocietur cum actuali communicatione, abundè ſoluimus in diſp. met. Deinde quia diuina ſubſiſtentia non eſt ſeparabilis à natura diuina, cum qua eſt realiter idem Ergo fieri non poteſt, vt natura diuina vniatur cum creata, quin retineat propriam ſubſiſtentiam, quod non valet de ſubſiſtentia creata, quę cùm ſit ſeperabilis à natura, poteſt non remanere in propria natura, ſubſtantialiter vnita cum diuina. Ergo ſi in Chriſto eſt vna perſona, hæc eſt diuina, & non humana.

Ad 1. primæ ſententiæ nego conſequentiam. Et dico, quòd ſicut anima rationalis eſt in corpore, non per puram vnionem accidentalem præſentiæ localis, ſed per vnionem ſubſtantialem actus cum potentia, cum qua facit vnum per ſe; ita

& Verbum eſt in eodem,non per puram præſentiam localem, ſed per vnionem, ſubſtantialem, non quidem per modum actus in potentia, ſed per modum termini intrinſeci in natura, quam terminat, & ſuppoſitat. Neque obſtat, quòd vocetur templum, vt pro Neſtorio obijciebat Theodoretus. Siquidem cùm templum ſit id, in quo colitur diuinitas, & hæc in tali corpore coleretur, appoſitè templum vocari potuit.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm ſuppoſitum ſit terminus generationis *ut quod*, & natura ſit terminus formalis *ut quo*, & ſpecificatiuum, generationis, poteſt idem ſuppoſitum, vt ſubſtans in duplici natura, terminare, duplicem generationem, quarum vna, accipiat vnam naturam, & alia aliam,. Atque adeo idem ſuppoſitum filij Dei, vt ſubſiſtens in natura diuina, quæ eſt eius propria, terminat generationem æternam, per quam accipit à Patre naturam ipſius; & vt ſubſiſtens in natura humana, tamquam in aliena, cuius ſubſiſtentiæ ſupplet vices, terminat generationem temporalem, per quam accepit à matre naturam humanam, per ſolam naturarum diuerſitatem, abſque vlla ſui mutatione, vel multiplicatione. Quomodo autem, generetur à patre in identitate naturæ, per ſolam diſtinctionem ſuppoſiti, conſule tractatum de Trinitate

Ad 3. Nego minorem, Primò quia non ma-

mater, quæ ſe habuit purè paſſiuè ad incarnationem Verbi, ſed tota Trinitas illam effecit. Deinde ſicut Trinitas faciendo incarnationem, non fecit Verbum, & multò minus eius diuinam naturam, ſed eius vnionem cum natura humana, quæ erat terminus formalis *ut quo*, ſeu (vt alij dicunt) ipſam naturam humanam, vt ſubſiſtentem iu Verbo, & ipſum Chriſtum, qui vt compoſitus ex duplici illa natura, in vnitate eiuſdem diuinæ perſonæ, erat terminus *vt quod* actionis incarnatiuæ; ita & mater per ſuam actionem, quæcumque fuerit, non fecit aliquid increatum, ſed Chriſtum, qui vt dicens nouam vnionem diuinitatis cum carne, eſt aliquid creatum, vt fusè proſecuti ſumus in diſp. met.

Ad 4. Diſtinguo minorem, Perſona Verbi non potuit fieri per actionem incarnatiuam, ſecundùm eſſe, quod æternaliter ad intra habet à Patre, concedo: ſecundum eſſe, quod habet à Trinitate, per vnionem cum humana natura, ſecundum quod temporaliter eſt à matre, nego minorem,& cum illa conſequentiam. Et dico, per actionẽ incarnatiuam, neque fuiſſe factam perſonam Verbi, neque eius naturam, ſed ſolam naturam humanam, & eius vnionem cum diuina, ita vt illa terminaretur intrinſecè, non propria, ſed diuina ſubſiſtentia. Vnde ſequitur, terminum totalem actionis incarnatiuæ, quę dicitur etiam vnitiua, ſeu aſſumpti-

na eſſe ſolum Chriſtum, nempe vnam diuinam perſonam, compoſitam ex duplici natura, ſcilicèt diuina, & humana; terminum verò formalem, qui dicitur terminus *quo*, ad diſtinctionem alterius, qui dicitur terminus *qui*, eſſe ſolam vnionem hypoſtaticam, qua ſola facta de nouo, licèt extrema præextitiſſent, adhùc verè daretur terminus vnitionis, vt diximus in lib. de anima.

2. Concluſio, *Vnio talium naturarum, non eſt facta in natura, ſed in ſola perſona Verbi*. Eſt communis inter catholicos, & eſt de fide, vt fuit definitum in pluribus Concilijs, vt dictum eſt in 1. concl..

Probatur euidenter, ſuppoſitis principijs fidei, Primò quia ſi vnio hęc facta eſſet in natura diuina, cùm hęc ſit communis, omnes diuinæ perſonæ fuiſſent incarnatæ, quod eſt hæreticum. Neque obſtat, quòd ſubſiſtentia diuina identificetur realiter cum natura. Siquidem cum diſtinguatur ab illa virtualiter intrinſecè, ſicut poteſt ad intra non communicari, in communicatione naturæ, ita poteſt ad extra incarnari, non incarnata natura. Deinde Chriſtus, licèt compoſitus ex duabus naturis, non eſt duplex, ſed vnus, vt expreſsè dicitur in ſymbolo S Athan. *Nou duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus*. Ergo habet vnitatem talium naturarum. Sed hanc non habet ex eo quod vna componat aliam, vt actus, & potentia; & multò minus ex eo, quod vna

na-

natura tranſmutetur, ſeu conuertatur in aliam, vt mox videbimus, confutando errores hæreticorum in ſeq. ar. Ergo hęc vnitas debet haberi per ſolam vnitatem diuinæ ſubſiſtentiæ, per hoc videlicèt quòd vtraque Chriſti natura, vniatur in eodem diuino ſuppoſito; vnde reſultat vna ſola perſona, compoſita ex duabus naturis, diuina, & humana, ratione quarum hæc perſona ſit ſimul verus Deus, & verus homo, vt dictum eſt, & ipſæ naturæ ſint vnum ſuppoſitaliter, vt melius patebit ſolutione obiectionum.

ARTICVLVS V.

Soluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ, & ſtabilitur doctrina catholica, aduersùs hæreſes.

AD 1. Dico 1. Chriſtum non eſſe vnum vnitate naturæ, ſed perſonę, vt eſt definitum in V. ſynodo gen. quæ eſt conc. 2. Conſtantinop.; & in tot alijs concilijs. Deinde dico, naturam diuinam, neque poſſe ſecundum partem conuerti in humanam, vt blaſphemauit Apollinaris, quia cum ſit ſpiritualis, & ſimpliciſſima, non habet partes; neque ſecundum ſe totam, quia eſt immutabilis, & neceſſaria. Ergo non poteſt in aliam conuerti, quia periret, ſicut perit natura panis, cum conuertitur in corpus

Chri-

Chriſti. Neque poteſt haberi per conuerſionem naturæ humanæ in diuinam. Primò quia cum hæc conuerſio eſſet de nouo, etiam diuina, vt eius terminus, fieret de nouo, vt eſt corpus Chriſti in Euchariſtia, quod idem ſemper, ex vi verborum, reproducitur ſub ſpeciebus panis, vt videbimus in loco. Deinde quia in Chriſto non daretur, niſi natura diuina, & ideo eſſet purus Deus, adeòque non potuiſſet pati, & mori. Et tertiò quia hæc vnitio non eſſet aſſumptio carnis, vnde non verificaretur incarnatio filij Dei, ſed eſſet conuerſio carnis in Deum, vnde eſſet deificatio quoad ſubſtantiam, quod euerteret funditus hoc myſterium. Denique neque poſſet haberi per conuerſionem, ſeu miſtionem vtriuſque ſubſtantiæ in aliam tertiam. Primò quia in illa hæ naturæ confunderentur, ſicut elementa confunduntur in miſto, contra quod reclamat Athanaſius in ſymbolo. *Vnus, non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ, nec conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum*: & definit Chalcedonenſe act. 5. *Vnum Chriſtum in duabus naturis inconfuſibiliter cognoſcendum, nulla naturarum differentia ſublata propter vnionem, ſed magis vtriuſque naturæ proprietate in vnam perſonam, & in vnam ſubſtantiam concurrente*. 2. Quia ſicut miſtum non eſt elementum, ita neque Chriſtus eſſet verus Deus, & verus homo, ſed tertia quædam

ſubſtantia participans de vtroque, quod tolleret communicationem idiomatum. Demum quia natura diuina non poteſt in aliam conuerti, vt nuper diximus. Ergo hæc vnitas non poteſt haberi, niſi per vnitatem eiuſdem ſuppoſiti, vt dictum eſt.

Vnde patet reſponſio ad eius primam probationem, aduerſus quam inſurgit Greg. lib. 4. Ep. 61. inquiens, *Verbum caro factum, non immutando quod erat, ſed aſſumendo quod non erat*, nempe incipiendo terminare humanitatem, quam priùs non terminabat.

Ad 2. Dico 1. Illa non eſſe verba Cyrilli, ſed Eutychetis, & vt talia fuiſſe reiecta in tali Concilio, vt probat noſter Gibbo. Deinde poſſunt intelligi de natura, vt in ſe ſubſiſtente, vt fuerunt expoſita can. 8. quintæ Synodi generalis, nempe quòd natura humana ſuppoſitaliter ſumpta, non facit numerum cùm diuina, cum vtraque ſit vna ſuppoſitaliter. Verùm hic modus loquendi, vtpote apertè fauens Dioſcoro, & Eutycheti damnatis in tali Conc. debet euitari; vnde apparet, non eſſe Cyrilli, qui alibi oppoſitum dixit.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et dico, in exemplis non requiri conuenientiam in omnibus, ſed ſolum in eo, ad quod exprimendum adhibentur; aliter eſſent idem, & non exempla. Quia ergo exemplum Athanaſij valet in hoc, quòd ſicut anima, & corpus faciunt vnum ſuppoſi-

tum in homine, licèt ſint duæ naturæ, vna ſpiritualis, & alia corporea, ita in Chriſto natura diuina, & humana faciunt vnum ſuppoſitum, & non attenditur ad alia.

Ad 4. Dico, non ſemper ly *factum*, ſumitur pro prima rei poſitione, ſed aliquando ſumitur pro acquiſitione nouæ formæ, ſiue noui modi eſſendi, vt cum aliquis dicitur factus Cardinalis, per ſolam acquiſitionem dignitatis, & intellectus factus glorioſus, per ſolam acquiſitionem luminis glorię. Paritas ergo panis in corpus Chriſti, conſiſtit in hoc, quòd ſicut per verba conſecrationis, ſub ſpeciebus panis ponitur verum Chriſti corpus; ita per actionem aſſumptiuam, in humana natura eſt vera perſona filij Dei. Quòd ſi ly *factum* trahatur ad conuerſionem, non poteſt aptari ad rem pręſentem.

Ad 5. Nego conſequentiam, quia quamuis ſubſiſtentia ſit realiter idem cum diuina natura, quia tamen diſtinguitur virtualiter intrinſecè, poteſt immediatè terminare vnionem hypoſtaticam, quã eius natura terminat ſolùm mediatè, ſicut diximus ſupra.

Ad 6. Nego minorem. Quamuis enim perſonalitas in abſtracto, quatenus dicit ſolam relationem, virtualiter intrinſecè diſtinctam ab eſſentia, non importet formaliter, niſi perfectionem ſimplicem, quia tamen in concreto dicit etiam naturam diuinam, cum qua realiter identificatur, ideo

ideo identicè communicat naturæ humanæ, non quidem immediatè, & per identitatem, ſed mediatè, & per vnionem ſubſtantialem, omnes perfectiones deitatis, ratione quarum dicitur verus Deus, ſicut per perfectiones humanitatis, dicitur verus homo.

Vnde patet reſponſio ad 7. Prætérquamquòd vnio intentionalis intellectus cũ diuina perſona, quia fit per viſionem, quæ eſt cognitio intuitiua, attingens obiectum vt eſt realiter in ſe à parte rei, ideo cum diuina perſona ſit realiter ſua eſſentia, ſicut eſt ſua perſonalitas, non poteſt terminare hanc vnionem ſecundùm vnũ, quin terminet ſecundùm aliud, quæ verè non ſunt vnũ, & aliud, ſed vnum ſimpliciſſimum ſecundùm realitaẽ. At vnio phyſica diuinæ perſonæ cum natura humana, quia conuenit, illi ſecundũ perſonalitatem, vt virtualiter intrinſecè diſtinctę à diuina natura, ratione cuius conuenit vni perſonę, & non alijs, ideo ratione perſonalitatis, terminat illam immediatè, & ſolùm mediatè ratione naturæ. Vnde ex vna vnione, non datur illatio ad aliam, propter euidentem diſparitatem.

Ad 8. Nego conſequentiam. Primò quia diuina perſona, non amittit eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam, per hoc quòd præter propriam naturam, acquirat aliam, eò quia hanc ſecundam non acquirat, vt retinentem propriam ſubſiſtentiam, per quam in ſe termi-

minetur, ſed vt illa ſpoliatam, ita vt ſubſiſtat in ſola ſubſiſtentia diuina, quarum proinde vnio componit quidem diuinam perſonam, vt ſubſiſtat in duplici natura, non tamen multiplicat perſonas, vt dictum eſt. Deinde, fides docet, ſolum Deum filium fuiſſe incarnatum. Ergo ex vna parte debemus dicere, vnionem hypoſtaticam non fuiſſe factã in natura diuina, quia cùm hæc ſit communis, omnes diuinæ perſonæ eſſent incarnatæ; & ex alia quòd ita ſit facta in perſona, ſecundùm prædicatum eius proprium, vt non abſtulerit ab illa eſſe perſonale diuinum, aliter natura aſſumpta non eſſet Deus, & ipſe Deus non eſſet factus homo, ſed eſſet conuerſus in humanitatem, quæ ſunt abſurda ſupra impugnata. Ergo ſicut homo per vnionem cum filio Dei, retinuit eſſe hunc hominem, ſecundùm ſingularitatem humanæ naturæ, aliter omnis homo fuiſſet aſſumptus, quod eſt hereticum, non tamen retinuit quòd eſſet hic homo, denotando ſingularitatem perſonæ, aliter Deus aſſumpſiſſet perſonam hominis, adeòque in Chriſto eſſent duæ perſonæ, quod reiecimus vt erroneum; & ideo non dicimus quòd Deus aſſumpſit hominem, ſed humanam naturam; ita etiam diuina perſona, per vnionem cum humana natura, retinuit eſſe hanc numero perſonam, ſecundùm eſſe proprium perſonale diuinum, cui ſolùm fuit modo ineffabili ſuperaddita, terminatio natu-

turæ humanæ, ratione cuius, vbi priùs erat indiuidua ſubſtantia, denotando hanc ſolam ſingularem naturam diuinam, vt ſubſiſtentem in tali ſuppoſito, deinde denotet etiam naturā humanā, vt facientē vnum ſingulare indiuiduum, ſubſiſtens in eodem ſuppoſito, quod dicitur Chriſtus, non quòd vtraque natura ſit facta vna per identitatem, quod eſt impoſſibile, ſed quòd ſit facta vna per vnitatem eiuſdem ſuppoſiti, in quo ſubſtantialiter fuerunt vnitæ.

ARTICVLVS VI.

An vnio hypoſtatica ſit omnium maxima? Et an per illam poſſit Verbum diuinum dici perſona compoſita?

VIdetur 1. quòd vnio hypoſtatica non ſit vnionum maxima, Primò quia vnio materiæ cum forma eſt maior, eo quia per illam fiat vnum in ſuppoſito, & in natura, per hanc autem ſolùm in ſuppoſito, vt dictum eſt. 2. Per vnionem hypoſtaticam, vna natura non fit alia, ſicut fit per vnionem intellectus cum obiecto, eo quia vt actu intelligens fit obiectum. Ergo hæc eſt maior illa 3 Vnio naturæ creatæ cum propria ſubſiſtentia fit ſine medio. Ergo eſt maior hypoſtatica

ca, quæ ſit per medium, nempe per modum. 4. Vnio hypoſtatica eſt inter extrema infinitè diſtantia. Ergo eſt minor illa, quę nectit extrema finitè diſtantia.

Videtur 2. Perſona Verbi in Chriſto non eſſe compoſita, vt docent Scotus, Bonauentura, Durandus, Caietanus, & alij. Primò quia quod eſt eſſentialiter ſimplex, non poteſt fieri compoſitum. Sed perſona Verbi eſt eſſentialiter ſimplex. Ergo non poteſt eſſe compoſita; adeòque ſi admittatur compoſita in Chriſto, in illo eſſet duplex perſona, alia ſimplex, & alia compoſita. 2. Compoſitum eſt perfectius partibus. Ergo Chriſtus eſſet perfectior Verbo, quatenus dicit propriam naturam hominis, & ipſam perſonam Verbi, vt ſui conſtitutiuas. 3. Quidquid componitur, eſt perfectibile à componentibus, vt patet in omnibus totis ſubſtantialibus, in quibus partes ſe inuicem perficiunt, & omnes perficiunt totum. Sed Deus nullo modo eſt perfectibilis, aliter eſſet in potentia ad vlteriorem perfectionem, vnde non eſſet actus purus. Ergo non poteſt componi, ſeu componere. Ex quo intulimus in tr. de Deo vno, Deum nō poſſe venire in compoſitionem cum alijs, per modum partis.

1. Concl. *Vnio hypoſtatica eſt omnium maxima, non ſolùm in ratione dignitatis, & beneficij, ſed etiam in ratione formali vnionis.* Eſt ferè communis cum D. Tho. hic q. 2. ar. 9.

Prima pars patet, quia cùm dignitas vnionis habeatur ab extremis, quò hæc ſunt digniora, eò eſt dignior vnio; & ideo vnio auri cum argento,eſt dignior, quàm vnio lapidis cum ferro. Sed per vnionem hypoſtaticam vnitur Deus cum homine. Ergo quia Deus eſt omnium perfectiſſimus, refundit in vnionem, maximam dignitatem. Et ideo ſummis laudibus exaltatur à Sanctis Patribus, vt miraculorum omnium maximum,& Dei opus excellentiſſimum.

Probatur ſecunda, Non poteſt Deus conferre vlli creaturæ,maius beneficium, quàm præbendo ſeipſum, illam aſſumendo in conſortium diuinitatis, per veram, & realem vnionem ſubſtantialem cum illa. Ergo vnio hypoſtatica cum homine eſt maximum beneficium,quod illi Deus conferre potuerit. In cuius conſiderationem abſorptus Leo Papa ſer. 1. de nat. Dom. exclamat, *Agnoſce ò homo dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum, &c.*

Probatur tertia, perfectio cauſæ formalis deſumitur ex eius effectu formali, ad quem præſtandum adhibetur. Sed effectus formalis vnionis hypoſtaticæ eſt maior, & perfectior quolibet effectu formali cuiuſcumque alterius vnionis, ſiue realis, ſiue intentionalis, ſiue phyſicæ, ſiue moralis. Ergo vnio hypoſtatica, e-

tiam

tiam in ratione formali vnionis, hoc eſt vt eſt cauſa formalis vnitorum, in eſſe vnita, eſt maxima, & perfectiſſima. Maior patet, cùm perfectio effectus proprij arguat perfectionem cauſæ. Et ideo quia actio creatiua excedit perfectionē cuiuſcumque agentis finiti, deduximus in 7. phys. nullum agens creatum poſſe creare, vt agens principale, quidquid ſit de inſtrumentali. Hoc autem multò magis vrget in effectu formali, qui cum ſit realiter idem cum ſua cauſa formali, non poteſt eius perfectionem excedere; aliter excederet ſeipſum. Conſequentia eſt euidens. Minor probatur, nulla vnio inducit communicationem idiomatum, quam inducit hypoſtatica. Sed hæc eſt maximus acceſſus ad vnitatem. Ergo nulla alia vnio magis accedit ad vnitatem, adeòque eſt maior hypoſtatica, in ratione formali vnionis. Quòd vnio hypoſtatica inducat extremis communicationem idiomatum, patet, quia poſſunt promiſcuè affirmari de homine, quæ affirmantur de Deo, in Chriſto, & viceuerſa, vt probabimus infra. Hæc autem neque ſequitur ex vnione animæ cum corpore, quæ non poſſunt mutuò affirmari: neque ex vnione morali, ſeu intentionali, vt patet. Quod autem communicatio idiomatum, ſit maximus acceſſus ad vnitatem, probatur, quia ſicut ea, quæ ſunt vnum per identitatem, habent mutuum conſenſum in prædicatis perfectiuis, &

mu-

mutuam affirmabilitatem in recto, ita hypoſtaticè vnita, licèt retineant realem diſtinctionem, ratione cuius non poſſint mutuò affirmari in recto, neque enim poteſt dici, *natura humana eſt natura diuina*, & viceuerſa, tamen maximè omnium participant de hoc, vt patebit obiectionum ſolutione, cùm poſſit dici, *homo eſt Deus*, & *Deus eſt homo*. Ergo maximè omnium accedunt ad vnitatem, eò quia vniantur in termino intrinſeco, ratione cuius fiunt vnum ſuppoſitaliter, vnde actiones extremorum vniuntur in tertio, quod eſt commune principium *quod*.

2. Concl. *Perſona Verbi poteſt dici compoſita in Chriſto ex natura diuina, & humana.* Ita D. Tho. q. 2. ar. 4. & cum eo communiter alij, etiam Scotiſtæ, quamuis cum Maſtrio hic diſp. 1 n 48. limitetur ad compoſitionem quamdam ineffabilem, non autem ad propriam, & rigoroſam.

Probatur 1. Ex Later. ſub Martino I. can. 8. *Siquis non confitetur, verè, & propriè ſecundùm compoſitionem, hoc eſt ſecundum ſubſiſtentiam naturarum vnitionem, ex quibus idem vnus, & ſolus extitit Chriſtus, ſit condemnatus.* Quod idem aſſeritur vt de fide in 5 & 6. Synodo generali, & expreſsè à Damaſceno lib 3 fidei, *In Chriſto duas naturas agnoſcimus, vnam autem hypoſtaſim ex vtraque compoſitam.* Deinde ratione, quod conſtat expluribus realiter diſtinctis, vnitis ad faciendum vnum

per

per ſe, eſt verè,& propriè compoſitum. Sed perſona Chriſti conſtat ex natura diuina, & humana, quæ ab inuicem realiter diſtinguuntur, & vniuntur ad faciẽdum vnum per ſe; aliter facerent multitudinem confuſam, & inordinatam. Ergo eſt verè, & propriè compoſita, non quidem cõpoſitione actus, & potentię, ſiue perfectiui, & perfectibilis, ſed naturæ, & ſubſiſtentiæ, quã compoſitionẽ in lib. de Deo vno diſp. 5. ar. 1. excluſimus à Deo, vt eſt in ſe, tamquã repugnantẽ eius ſummæ ſimplicitati, & admittimus in Chriſto, non quidẽ reſpectu diuinę naturę, vt eſt in ſe, ſed ſolùm reſpectu eiuſdẽ, vt eſt vnita naturæ humanæ, in ſua ſubſiſtentia, à ſe ſola ratione diſtincta, licèt realiter, & adæquatè diſtinguatur à natura humana.

Ad 1. primæ ſententiæ, Nego antecedens. Quamuis enim vnio materię cum forma ſit maior extenſiuè, eò quia terminetur ad ſuppoſitum, & naturam, non tamen eſt maior intenſiuè vnione hypoſtatica, quæ ſolum facit vnum in ſuppoſito. Et ratio eſt, quia hæc facit communicationem idiomatum, quam alia non facit; neque enim poteſt dici, *anima eſt corpus*, cum quo vnitur, & viceuerſa, ſicut poteſt dici, *homo eſt Deus*, & viceuerſa.

Ad 2. Nego antecedens, quoad ſecundam partem, cuius falſitatem ſolo proſtrauimus in tr. de vis. de qua ait Suar. hic diſp. ij. ſect. 1. *Illud quòd ex intellectu, & intelligibili fiat maximè vnum, quia intel-*

intellectus ſit ipſum intelligibile, magis per metaphoram, quàm uerè dictum eſt. Hic autem uerißimè, & propriißimè Verbum factum eſt homo, per intimam coniunctionem humanitatis. Ad 3. Nego conſequentiã. Et ratio eſt, quia cum ſubſiſtentia creata ſit negatiua, non indiget modo poſitiuo, vt vniatur cum natura, cum qua vniretur per modum, ſi eſſet poſitiua, ſicut eſt diuina. Ergo hinc nõ arguitur maior vnio, cùm nulla ſit vnio poſitiua. Ad 4. Nego conſequentiam, cùm ſequatur oppoſitum. Et ratio eſt, quia extrema minus diſtantia, minus diſtant ab vnitate. Ergo indigent minore nexu, vt fiant vnum. Ea verò quæ magis diſtant, quia magis diſtant ab vnitate, indigent maiore nexu, vt fiant vnum, ſicut ſunt natura diuina, & humana. Vnde retorquetur argumentum.

Ad 1. Secundæ ſen. Dico, Perſonam Verbi compoſitam, non quia admittat in ſe compoſitionem intrinſecam, per quam diuidatur in partes componentes, quod tolleret ab ipſo ſimplicitatem; ſed per hoc quòd extendatur, ad terminandam naturam humanam, per modum termini intrinſeci, quæ ſimul cum natura diuina facit ineffabile Chriſti compoſitum, ita vt compoſitio ſit extrinſeca Verbo, & intrinſeca ſoli Chriſto, in quo quia non datur, niſi perſona Verbi, ideo illam denominat compoſitam, quatenus ſubſiſtit in duplici natura, quæ vnitæ componunt

Chriſtum, modo explicato. Ad 2 Nego conſequentiam, quæ ſolùm valet de toto reſpectu partium. Quia ergo Verbum non componit Chriſtum per modum partis, ideo Chriſtus non eſt perfectior Verbo, ſicut alibi diximus, complexum ex Deo, & creatura, non eſſe perfectius ſolo Deo, ſaltem intenſiuè. Vnde patet ſolutio tertij, quod ſolùm valet de componentibus per modum partium; & in hoc ſenſu negauimus loco citato, poſſe Deum venire in compoſitionem cum alijs. Quomodo autem componat per modum termini, & non partis, dictum eſt in loco citato, & valde proderunt quę mox dicemus.

ARTICVLVS VII.

An vnio hypoſtatica trahat communicationem idiomatum Dei, & hominis?

VIdetur non trahere, Primò quia vel traheret communicationem omnium attributorum, vel non? Primum eſt hæreticum, quia faceret Chriſtum æternum, immenſum, omniſcium, omnipotentem, immutabilem, & impaſſibilem. Secundùm etiam eſt erroneum, quia non poſita tali communicatione, Chriſtus vt homo non eſſet Deus, ſicut vt Deus non eſſet homo, & ſic tolleretur incarnatio,

quia

quia non verificaretur quòd verbum ſit factũ caro, vt dicitur Io.1.Ergo non datur hæc communicatio idiomatum, quæ cõſiſtit in hoc,quòd ea,quæ dicuntur de Deo, dicantur de homine, & viceuerſa. Deinde, poſita tali communicatione idiomatum, dicerentur de Deo, quæ dicuntur de homine, nempe quòd incæperit eſſe, quòd ſit creatura, defectibilis, paſſibilis, & mortalis, quæ Deo repugnant. 3. Diuina attributa ſunt perfectiones abſolutæ, & propriæ eſſentiæ. Ergo ſi communicarentur humanitati, ex vi vnionis, hæc facta eſſet in natura, & non in perſona; vel ſi dicatur facta in perſona, communicarentur proprietates perſonales Verbi, nempe generari ad intra, ſpirare, eſſe Patri conſubſtantialem, coæternum, coęqualem, &c. quæ ſunt abſurda.

1. Concl. *Eſt impoſſibile, fieri in Chriſto unionem ſubſtantialem, naturæ diuinæ cum humana in perſona Verbi, quin reſultet Chriſto utriuſque naturæ communicatio idiomatum, ex ui præcisè talis unionis.* Eſt communis, & de fide.

Probatur, communicatio idiomatum, nihil eſt aliud, niſi quòd prædicata propria vtriuſque naturæ, nempe diuinæ, & humanæ, prædicentur de ſuppoſito, ſeu de perſona Chriſti. Sed hæc prædicatio ſequitur neceſſariò, ex natura rei, ex vnione talium naturarum in eadem perſona Chriſti. Ergo ex tali vnione ſequitur neceſ-

neceſſariò ex natura rei, communicatio idiomatum. Maior, & conſequentia ſunt certæ penès catholicos. Minor probatur, ex vi vnionis hypoſtaticæ, factum eſt, vt ſuppoſitum Verbi æterni, quod erat proprium ſolius diuinæ naturæ, verè, & propriè fieret ſuppoſitum humanæ naturæ, ita vt ſicut hæc in illo ſolo ſubſiſteret, ità & hoc non ſubſiſteret ampliùs in ſola natura diuina, ſed ſubſiſteret ſimul in diuina, & humana natura, ex quo fieret Chriſtus, in quo eſſent duæ naturæ, & vna perſona. Quia ergo perſona diuina eſt eſſentialiter Deus, propter identitatem cum diuina natura, ideo non poteſt ſe ad extra communicare naturæ humanæ, illam intrinſecè terminando, niſi communicet etiam quæ ſunt propria ipſius eſſentialiter, & ſuppoſitaliter; ſicut econuerſo non poteſt aſſumere naturam humanam, vt ſibi ſubſtantialiter vniatur, & à ſe intrinſecè terminetur, niſi ſibi communicet quæ ſunt propria talis naturæ, cùm ſit impoſſibile, communicari cauſam formalem, quin communicetur omnis eius effectus formalis, qui ſubiecto non repugnet.

2. Concl. *Ea quæ conueniunt naturę humanę, ut in ſe terminatæ propria ſubſiſtentia, non poſſunt prędicari de Chriſto.*

Probatur, quia cum perſona creata non ſit aſſumptibilis à Deo, vt infra patebit, eſt incompoſſibilis cum diuina. Quia ergo in Chriſto eſt perſona diui-

na,

na, non poteſt in illo eſſe perſona creata; atque adeo nec poſſunt de illo prædicari, quæ ſunt propria naturæ humanæ, vt terminatæ propria perſona creata, cuiuſmodi ſunt, eſſe peccabilem, filium adoptiuum, purum hominem, ſeu purum viatorem, &c. quæ repugnant diuinæ perſonæ.

3. Concluſio. *Quæ ſunt propria utriuſque naturę, poſſunt prędicari de perſona Chriſti in concreto, non autem in abſtracto.*

Probatur, cùm vtraque natura terminetur, & ſuſtentetur à perſona Chriſti, hæc in concreto dicit ſeipſam vt formam, & ipſas naturas vt ſubiectum. Ergo ſicut de naturis dicuntur quæ ſunt propria perſonæ, ita de perſona quæ ſunt propria naturarum, & ideo verè dicitur, *homo eſt Deus, Deus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo*, &c. Si tamen accipiantur in abſtracto, non poſſunt dici, quia tollerent naturarum diſtinctionem. Quia ergo verè humanitas non eſt deitas in Chriſto, aliter non eſſent vnitæ, ſed identificatæ, per ueram conuerſionem vnius in aliam, quod ſupra reiecimus vt hæreticum, ideo non poteſt dici, diuinitas paſſa eſt, humanitas eſt omnipotens, &c. Et ratio eſt, quia hæ naturæ in abſtracto non dicunt ſuppoſitum, in quo ſolo vniuntur. Ergo non habent communicationem prædicatorum, quam ſolùm habent in concreto, ratione communis perſonæ, qua ſola ſuppoſitantur. Neque

obſtat quòd dicatur *uita mortua*, denotando filium Dei, nam ſenſus eſt metaphoricus, vt fiat antitheſis cum morte, & ideo dicitur, *mors mortua tunc eſt in ligno, quando mortua vita fuit*, accipiendo cauſam pro effectu, nempe peccatum pro morte, & Redemptorem pro vita, exponendo concretum per abſtractum.

4. Concl, *Quæ ſunt propria vnius naturæ, non poſſunt de alia prædicari, etiam in concreto*. Ita Suar. diſp. 35. ſect. 2. & eſt de fide.

Probatur, per vnionem hæ naturæ non confunduntur in Chriſto, vt definitum eſt in Chalced. Ephes. & Later. ſub Martino I, can. 9 Ergo ſicut non poteſt dici *humanitas eſt diuinitas*, vel *humana natura eſt diuina natura*, ita nec poteſt dici, *humana natura eſt omnipotens*, vel *natura diuina eſt peccabilis*, vt diximus in 2. concl. Et ratio eſt, quia licèt vt terminatę eadem diuina ſubbſtentia, habeant communicationem idiomatum, in termino talis vnionis, quem diximus eſſe Chriſtum, tamen illam non habent inter ſe, eò quia in modo ſignificandi, illæ propoſitiones indicent, huiuſmodi proprietates, & attributa conuenire naturis, non quidem vt Verbo vnitis, ſed vt terminatis proprijs ſubſiſtentijs, quæ vel inducerent in Chriſto pluralitatem perſonarum, ſi perſonæ aſſerantur aſſociabiles, vel tollerent incarnationem Verbi, ſi cum illo aſſerantur diſſociabiles, & incompoſſibiles.

biles. Et hæc eſt ratio, quare etiam de Chriſto non poſſint verificari, reduplicando tales naturas, e g. *Chriſtus vt Deus eſt mortuus Chriſtus vt homo eſt omnipotens*, quia per has reduplicationes, illa concreta *Deus*, & *homo* reducuntur ad abſtracta, eò quia per illas ſignificetur, prædicatum conuenire ſubiecto, ratione naturæ ſecundum ſe conſideratæ, quod eſt falſum.

Et hinc patet reſponſio ad argumenta contraria, cùm multa poſſint affirmari, vel negari de Chriſto, determinando alterutram naturam, quæ abſolutè affirmari, vel negari non poſſunt, vt *eſſe vbique, ab æterno, actum purum*, &c. non poſſunt affirmari de Chriſto, niſi determinando prædicatum ad naturam diuinam; ſicut econtra *eſſe mutabilem, perfectibilem, uiatorem*, &c. non poſſunt dici de Chriſto, niſi determinando prædicatum ad naturam humanam. Alia verò poſſunt de illo abſolutè affirmari, vt *eſſe filium naturalem Dei, redemptorem mundi, iudicem uniuerſorum*, &c. vel abſolutè negari, *ut eſſe peccabilem, filium adoptiuum*, &c.

Vnde ſequitur 1. eſſe falſas has propoſitiones, *Deus ut Deus eſt homo, homo ut homo eſt Deus, Chriſtus ut Deus mortuus eſt, Chriſtus ut homo eſt æternus, omnipotens, immortalis, immenſus, &c.* Contra verò eſſe veras has abſolutè prolatas, *Deus eſt homo, paſſus, & mortuus eſt*, & has, *homo eſt Deus, omnipotens, æternus &c.* denotando

Chriſtum, in quo humanitas ſubſiſtit diuino ſuppoſito. Deinde poteſt dici,*humanitas eſt deificata*, non tamen poteſt dici, *humanitas eſt Deus*, quia prima ſonat vnionem, alia vero conuerſionem in Deũ; & ideo non poteſt dici,*humanitas, ſeu homo factus eſt Deus*, licèt poſſit dici,quòd *Deus factus ſit homo*, eò quia homo non aſſumpſit naturam diuinam, ſed Deus humanam. Et ratio eſt, quia aſſumptio eſt actio ſuppoſiti. Ergo ſicut Deus aſſumendo naturam humanam, illam terminauit propria ſubſiſtentia, etiam homo aſſumendo naturam diuinam, illam terminaſſet propria ſubſiſtentia,quod eſt impoſſibile. 3 Poteſt dici, *Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas ſimul ſumpta*, vt probat Suar. diſp. 35. ſect. 2. ex Aug. in ench. c. 38. dicente, *Vtraque ſubſtantia diuina ſcilicet, & humana ſunt unus filius Dei:* & ex Leone Papa ep. ij. *Verbum, caro, & anima ſunt unus Chriſtus*. 4. Poteſt dici,quòd Chriſtus ſit paſſibilis, mortalis, corporeus,&c. & ſimul impaſſibilis, immortalis, & incorporeus, denotando diuerſitatem naturarum; & multa alia, quæ afferemus inferiùs, & magna ex parte vſu diſcuntur, & eliciuntur ex dictis.

AR-

ARTICVLVS VIII.

Abſoluitur materia per varia quęſita.

QVeres 1. An Chriſtus ſit vnus? ℞. cum D.Tho. q. 17. ar.1. & Scoto in 3. d. 6. q. 2. & alijs communiter, eſſe vnum maſculinè, & in neutro. Probo primum 1. ad Timot. 2. *Vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*, 2. in Symbolo S. Athanas. *Non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonę.* 3. In Symb. Nic. *Et in unum D. Ieſum Chriſtum.* Et ratio eſt quia vnus maſculinè appellat vnitatem ſuppoſiti; & ideo diuinæ perſonæ non dicuntur vnus maſculinè, ſine addito *Deus*, ſed vnum, vt dixit Chriſtus Io. *Ego & Pater unum ſumus*, denotando vnitatem ſubſtantię. Probo ſecundùm, quia vnum cum dicitur ſubſtantiuè, ſignificat vel vnum ens, vel vnum ſuppoſitum, vel vnum indiuiduum. Sed Chriſtus eſt vnum ſuppoſitum, vnum idiuiduum vtriuſque naturæ, & vnum ens compoſitum ex pluribus ſubſtantialiter vnitis, ad faciendum vnum per ſe. Ergo eſt vnum in genere neutro, & ſubſtantiuè ſumptum, vt deducitur ex authoribus relatis. Neque obſtat quòd Chriſtus includat aliud, & aliud. Nam D. Tho. q. 2. ar. 3 ad 1. inquit, *Cum dicitur alterum, & alterum in-*

creaturis, non ſignificat diuerſitatem ſuppoſiti, ſed ſolùm diuerſitatem formarum accidentalium; ita cum dicitur Chriſtus aliud & aliud, non importat diuerſitatem ſuppoſiti, uel hypoſtaſis, ſed naturarum. Et hoc probat ex Nazianzeno ep. ad Didimum docente, *Aliud,* & *aliud ſunt ea, ex quibus Saluator eſt, non autem alius, & alius, in Trinitate uerò alius, & alius dicimus, ut non ſubſiſtentiam confundamus, non autem aliud, & aliud, nè ſubſtantiam diuidamus,* quibus concinit Aug. lib. con Felician. c. ij *In homine non alius homo anima, alius homo corpus, ſed aliud anima, aliud corpus; ſic in mediatore aliud Dei filius, aliud hominis filius, ſed non alius, & alius, ſed unus, & idem.*

Queres 2. An Chriſtus exiſtat per ſolam exiſtentiam increatam Verbi? ℞. Chriſtum exiſtere per duplicem exiſtentiam, alteram creatam propriam humanitatis, & alteram propriam Verbi; ita vt prima compleatur per ſecundam, in eſſe vnam exiſtentiam Chriſti completam, & adæquatam. Probatur ex dictis in 1. phys. vbi ſtatuimus vniuerſaliter, cuiuſcumque rei exiſtentiam eſſe realiter identificatam cum eius eſſentia, quidquid contradicant Thomiſtæ. Ergo tot exiſtentiæ, quot eſſentiæ. Atque adeo quia in Chriſto ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ, ſingulæ habent proprias exiſtentias. Præterea exiſtentia eſt perfectio abſoluta propria eſſentiæ, & relatiua propria

pria perſonarum, vt probauimus in tr. de Trin. diſp. ij. ar. 2. Vel ergo Chriſti humanitas exiſteret per exiſtentiam abſolutam, vel per relatiuam? Non primum, quia vniretur in natura diuina immediatè, quòd ar. 4. vidimus eſſe falſum. Neque ſecundum, quia exiſtentia Verbi tranſiret in eſſe humanitatis, cùm non poſſit exiſtere, niſi per exiſtentiam ſecum identificatam, quod ſupra vt abſurdum impugnauimus. Hoc non valet de ſubſiſtentia creata, quæ cum realiter diſtinguatur à natura, poteſt ſuppleri per aliã, abſque naturarum confuſione.

Quæres 3. An in Chriſto ſint plura eſſe, vel vnum? ℞. eſſe vnum ſubſtantiale completum, ex pluribus compoſitum, per vnionem in eadem perſona. Probatur ex dictis; ſiquidem in Chriſto ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ, facientes vnum per ſe, vnitate eiuſdem ſuppoſiti. Ergo hoc vnum ſuppoſitaliter, conſtat ex pluribus ſubſtantialiter diuerſis, quorum ſingula cum vnione ſubſtantiali, retinent proprium eſſe, diſtinctum ab alijs, vt diximus in primo quæſito.

Queres 4. An Chriſtus incęperit eſſe, & ſit formaliter creatura? Hanc quæſtionem pro dignitate reſoluimus in diſp. met. lib 2. diſp. 3. ar. 2. vbi ſtetimus pro parte affirmatiua. Quibus addo Auguſtinum qui tr. 105. in Io. inquit, *Antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec ipſe mediator Chriſtus.* Ergo ſicut nos tranſiui-

mus de non eſſe, ad eſſe, ita & Chriſtus, non quidem ratione ſuppoſiti, de quo Chriſtus dixit Io. 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum,* ſed ratione vnionis cum humana natura. Vnde elicio etiam rationem; ſiquidem nouitas vnionis inter extrema, inducit nouitatem compoſiti, reſultantis ex talibus extremis vnitis, vt per ſe patet. Sed Chriſtus dicit compoſitum, ex natura diuina, & humana, vt vnitis in perſona Verbi æterni. Ergo cùm hæc vnio facta ſit in tempore, & hęc ſit cauſa formalis compoſitionis talium naturarum, etiam compoſitum, quod eſt eius vnicus effectus formalis, eſt factum in tempore, adeòque eſt formaliter creatum, non quidem ex nihilo, vt dicebant Arriani, ſed ex Verbo præxiſtente, & humanitate de nouo facta, & de nouo ſubſtantialiter vnitis, in perſona eiuſdem Verbi, vt egregiè docent, Nazianzenus, Ambroſius, & Aug. Nam primus or. 34. inquit, *O nouam miſſionem, & admirandam temperationem! Qui eſt, fit: & qui non eſt, creatur*: & ſecundus lib. 3. de fide c. 4. *Eumdem dico creatum eſſe ex Virgine, creatum ex homine, qui eſt generatus ante ſecula*: Et tertius lib 4. de Trin. c. 19. *factum quippe creaturam, per quem facta eſt omnis creatura, omnem creaturam teſtem habere oportebit*: & ſer. 16. de temp. *Propter nos creatus eſt creator*; & ſer. 25. *Creatur ex matre, quam creauit*. Quibus concinit Hyeron. lib. 3. in Iſaiam, *Nos liberè pro-*

clamamus, non eſſe periculum, illum dicere creaturam, loquendo de Chriſto.

Quæres 5. An Chriſtus ſecundùm quòd homo, ſit Deus? Reſp. negatiuè, cum D. Tho. hic q. 16. ar. ij. Et ratio eſt, quia licèt homo in Chriſto dicat ſuppoſitum quod eſt Deus, quia tamen hæc reduplicatio reduplicat naturam humanam, quæ non eſt Deus, ideo Chriſtus ſecundùm illam non eſt Deus. Aliter, quia natura humana conuenit omni homini, omnis homo eſſet Deus, quod eſt falſum.

Quæres 6. An Chriſtus ſecundùm quod homo, ſit perſona? Reſp. negatiuè, cum eod. ibid. ar. 12. Et ratio eſt, quia cùm humanitas non habeat in Chriſto propriam ſubſiſtentiam, ſecundùm humanitatem Chriſtus non eſt perſona; aliter eſſet in illo duplex perſona, nempe temporalis, & æterna, quod ſupra reiecimus vt hæreticum. Neque obſtat, quòd in Chriſto humanitas perſonetur Verbo æterno, ita vt verè poſſit dici, quòd perſona Verbi, ſit perſona humanæ naturæ. Cùm enim hęc perſonalitas non ſit debita, & multò minus cauſata ex principijs humanæ naturæ, non illi conuenit ratione ſui, ſed ratione diuinæ naturæ, cum qua vnitur. Ergo ſi accipiatur ſeorſim ab illa, ſicut accipitur in tali propoſitione, nulla illi conuenit perſonalitas. Vnde ſequitur, quòd cùm in vtraque natura ſit vna perſona compoſita, vt dictum eſt, hæc poſſit dici diuina, & hu-

mana, vt probat Suar. in fine q. 16.

Quæres vltimò, an in Chriſto fuerint duæ voluntates? Sed quia hoc ſpecialiter ſpectat ad quæſtiones de Chriſti voluntate, & libertate, ideo differimus ad illa loca ſolutionem, & pro nunc reſpondemus affirmatiuè.

DISPVTATIO VII.

De Aſſumente, & aſſumpto.

MVlta hic congeruntur à theologis de ſubſiſtentia, quorum plerique admittentes in Deo ſubſiſtentiā abſolutam, vel negant relatiuas, vel earum cum illa aſſociabilitatem propugnare conantes, varijs,ijsque difficillimis quæſtionibus exagitati, à propria materia, ad philoſophicas tracti, theologiæ ſtudioſos inutiliter vexant, & ſacroſanctum Incarnationis myſterium, non ſolùm non explicant, ſed reddunt difficillimū explicatu. Supponentes ergo,non dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quam lib 2. diſp. met. diſp. 3. e ſcholis eliminauimus, & admittentes ſolam triplicem ſubſiſtentiam relatiuam, vt propugnauimus in tr. de Trin. diſp. 15. exploſa penitus abſoluta, & præterea ſupponentes, ſubſiſtentiam cuiuſcumque naturæ creatæ, eſſe aliquid negatiuum, quæremus 1. An ſolus filius fuerit incarnatus? 2. An plures perſonę poſſint aſſumere eamdem naturam? 3. An eadem perſona poſſit ſimul aſ-

ſu-

ſumere plures naturas? 4. An poſſit Deus aſſumere naturam inrationalem? 5. An Verbum aſſumpſerit omnes partes naturæ humanæ? Et demum, an hæ partes fuerint aſſumptæ cum aliquo ordine?

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſolus filius fuerit incarnatus?

VIdetur, quòd omnes diuinæ perſonæ fueritnt incarnatæ, vt dicebant Sabelliani, qui non diſtinguentes perſonas, quod vni tribuitur ſecundùm rem, omnibus tribuendum iudicabant, quibus adhæſere, præter Petrum Gnaphæum, etiam alij hæretici, dicti Patripaſſiani; ijsque videntur non diſſentire quicumque ſentientes cum Durando, dixerunt, vnionem hypoſtaticam immediatè, & per ſe terminari ad ſubſiſtentiam abſolutam diuinæ naturæ, ſeu ad ipſam deitatem, quatenus eſt hic Deus. Quamuis enim conentur limitare hanc terminationem ad filium, per hoc quòd ſubſiſtentia illa communis modificetur perſonalitate filij; tamen quia non admittunt ſubſiſtentias relatiuas, non poſſunt explicare, per quid proprium filij, terminatio humanitatis per modum ſubſiſtentiæ, ſeu termini ſubſtantialis intrinſeci, determinetur ad illum ſolum. Fundamenta huius erroris poſſunt eſſe, Primò quia perſona Verbi,

bi, non diſtinguitur à deitate. Ergo ſi vnio facta eſt in tali perſona, facta eſt in deitate, quæ cum ſit omnibus communis, facta eſt vnio omnium perſonarum.

2. Paternitas ſubſiſtit immediatè eadem ſubſiſtentia, qua ſubſiſtit filius, non tamen vnitur immediatè cum filio. Ergo per hoc quòd humanitas terminetur immediatè ſubſiſtentia abſoluta filij, non ſequitur quòd terminetur etiam à Paternitate.

3. Humanitas pendet à Deo, ratione omnipotentiæ, per quam habet vt ſit prima cauſa vniuerſalis. Sed Verbum terminat humanitatem, terminando eius dependentiam à Deo, vt à cauſa prima. Ergo terminat per omnipotentiam, adeòque per naturam, cuius illa eſt perfectio abſoluta.

4. Quamuis eſſentia ſit principium *quo* Pater generat, & ſit in filio, non tamen filius generat. Ergo per hoc quòd filius per naturam terminet humanitatem, non tamen illam per eamdem terminat etiam Pater.

5 Filius vt terminans generationem æternam, eſt Patri coæternus, & conſubſtantialis, coimmenſus, &c. Ergo ſi Chriſtus, vt eſt hic homo, terminaretur à filio, per proprietatem perſonalem, includeret filiationem æternam, per quam eſſet æqualis, coæternus, conſubſtantialis, & coimmenſus Patri

Concluſio, *Solus filius eſt incarnatus, termi-*

minando, per ſolam, & propriam ſubſiſtentiam relatiuam, naturam humanam. Eſt de fide.

Probatur 1. ex Concilijs Toletanis 6. & 11. in prof. fid. vbi dicitur, *Incarnationem filij Dei tota Trinitas operata eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis.* (intellige per modum cauſę efficientis) *Solus tamen filius formam ſerui accepit, in ſingularitate perſonæ* (intellige per modum termini intrinſeci) *non in vnitate diuinæ naturæ: in eo quod proprium eſt filij, non quod Triuitati commune eſt.* Et in 6. Synodo act. 8. ſub fin. *Quia Pater, & Spiritus Sanctus nihil incernatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem,* per quam videlicèt tota Trinitas voluit incarnationem filij Dei. Quibus plures alias addit auctoritates Suar. hic diſp. 12. ſect. 2. Deinde quia ſi filius non terminaſſet humanitatem, per ſolam, & propriam ſubſiſtentiam relatiuam, illam terminaſſet per ſubſiſtentiam abſolutam, vel per aliquod eſſentiale, ſeu per ipſam naturam? Sed hoc eſt abſurdum, non ſolùm quia repugnat allegatis definitionibus, ſed etiam quia faceret quòd tota Trinitas eſſet incarnata, cùm ſit impoſſibile, incarnationem fieri in prædicato communi tribus, & vnum ſolum incarnari. Ergo ſolus filius per propriam ſubſiſtentiam terminauit humanitatem. Et ideo de illo ſolo dicitur Io. 6. *Verbum caro factum eſt.*

Ad 1. Dico, errorem Sabellianorum fuiſſe à nobis profligatum in tr. de Trin;

&

& alium de incarnatione facta in diuina natura, reiecimus hic diſp. 6. ar. 4 Vnde euertitur alius ponentium, incarnationem factam in ſubſiſtentia abſoluta, non ſolum quia hæc non datur in diuinis, vt diximus in proemio, ſed etiam quia ſi daretur, non poſſet in illa fieri immediatè incarnatio, quia traheret idem abſurdum Petri Gnaphæi. Nec quidquā probat argumentum de identitate reali perſonalitatis cum natura diuina; ſiquidem hęc non tollit diſtinctionem virtualem intrinſecam, ratione cuius ſicut poteſt communicari natura, non communicata perſonalitate; ita poteſt incarnari perſonalitas, non incarnata natura.

Ad 2. Nego antecedens, ex falſitate ſuppoſiti, de ſubſiſtentia abſoluta.

Ad 3 Nego minorem. Et dico, à Verbo non ſuppleri dependentiam humanitatis à Deo, vt effectus à cauſa, quę cum ſit eſſentialis naturæ humanæ, non eſt ab illa ſeperabilis, ſed vt naturæ terminabilis, per propriam ſubſiſtentiam, quę cùm ſit ſeparabilis à natura, ideo poteſt ab illa auferri, & loco illius, poni ſubſiſtentia increata, quæ non habetur per omnipotentiam, ſed per proprietatem perſonalem ipſius filij Dei. Quòd ſi petas quomodo natura humana, vt terminabilis pendeat à Deo, cùm eius propria ſubſiſtentia ſit negatiua, quæ non ſit à Deo? ℞ dupliciter à Deo pendere, primò ratione exiſtentiæ, quę eſt fundamentum neceſ-

neceſſarium ſubſiſtentiæ, cùm non poſſit in ſe ſubſiſtere, quod in ſe non exiſtit. Vnde veteres philoſophi ſumpſerunt occaſionem, confundendi vnum cum alio. Quia ergo natura pendet à Deo in exiſtendo, ideo pendet etiam in ſubſiſtendo, quatenus hoc dicit vltimum terminum intrinſecum ipſius naturæ, per quam ſiſtat in ſe, & non tranſeat ad vnionem cum alio, à quo intrinſecè, & ſubſtantialiter perficiatur. Deinde quia cùm ſubſiſtentia creata dicat in recto naturam, & in obliquo negationem vnionis cum alio, quia poteſt Deus vel tollere hanc negationem, vel illam conſeruare, ideo natura vt terminabilis, à Deo pendet.

Ad 4. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia potentia generatiua eſt notionalis in patre, vtpote conſtituta ex eſſentia, & intellectu eius notionali. Ergo licèt eſſentia ſit in filio, quia non eſt vt modificata intellectu notionali, ideo non eſt in illo potentia generatiua. Hoc non valet de vnione hypoſtatica, quæ ſi terminaretur ad naturam filij, terminaretur ad illam, vt eſt in ſe aliquid abſolutum, nõ verò vt eſt modificata filiatione, aliter terminaretur ad perſonam, & non ad naturam. Ergo cùm eſſentia vt eſt in ſe, ſit communis, etiam eius vnio eſſet communis.

Ad 5. Nego comſequentiam, Primò quia filiatio ad intra, licèt terminet naturam diuinam, illam tamen non refert

ad

ad patrẽ. Ergo multò minus refert ad illũ naturam hmanam, quam terminat ad extra, modo imperfectiori, nempe ſeparabiliter, & per vnionem, cùm ad intra terminet inſeparabiliter, & per identitatem. Deinde Chriſtus, vt eſt hic homo, duo dicit, & indiuiduum hoc humanæ naturæ, & ſecundùm hoc eſt aliquid abſolutum, & hanc perſonam, per quam ſubſiſtit, & eſt aliquod relatiuum. Nullum autem eſt abſurdum, quòd hæc perſona, cum ſit diuina, & immutata per vnionem, habeat illa prædicata, quę inculcat arguens. Demum anima rationalis, per hoc quòd vniatur corpori, non illi refundit immortalitatem, & ſpiritualitatem, quas ipſa habet. Ergo neque filius Dei refundit humanitati, quæ ſibi ſunt propria, ratione vnionis, quæ cùm non ſit identitas, relinquit diſtinctionem extremorum. Neque obſtat communicatio idiomatum; ſiquidem hæc commenſuratur extremorum capacitati. Atque adeo ſicut humanitas non refundit Verbo contingentiam in eſſe, dependentiam à Deo, & alios defectus ſibi eſſentiales, qui Deo repugnant; ita neque Verbum refundit humanitati ęternitatem, immenſitatem, independentiam, & alias perfectiones ſibi proprias, & illi repugnantes. Vnde ſequitur, quòd licèt Chriſtus, ſecundùm animam, & corpus, quę ſunt partes eſſentiales humanitatis, vniuocè conueniat cum alijs hominibus, tamen

ra-

ratione perſonæ, conuenit ſolùm analogicè, propter diuerſitatem eſſentialem, quam habet eius perſona infinita, ab omnibus alijs perſonis creatis, quæ ſunt finitæ, & limitatæ.

ARTICVLVS II.

An plures diuinæ perſonę poſſint aſſumere eamdem naturam creatam?

VIdētur non poſſe, vt acerrimè propugnat Scotiſtarū ſchola numeroſiſſima, cui accedunt Lugo, & Paſqualigus, Primò quia D. Anſelmus lib. 2. *cur Deus homo* c. 9. ait, *Plures perſonæ nequeūt vnum, eumdemque hominem aſſumere, in vnitatem perſonę; quare in una perſona tantùm id fieri neceſſe eſt.* 2. Natura vltimatè, & ſubſtantialiter in ſe completa, non poteſt aſſumi, aliter ex duobus actu completis fieret vnum per ſe, quod repugnat. Ergo quia natura per vnam perſonam vltimatè, & ſubſtantialiter compleretur, non poſſet ab alia aſſumi; ſiquidem ſecunda perſona vel tolleret terminationem primæ, vel aſſumeret naturam, vt actu terminatam, quæ ſunt abſurda. 3. Idem effectus non poteſt ſimul pendere à pluribus cauſis totalibus eiuſdem generis. Ergo neque eadem terminatio à pluribus terminantibus adęquatis. 4. Natura

ra à pluribus aſſumpta, ex vna parte eſſet vnum ſuppoſitum, & ex alia triplex. Ergo eſſet, & non eſſet vna. 5. Eadem materia nō poteſt ſimul informari pluribus formis. Ergo neque eadem natura pluribus terminari. 6. Natura terminata Patre, & filio, diceretur Pater, & filius. Ergo Pater fieret filius, & filius pater. 7. Ideo natura diuina ſimul terminatur pluribus ſuppoſitis, quia eſt infinita. Ergo ſi natura humana ſimul ab ijſdem terminaretur, fieret infinita. 8. Hoc admiſſo, poſſet eadem natura ſimul terminari ſubſiſtentia propria creata, & aliena increata. 9. Subſiſtere in tali ſuppoſito, eſt in illo terminari. Ergo ſi extenderetur ad aliud, terminaretur in primo, & non terminaretur, quæ ſunt contradictoria.

Concl. *Non ſolum omnes diuinę perſonę poſſunt aſſumere ſingulas naturas diſtinctas, ſed etiam eamdem, tam ſucceſſiuè, quàm ſimul; nulla tamen poteſt aſſumere naturam, propria ſubſiſtentia terminatam, uel naturam inrationalem.*

Prima pars admittitur ab omnibus, cùm nulla ſit ratio, cur vna diuina perſona poſſit incarnari, & non alia. Ergo omnes, & ſingulę diuinæ perſonæ poſſunt fieri homines, aſſumendo diſtinctas humanitates. Probatur ſecunda, quia nulla eſt repugnantia, cur eadem natura, quæ fuit aſſumpta à Verbo, ſi dimittatur ab illo, non poſſit deinde aſſumi à Patre. An autem poſſit dimitti, videbitur infra.

Quòd

Quòd ſi ſupponatur, dimitti non poſſe, hæc quæſtio non habet locum. Probatur tertia, Primò quia defacto eadem natura diuina ſimul ſubſiſtit in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis. Ergo hoc ſimpliciter non repugnat. Deinde, omnes diuinæ perſonæ realiter identificantur cum eadem diuina natura. Ergo ſi aſſumerent ſimul omnes eamdem naturam humanam, non vnirent cum illa plures naturas proprias, ſed vnam, & eamdem, quam vnit de facto ſola perſona filij. Nullum autem eſt abſurdum, quòd eadem natura, quæ vnitur per vnam perſonam, vniatur ſimul per plures eiuſdem naturæ, cum aliena natura, vt patebit in obiectionum ſolutione. Ergo poſſunt plures diuinæ perſonæ ſimul aſſumere eamdem naturam humanam. Minor ſubſumpta probatur, nam ex vna parte diuinæ perſonæ, non ſe inuicem excludunt, à terminatione eiuſdem naturæ, vt patet ad intra; & ex alia natura humana habet potentiam obedientialem paſſiuam, per quam terminetur ſimul à pluribus aſſumentibus, in vnitate eiuſdem naturæ diuinæ. Ergo ex nullo capite ſequitur repugnantia.

Probatur quarta, quia cùm omnis ſubſiſtentia creata ſit negatio vnionis cum alio, ſi retenta hac terminatione negatiua, aſſumeretur ab alio natura creata, cum illo ſubſtantialiter vniretur, & non vniretur, quod eſt cotradictio, vt probauimus in diſp. met. Vnde obiter ſequitur,

quòd

quod nulla perſona creata poſſit aſſumere alienā naturam, propter eamdē rationē. Quoad vltimam partem, dico, quòd quamuis phyſicè loquendo, non appareat immediata repugnantia, in hoc quòd diuina perſona aſſumat naturam irrationalem, tamen apparet mediatè, quatenus videtur dedecere diuinam maieſtatem, vt fiat canis, vel lapis, ex quo ſequitur moralis repugnantia talis aſſumptionis, inferens neceſſariò etiam phyſicam repugnantiam, quatenus Deo phyſicè repugnat quidquid dedecet eius maieſtatem, vel bonitatem, vt alibi ſæpe probauimus, & ex profeſſo probabimus ar. 4.

Ad 1. Dico primò, Anſelmum negaſſe, non naturam humanam, ſed hominem, hoc eſt perſonam hominis poſſe aſſumi à pluribus, propter rationem nuper allatam, vt patet ex eo, quòd dicat, talem aſſumptionem eſſe faciendam in vna perſona, nempe aſſumentis, vt oſtenderet, perſonam poſſe quidem aſſumere, non vero aſſumi, præſcindendo ab hoc, quòd aſſumens ſit vna perſona, vel plures. Deinde dico, illum ſolùm dixiſſe, naturam humanam aſſumptam à pluribus, non eſſe vnam perſonam, ſed plures, iuxta numerum aſſumentium; & ideo dixit, *In vnitatem perſonæ*. Sicut enim eadem natura diuina triplici ſuppoſito terminata, eſt vnus Deus in triplici perſona, ita eadem humana natura, triplici diuino ſuppoſito ſimul terminata, eſſet vnus ho-

mo, & triplex perſona, vt apertè conceditur à D. Tho. q. 3 ar 6 ad 1. ſiſtendo in paritate ſanctiſſimæ Trinitatis.

Ad 2. Diſtinguo antecedens, natura completa, vt formaliter completa per vnum complementum, non poteſt aſſumi, ſimul cum illo complemento, concedo: ſi ſumatur ſpecificatiuè ab illo, nego antecedens, cum ſua probatione. Et diſtinguo conſequens, natura vt terminata, & completa per vnam perſonam diuinam, reduplicando ipſam perſonam terminantem, non poteſt ab alia aſſumi, concedo. ſpecificatiuè ſumpta, nego conſequentiam. Sicut enim natura diuina, quamuis terminetur paternitate, poteſt vlteriùs terminari filiatione, & amore, quin filius, & Amor termineut naturam vt eſt in patre, & ab illo terminatur, propter diſtinctionem virtualem ab illis, vt fusè proſecuti ſumus in met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. Ita & multò magis propter realem diſtinctionem naturæ humanæ à diuinis ſuppoſitis, licèt terminetur ab vno ex illis, remanet vlteriùs ab alijs terminabilis, non quidem in ſenſu reduplicatiuo, ſed ſolùm in ſpecificatiuo, vt accidit in replicatione corporum, in qua reduplicantur corpora, & non vbi, vt dictum eſt in 4 phys.

Ad 3. Primò nego antecedens, cùm oppoſitum ſtatuerimus in 4 phys. Deinde nego conſequentiam, Primò quia ſingulæ perſonæ per ſingulas diſtinctas vniones

nes

nes illam naturam terminarent. Ergo nõ reſpicerent eumdem effectum. Secundò quia natura non pendet à ſubſiſtentia, in genere cauſę efficientis, ſed in genere cauſæ formalis. Ergo licèt non poſſet idem effectus pendere a pluribus efficientibus adæquatis, adhùc poſſet à pluribus cauſis formalibus, vt patet in corpore Chriſti, quod ſimul habet plura vbi definitiua, quibus correſpondet pluribus locis ſacramentaliter. Et demum quia natura nullo modo pendet à ſubſiſtentia; aliter natura diuina non poſſet habere ſubſiſtentiam in perſonis. Ergo quia ſe habet ad illam per modum terminabilis ad ſuum terminum, non repugnat quòd vna, & eadem à pluribus terminetur.

Ad 4 Patet reſponſio ex reſponſione primi, vbi diximus, quòd talis natura eſſet vnus homo, & triplex perſona, cùm ad diuerſitatem concreti non ſufficiat diuerſitas formæ, ſed requiratur diuerſitas ſubiecti. Et ideo ſi triplex albedo eſſet in eodem corpore, eſſet vnum album.

Ad 4 Primò nego antecedens, cùm in diſp. met. ſtatuerimus, poſſe formam equi vniri in eadem materia cum forma cerui, quod luculentiùs propugnauimus in 1. phys. diſp. 3. ar. 6. Deinde nego conſequentiam, eò quia diuinæ perſonę non informarent naturam, quam terminarent.

Ad 6 Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando hę perſonæ con-

ſunderentur in terminatione eiuſdem naturæ, quod nos negamus. Et ratio eſt quia communicatio idiomatum datur quidem inter aſſumptum, & aſſumentem, non autem inter vnum aſſumentem, & alium, qui non vnirentur hypoſtaticè. Ergo licèt hic homo eſſet ſimul Pater, & filius, non tamen pater eſſet filius, ſicut de facto non accidit in diuinis, licèt omnes perſonæ, etiam per identitatem, terminent eamdem naturam.

Ad 7. Nego conſequentiam. Primò quia quòd taliter hæc natura terminaretur, non eſſet ei debitum, ex naturali exigentia, ſicut eſt debita triplex ſubſiſtentia naturæ diuinæ, ſed ei conueniret ſolùm ex gratia aſſumentium Et deinde quia hæc terminatio fieret ſolùm per vnionem, quæ fundaretur in reali extremorum diſtinctione. Ergo quia neque natura tranſiret in perſonam, neque perſona in naturam, nullam hęc acciperet infinitatem, niſi purè terminatiuam, hoc eſt per hoc quòd terminaretur termino infinito, ſed modo tantùm finito

Ad 8. Nego antecedens, propter rationem allatam in probatione quartę partis concluſionis.

Ad 9 Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia in tali caſu non terminaretur natura propria ſubſiſtentia, quam non haberet, ſed aliena, quam gratioſè ab aſſumente reciperet Ergo quia ex ſe eſſet intrinſecè terminabilis, & non exigeret

potius terminari vna perſona, quàm alia, ſicut poſſet à pluribus terminari ſucceſſiuè, ita poſſet ſimul, quia poſita qualibet terminatione, vtpote illi indebita, ita terminaretur tota, vt non totaliter terminaretur, ſed ſemper remaneret cum potentia obedientiali, ad recipiendam quamlibet aliã terminationẽ, termino iam habito non repugnantem. Sicut enim diximus in 2. phys. quòd idem effectus, licèt adæquatè ponatur ab vna cauſa, poſſit idem numero poni ab alia cauſa adæquata, ita dicimus de terminatione, per ſubſiſtentiam alienam.

ARTICVLVS III.

An poſſit eadem diuina perſona ſimul aſſumere plures naturas, etiam diuerſæ ſpeciei?

Videtur non poſſe, Primò quia vel aſſumeret naturas eiuſdem ſpeciei, vel diuerſæ? Non primum, quia aſſumptis duabus humanitatibus, eſſet ſimul vnus homo, ratione ſuppoſiti, & duplex ratione naturę. Preterea ſi moreretur vna humanitas, & non alia, eſſet ſimul viuus, & mortuus, quod repugnat. Neque ſecundum, quia ſimul aſſumptis à Verbo natura humana, & leonina, eſſet ſimul homo, & leo, adeòque diſcurreret, & rugiret, & idem compoſitum eſ-

ſet ſub diuerſis ſpeciebus, ratione quorum eidem idiuiduo conuenirent prædicata contradictoria, nempe eſſe hominem, & non eſſe: eſſe Leonem, & non eſſe, &c. vnde fieret chimæra. Deinde, vel hæ naturæ haberent ad inuicem communicationem idiomatum, vel non? Non primum, quia natura leonis aſſumpta, ſimul cum natura humana, fieret rationalis, & natura humana fieret rugibilis, & vtraque ſanctificaretur à diuina perſona, quod leoni repugnat. Neque ſecundum, quia vnio hypoſtatica non traheret communicationem idiomatum, quod repugnat dictis diſp. 6 ar. 7. Demũ poſſet etiam aſſumere naturam irrationalem, quod reiecimus ar 2.

Concl. *Poteſt eadem diuina perſona ſimul aſſumere plures naturas eiuſdem ſpeciei, & diuerſorum generum, non tamen diuerſæ ſpeciei atomę, loquendo de actualibus, & corporalibus.*

Probatur prima pars, quia nulla eſt ratio, cur diuina perſona non poſſit ſimul aſſumere plures humanitates. Hoc enim neque repugnat ex parte ipſius perſonæ, quæ cùm ſit infinita, eius terminatio poteſt extendi ad infinitos terminos, ſicut ratione immenſitatis, ad infinita loca; neque ex parte ipſarum humanitatum, quæ cũm ex ſe ſint omnes aſſumptibiles, & nulla ſit cum alia incompoſſibilis, poſſunt plures ab eadem perſona ſimul terminari, vt communis tenet conſen-

ſenſus theologorum. Neque obſtat quòd vis generatiua patris æterni, licèt infinita, non poſſit terminari, niſi ad vnicum filium. Siquidem hoc prouenit ex eo, quòd filius, cùm & ipſe ſit infinitus, & patri conſubſtantialis, explet vt terminus adæquatus, diuinam virtutem generatiuam patris, quod non accidit in humanitate aſſumpta, primò quia non ſit proinde conſubſtantialis aſſuměti, adeòque non adæquat virtutem filij æterni, ad terminandam alienam naturam. Et deinde quià licèt terminetur termino infinito, quia tamen non terminatur infinito modo, nempe in vnitate naturæ, ſed in vnione, quæ relinquit naturarũ diſtinctionem, ideo & ipſa humanitas non infinitatur intrinſecè, & eſſentialiter, ſed relinquitur in ſua limitatione, ratione cuius non exhaurit virtutem aſſumentis.

Probatur ſecunda, quia cùm etiam natura angelica ſit àſſumptibilis, poteſt ſimul aſſumi natura vnius angeli, cum natura vnius hominis ab eadem diuina perſona, propter eamdem rationem. Sed hæ naturę differunt genere, eò quia angelus non contineatur ſub genere proximo hominis, quod eſt animal. Ergo plures naturæ diuerſorum generum poſſunt ſimul aſſumi ab eadem diuina perſona.

Probatur tertia, in naturis corporeis, non datur niſi natura humana à Deo aſſumptibilis, vt diximus ar. 2. Ergo om-

nes aliæ naturæ,conuenientes ſub eodem genere proximo animalis, & ſpecie differentes ab humana, ſunt inaſſumptibiles, quod non accidit in incorporeis,cùm probauerimus in tr. de angelis, de facto plures inter ſe ſola ſpecie atoma differre. Sicut ergo poſſunt plures homines ſimul aſſumi, ita & plures angeli, tam ſeorſim ab hominibus, quam ſimul, & nõ ſolùm ſpecie,ſed etiã genere differentes, Diximus in cõcluſione,nos loqui de corporeis actualibus, vt præſcindamus ab illa quæſtione, an videlicèt homo ſit ſpecies atoma,vel ſubalterna? Cùm enim in 3 de an. ſtatuerimus, eſſe poſſibiles plures hominum ſpecies, ſi ponerentur ſimul, poſſent etiam ſimul aſſumi, quod etiam dicimus de corporeis diuerſæ ſpeciei, ſi omnes ſpecies eſſent ſimpliciter aſſumptibiles, de quo plura in q. ſeq.

Ad 1. Dico, quòd ſi Verbum ſimul aſſumeret duas humanitates, eſſet vnus homo ſuppoſitaliter, & multiplex eſſentialiter; vnde corruunt inutiles quæſtiones, quę de modo loquendi agitantur à theologis, & in ſpecie à Gibbone hic diſp. 7 dub. vlt. Sicut enim quia natura diuina terminatur triplici ſuppoſito, facit Deum vnum vnitate eſſentiæ, & trinum trinitate perſonæ; ita ſi vna perſona terminaret plures humanitates, faceret compoſitum, perſonaliter, ſeu ſuppoſitaliter vnum, & multiplex eſſentialiter. Ad illationem dico, quòd ſicut in hoc com-

compoſito darentur prҿter naturam diuinam, natura Petri, & Pauli, ita ſi Petri natura moreretur, diceretur hoc compoſitum mori, ſecundum talem naturam, & viuere ſecundùm naturam Pauli viuentem, quæ denominationes quia non diceerentur de eodem, ſecundum idem, ideo non eſſent oppoſitæ, vt diximus in 4. phys. de corpore in pluribus locis replicato, quod vt exiſtens in vno loco, moueretur, & quieſceret vt exiſtens in alio, ſecundum diuerſas prҿſentias locales. Et idem dico, ſi ſupponatur aſſumptibilis, adeòque ſimul aſſumpta natura canina, cum rationali. Siquidem compoſitum ſimul eſſet rationale, & latrabile ſecundùm quid, nempe ſecundùm diuerſitatem naturarum, ex quibus conſtaret. Sicut enim de facto idē homo eſt ſimul corporeus, & incorporeus: intellectiuus, & nō intellectiuus, ſecundùm diuerſitatem partium, abſque vlla prædicatorum oppoſitione, ita accideret in tali compoſito.

Ad 2. Dico, communicationem idiomatum reſultare ex vnione hypoſtatica, aſſumentis cum aſſumpto, non autem ex qualibet vnione naturali, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali ipſorum aſſumptorum inter ſe, vt accidit in Chriſto, in quo non animæ prædicata dicuntur de corpore ſibi vnito, & viceuerſa, ſed vtriuſque de perſona Verbi, & viceuerſa. Ergo in tali compoſito, ſicut natura leonis non fieret diuina, eò quia vnio hypoſtatica

non tollat vnitorum diſtinctionem, vt diximus diſp. 6. ar. 1. ita & multò minus fieret rationalis. Primò quia hæ duæ natura poſſent aſſumi etiam ſeparatæ, vt accidit in triduo mortis Chriſti, in quo anima, & corpus Chriſti, quamuis ſeparatæ ab inuicem, remanſerunt cum Verbo vnita. Et deinde quia licèt vel localiter vnirentur, vel qualibet alia vnione accidentali inter ſe, adhùc remanerent diſtinctæ, vnde vna non fieret alia. Ad illationem de ſanctificatione naturæ leoninæ, patebit reſponſio ex dicendis ar. ſequenti, in quo ſoluemus etiam poſtremam quęſtionem, de aſſumptibilitate naturæ irrationalis.

ARTICVLVS IV.

An poſſit Deus aſſumere naturam irrationalem?

VIdetur poſſe, vt plerique tenẽt ſcholaſticorum, cum D. Tho in 3.d. 2. q. 1. ar. 1. Scoto ibid q. 1. ar. 2. qui conantur ad ſe trahere D. Aug. to. 1. lib. de vera relig. c. 16. vbi ait, *Demonſtrauit quàm excelſum locum habeat humana natura, quòd non ſolùm viſibiliter (nam & id poterat in aliquo æthereo corpore) ſed etiam hominibus in vero homine apparuit*. Eorum fundamenta ſunt, Primò quia ex vna parte, cuiuſcumque ſubſtantiæ irrationalis.

ſis ſubſiſtentia, eſt ab eius natura ſeparabilis, adeoque ſupplebilis per alienam; & ex alia diuina ſubſiſtentia, cùm ſit infinita, habet virtutem terminatiuam infinitam. Ergo illa eſt eſſentialiter aſſumptibilis, & hæc aſſumptiua; adeòque nulla eſt repugnantia, vt hæc illam aſſumat.

2. Arguit Suar. diſp. 14. ſect. 2. In triduo mortis Chriſti D. eius corpus remanſit hypoſtaticè vnitum cum Verbo, aliter non verè potuiſſet dici de eo, quòd fuerit ſepultum, nec fuiſſet verum dictum Damaſceni, *quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit*. Sed hoc corpus, vt ſeparatum ab anima, & informatum forma cadauerica, erat nòn ſolum expers rationis, ſed inſenſibile, immobile, & mortuum, ſicut lapis. Ergo de facto Deus aſſumpſit naturam irrationalem. Quòd multò magis valet de ipſa forma cadauerica, quæ habebat phyſicam repugnantiam ad omnes operationes vitales, quarum erat omninò incapax, & tamen fuit aſſumpta in tali triduo.

3. Sanguis, & alij humores non ſunt animati, vt probauimus in lib. de an. & tamen in Chriſto fuerunt aſſumpti à Verbo. Ergo neque repugnat, quòd quælibet alia natura irrationalis, & inſenſibilis, immò nullo modo viuens, aſſumeretur. Conſequentia tenet ex paritate rationis. Quòd ſanguis Chriſti fuerit aſſumptus, probatur ex definitionibus Côc-

Ephes. can. 5. & in ep. ad Neſtor. Calced. act. 1. & 5. & Synodo 6. gener. act. 6.

4. Vnio hypoſtatica proximè, & per ſe terminatur ad ſubſiſtentiam, vt ſupra diximus diſp. 6. ar. 1. Cùm ergo quęlibet natura ſubſtantialis, licèt irrationalis, & inanimis, ſit capax ſubſiſtentiæ, vel propriæ, vel alienæ, eſt capax vnionis hypoſtaticę, per quam à Deo aſſumatur.

Concluſio, *Non poteſt Deus aſſumere naturam irrationalem, quæ nullum habet naturalem ordinem eſſentialem ad rationem, non quidem ratione phyſicę repugnantię immediatę, ſed ſolum ratione mediatę.* Ita Alex de Ales, Henricus, Picus mirand. Gab. Riccard. & alij, quibus accedit Eſparſa hic q. 22. ad 2. Hæc concluſio licèt à nobis fuerit ſæpe ſuppoſita, & ſufficienter alibi probata, præſertim in diſp. met. & hic ar. 3. tamen quia ſatis communiter tenetur vt falſa, vt pateat, quàm ſint futiles rationes oppoſitæ, ideo placuit illam hic in terminis propugnare.

Probatur ergo. 1. Vnio hypoſtatica inter Deum, & creaturam aſſumptam, trahit neceſſariò communicationem idiomatum, vt probauimus diſp. 6. ar. 7. Sed inter Deum, & lapidem e. g. nulla eſſet communicatio idiomatum. Ergo inter Deum, & lapidem (& idem dic de alijs) non poteſt dari vnio hypoſtatica. Probatur minor, communicatio idiomatum po-

tiſſi

tiſſimum conſiſtit in hoc, quòd operationes vnius naturæ, alteri tribuantur. Sed lapidi nulla conuenit operatio propria, neque naturaliter eſt capax, recipiendi denominationem, ex operationibus alterius; immò neque poteſt ordinari vllo modo ad operationes proprias filij Dei, cuiuſmodi ſunt Deum intelligere, & amare, ab illo ſanctificari, & illo frui. Ergo non poteſt cum illo habere communicationem idiomatum; adeòque neque vnionem hypoſtaticam.

2. *Eſt impoſſibile, quòd aliquid ſubſtantialiter* vniatur cum filio Dei (& idem dic de Patre, & Spiritu S.) quin ab illo dignificetur, & perficiatur, non ſolùm in ratione ſancti, & amici Dei, ſed etiam in ratione filij naturalis Dei. Sed hæc nullo modo poſſunt conuenire creaturæ irrationali, vt patet. Ergo non poteſt à Deo aſſumi

3. Summa communicatio ad extra, quam Deus poſſit habere cum creatura, eſt vnio hypoſtatica cum illa, quæ proinde eſt omnium miraculorum maximum, vt vocatur à Patribus. Sed eſt impoſſibile, quòd hæc ſumma communicatio fiat, abſque vllo commodo, & vtilitate illius, cui fit talis communicatio, quod cùm ſit præ omnibus alijs creaturis ſpecialiter dilectum, debet ſpecialiter participare, & frui de tanto bono, & gratias Deo agere de prælectione ad illud. Sed hæc non poſſunt cadere in creaturam

irra-

irrationalem, quæ nullo modo eſt capax cognoſcendi tantum beneficium, & gratias agendi tanto benefactori. Ergo neque poteſt vniri.

4. Perſona diuina nõ poteſt intrinſecè, & ſubſtantialiter terminare alienam naturam, niſi illam perſonando, hoc eſt faciendo quòd ex tali terminatione, reſultet perſona compoſita ex vtraque natura. Sed natura irrationalis non poteſt vllatenus perſonari, quod ſoli conuenit naturæ rationali. Ergo neque poteſt à diuina perſona terminari.

Quia tamen hæc argumenta, non concludunt immediatè phyſicam contradictionem, vnde reddatur impoſſibilis hæc aſſumptio, ſed ſolùm mediatè, vt innuimus ar. 2. ideo placet hoc fuſius roborare. Probo igitur primò, dedecet diuinam maieſtatem, vt fiat canis, vel lapis; alioqui poſſet etiam fieri vrina, & ſtercus, quod pudet innuiſſe, cùm phyſicè loquendo, æquè diſtent à Deo, ac lapis. Deinde eſſet ſignum ſtultitiæ in aliquo principe, ſi adoptaret in filium, ſuem, ſimiam, vel arborem. Et ideo communiter irridetur Xerſes Perſarum Rex, quòd platanum adeo deperierit, vt illam traditis annulis, in coniugem deſponſauerit. Ergo quantò eſſet deſipientius, ſi hæc viliſſima Deus aſſumeret in filios naturales? Sed vnio hypoſtatica cum Deo, facit vnitum, eius filium naturalē. Ergo eſſet inſipiens Deus, ſi hæc ſibi vniret hypoſta-

ticè. Præterea cùm Deus ſit ſapientiſſimus, & prudentiſſimus, non poteſt aliquid ad extra operari, niſi ob finem præſtantiſſimum ſuæ gloriæ, & creaturæ rationalis vtilitatis, vt videmus in omnibus eius operibus, ſiue naturalibus, ſiue miraculoſis, & ſupernaturalibus. Sed in huiuſmodi rerum aſſumptione, neque promoueret ſuam gloriam, quæ potius deturparetur, neque ipſorum aſſumptorum vtilitatem, quæ cùm non ſint capacia propriæ felicitatis, non poſſunt trahi ad beatitudinem ſupernaturalem; neque hominum redemptionem à captiuitate Dæmonis, quia (vt docet Aug. libro de vera relig. c. 16.) *Ipſa natura ſuſcipienda erat, quæ erat liberanda*. Ergo nullum haberet finem congruum in taliter operando, adeòque inſipienter operaretur, quod illi moraliter repugnat, & ſubinde etiam phyſicè, cùm Deo phyſicè repugnet quidquid moraliter repugnat. Vnde diximus in concl. hanc vnionem illi phyſicè repugnare mediatè.

Quòd ſi dicas, poſſe id fieri ad oſtentationem omnipotentię; Contra eſt, quia quod vergit in depreſſionem ipſius Dei, non oſtentat eius attributa; & ideo nec poteſt facere peccatum, nec chimæram. Cum ergo huiuſmodi vnio vergeret in depreſſionem diuinæ maieſtatis, non poſſet eius omnipotentiam manifeſtare, pręſertim cum poſſet illam oſtendere tot alijs modis. Cur autem poſuerimus limita-

rationem illam in concluſione, *quæ nullum habet ordinem ad rationem*, patebit ſolutione obiectionum.

Ad auctoritatem Auguſtini, dico, ab illo ſumi ly *apparuit*, non per apparentiam in aſſumptione veri corporis, ſed per formationem corporis phantaſtici, vt diximus in loco, ſæpe ab Angelis factitatum, vt patet ex illis verbis *in aliquo æthereo corpore*, nempe in corpore phantaſtico, ad differentiam corporis aſſumpti, quod vocat verum corpus, per ly *vero homine apparuit*. Ex quo potius confirmatur noſtra concluſio. Siquidem loquendo de corpore aſſumptibili, ait ibid. *ipſa erat natura ſuſcipienda, quę liberanda*, nempe rationalis; de alijs verò loquitur, tamquam apparenter aſſumptibilibus, per corpora ætherea, quæ non ſunt vera, ſed phantaſtica.

Ad 1. Nego conſequentiam. Ex eo enim quòd cuiuſcumque creati ſubſiſtentia ſit ab illo ſeparabilis, ſequitur quidem, quòd poſſit vnum cum alio à Deo hypoſtaticè vniri, vt apertè conceſſimus in tr. de angelis diſp. 3. ar. 2. vbi ſtatuimus, poſſe angelum à Deo trahi, ad aſſumendam naturam corpoream, nõ tamẽ quòd omnia poſſint à Deo aſſumi, cum eius virtus terminatiua infinita, nõ poſſit extendi, niſi ad cõueniẽter aſsũptibilia.

Ad 2. (Quod eſt Achilles aduerſariorum) Diſtinguo minorem, corpus Chriſti in triduo erat expers rationis forma-

li;

liter, vt ſubſtans tali formæ cadaucricæ, concedo: radicaliter, vt erat tale corpus organicum, & ſubdiſtinguo, erat expers rationis actualiter, & ad tempus, concedo: habitualiter, & pro ſemper, nego minorem. Et diſtinguo conſequens, Deus de facto aſſumpſit naturam inrationalem, hoc eſt priuatam ad tempus ratione, concedo: incapacem rationis, & nullum dicens ordinem ad rationem, nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm hæc organizatio fuerit ordinata ad animam rationalem, immo fuerit perfecta ab ipſa anima rationali, vt probauimus in 1. de an, & non fuerit corrupta in triduo, retinuit ordinem eſſentialem ad illam, quã habuit, & erat iterum habitura. Ergo non erat habitualiter irrationalis, per incapacitatem rationis, ſed ſolùm actualiter, & ad tempus, per ſolam priuationem. Præterquamquòd hoc corpus taliter priuatum anima, non fuit à Deo aſſumptum, ſed cùm fuiſſet aſſumptum vt viuens, non fuit dimiſſum in morte. Et ideo dico, quòd vt perpetuò anima cariturum, non potuiſſet aſſumi, quia fuiſſet ſicut lapis. De forma cadauerica eſt alia quæſtio. Quamuis enim plures probabiliter aſſerant, illam eſſe aſſumptam per accidens, vt completiuam corporis in tali ſtatu. Ego tamen puto, illam non fuiſſe à Verbo aſſumptam. Et ratio eſt, quia Verbum aſſumpſit hoc corpus, vt ſubſtans animę, illudque retinuit, etiam ab

ab illa ſeparatum, ſecundùm ea, quæ priùs aſſumpſerat, excæpta vnione, quam debuit dimittere, vt moreretur. Cùm ergo priùs non aſſumpſerit formam cadauericam, non potuit remanere in eius vnione, ſed debuiſſet illam de nouo aſſumere, quod non erat neceſſarium, ſicut non fuit neceſſarium, quòd aſſumeret accidentia, quę mortem fuerunt ſubſecuta, & hoc propter rationes allatas.

Vnde patet reſponſio ad 3. Siquidem ſanguis, & alij humores ſpectabant ad integritatem corporis aſſumpti, quod erat inſtrumentum animæ rationalis in operando. Ergo dicebant ordinem ad rationem, & ideo potuerunt aſſumi.

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim capacitas naturæ irrationalis, ad ſubſiſtendum etiam aliena ſubſiſtentia, non inferat immediatè phyſicam repugnantiam, vt terminetur ſubſiſtentia diuina, illam tamen infert, mediante morali repugnantia, vt dictum eſt.

ARTICVLVS V.

An Verbum aſſumpſerit omnes, & ſingulas partes naturæ humanæ, etiam accidentales?

VIdetur I. Verbum non aſſumpſiſſe verum corpus, vt ſomniarunt Marcio, & Cerdo, vel quia dicerent, illud eſ-

ſe phantaſticum, vt dicitur Matth 14. quod videntes diſcipuli *Ieſum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes, quia phantaſma eſt*, vel quia putarent illud eſſe cęleſte, cum Valentino, & Gnoſticis ex 1. ad Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis*. 2. Non aſſumpſiſſe veram animam, vel quia Verbum erat loco animæ, vt aſſerebant Arriani, vel quia erat loco ſolius animæ rationalis, vt volebat Apollinaris, qui proinde in Chriſto ſolam ponebat animam materialem, nempe vegetatiuam, & ſenſitiuam. 3. Quod aſſumpſerit etiã perſonam hominis, ex eo quod Aug. c. 2. de agone chriſtiano dicat, *Filius Dei hominem aſſumpſit* 4. Quòd ſolam carnem aſſumpſerit, ex Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, vbi nulla fit mentio aliarum partium; & ideo ab omnibus dicitur incarnatum. 5. Quòd non aſſumpſerit animam, vt vnitam corpori, vt plures ex veteribus aſſeruere, vt refert Mag. in 3. d. 6. quia putabant, non potuiſſe taliter aſſumi, quin hominis perſona aſſumeretur, quæ neceſſariò ex illis reſultat; & quia hoc modo bene ſaluatur, quomodo in triduo hæ partes remanſerint Verbo vnitæ.

Videtur 2. Verbum non aſſumpſiſſe immediatè ſanguinem, vt opinantur Durandus, Gab. & Franc. de Maironis, quia ſanguis non informatur anima rationali, vt diximus in 1. de an. Deinde quia non dicitur Verbum ſanguis, nec-

ſan.

ſanguis Verbum, adeòq; non habent communicationem idiomatum. 3. Quia non ſpectat ad corporis integritatem, cum quo non vnitur. 4. Quia plures partes effuſę per paſſionem, remanſerunt, & non fuerunt à Chriſto reſumptæ. Ergo ſaltem illæ non fuerunt aſſumptæ, aliter dimitti non potuiſsent.

Videtur 3. Verbum non aſsumpſiſſe immediatè reliquos humores, vngues, dentes, & capillos. Primò quia non aſſumpſit ſpiritus vitales, & accidentia, quæ pariformiter ſe habent cum illis. Et deinde quia cùm facilè reſoluantur, & immutentur, fuiſsent aſſiduè variatæ vniones hypoſtaticæ, quod eſt abſurdum.

1. Concl. *Verbum aſſumpſit veram humanitatem, quatenus dicit veram animam rationalem, vnitam cum vero corpore organice, & factus eſt uerus homo, eiuſdem ſpeciei atomę cum nobis*. Eſt de fide.

Probatur ex 6. Synodo act. ij. & ex tot alijs, quæ fusè rferuntur à Suar. diſp. 15. ſect. 2. Deinde è ſcripturis, vt Io. 1. *Verbum caro factum eſt*. Non poteſt autem dici, quòd ſit factũ caro mortua, vel phãtaſtica, aliter eſset falſum quod dicitur in ſymbolo Nicæno, *Et homo factus eſt*. Ergo aſsumpſit ex Maria Virgine, vt dicitur in eod. ſymbolo, veram carnem, informatam vera anima rationali, per quã viuebat, aliter nõ potuiſset dicere Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea;* & deinde, *Pater mi tranſeat à me calix iſte, verumtamen non*

non ſicut ego volo, ſed ſicut tu., quæ denotant diſtinctionem voluntatum, & veram animam rationalem, vnitam phyſicè cum corpore organizato, & ſupernaturaliter hypoſtaticè cum filio Dei; aliter nec potuiſset operari vt homo, nec vocare Patrem æternum ſuum patrem. Quòd autem fuerit homo eiuſdem ſpeciei atomæ cum nobis, patet ex eius genealogia, per quam deſcendit per Virginem, de qua natus eſt, ex ſemine Dauid, & Abrahæ, qui cum fuerint veri poſteri Adæ, per illos deſcendit ex Adam, vt narrant Euangeliſtæ, non tamen via ſeminaria.

2. Concl. *Verbum aſſumpſit immediatè, non ſolùm omnes, & ſingulas partes corporis, quæ ſpectabant ad eius quidditatem eſſentialem, ſed etiam quę ſpectabant ad eius integritatem connaturalem.*

Prima pars ſequitur ex dictis, cùm non poſſit aſsumi verum corpus, niſi aſſumantur eius partes eſsentiales, cuiuſmodi ſunt caro, oſsa, cutis, nerui, cor, cerebrum, hepar, &c. de quibus diſseruimus in lib. de an. Quoad aliam de partibus integrantibus, dico, huiuſmodi partes, alias informari anima rationali, vt ſunt manus, pedes, aures, &c. alias non informari, vt ſunt ſanguis, humores, dentes, capilli &c. De primis, omnes conueniunt, quòd fuerint immediatè aſsumptæ, ſecundùm diuinâ hypoſtaſim; & facilè probatur, quia Chriſtus habuit corpus perfectiſſimum, efformatum virtute Spiritus

ritus ſancti, ex puriſſimo ſanguine ſanctiſſimæ Genitricis. Ergo quia fuit efformatum, vt in illo Verbum fieret caro, debuit illud aſſumi à Verbo, non ſolùm ſecundùm eſsentialia, ſed etiam ſecundū omnes partes materiales, integrum, & perfectum, quatenùs decebat finem aſſūptionis. Non fuiſset autem aſſumptum, ſecundùm integritatem, & perfectionem materialem, expreſsas per hoc nomen *corpus humanum*, niſi fuiſset aſſumptum ſecundùm omnes partes, informatas anima rationali. Ergo omnes huiuſmodi partes fuerunt immediatè aſſumptę. Sicut enim Deus efformando primum Adam, dedit ei corpus perfectiſſimum, ita & multò magis efformando ſecundum, vnde intulimus in lib. de temperamento diſp. 2. ar. 3 vtrumque habuiſse temperamentum æquale ad pondus, & ad iuſtitiam, ratione cuius numquā vllo morbo laborauerint, vt docet D Tho. 3 p. q. 14 ar. 4 Tota ergo difficultas reducitur ad alias partes, quæ dicuntur integrales ſecundarię, pro quibus ſit.

3. Concl. *Sanguis, & reliqui humores, nempe pituita, bilis, & melancolia fuerunt immediatè aſſumpti* Ita Suar. diſp 15. ſect. 7. Vaſq. Becanus, Eſparſa, Puteanus, & alij, cum S. Tho. q. 5. ar. 2.

Probatur primò de ſanguine, non ſolùm definitione Conc. Epheſ. can 5. & quintę Synodi gen. act. 6. & Calcedon. act. 1. & aliorum; ſed etiam ex definit. Clem.

Clem, VI. in extrau. *Vnigen. de pen quod vna gutta ſanguinis Chriſti fuiſſet ſufficiens pro noſtra redemptione, propter eius vnionem cum Verbo,* & vnanimem ſenſum omnium Patrum, vt latè refert Suar. loc. cit. Et præterea ratione ducta ex Trid. ſect. 13. can. 2. vbi definitur, ex vi verborum, ſicut ſub ſpeciebus panis, remanet corpus Chriſti in euchar. ita remanere eius ſanguinem, ſub ſpeciebus vini. Sed hoc nõ eſſet, niſi Verbum ita vniretur cum ſanguine, ſicut cum corpore. Ergo ſicut vnitur cum corpore, immediatè ſecundùm hypoſtaſim, ita & cum ſanguine. Et hæc eſt ratio, cur communiter dicatur in ſcripturis, redemptionem factam eſse pretio ſanguinis Chriſti, vt 1. Io 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato* Et Matth. 26. *Hic eſt ſanguis meus, qui effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et ad Ephel. 1. *In quo habemus redempoionem per ſanguinẽ, &c*

Probatur 2 de alijs humoribus, quia ſunt ſubſtantialiter ſanguis, quamuis accidentaliter immutati, vt probauimus in 1 de an. diſp. 2. art 2. Ergo ſi ſanguis fuit aſsumptus, etiam fuerunt aſsumpti hi humores, qui pariformiter ſunt neceſſarij ad ſtatuendam, & conſeruandam perfectam humanitatis integritatem. Vnde ſequitur, etiam ſpiritus, ſiue animales, ſiue vitales fuiſse aſsumptos immediatè, vt probabile putat Suar diſp. 15. ſect. 7. non ſolùm quia & ipſi ſunt ſubſtantialiter ſanguis, ſed etiam quia ſpectant ad per-

do ſpectant ad naturalem corporis integritatem, vt probauimus in 1 de an. diſp. 2. ar. 7. Ergo eorum aſſumptio non ſpectaſſet ad vnionis dignitatem, vt diximus de alijs; adeoque ceſſat ratio de eorum aſſumptione.

Probatur tertia, quia calor, color, alięque formæ accidentales, quæ fuerunt in Chriſto, non erant per ſe ſubſiſtentes. Ergo non potuerunt aſſumi, niſi vt actu inhęrentes corpori, vel animę, iuxta earum conditionem, materialem, vel ſpiritualem, hoc eſt mediante humanitate, iam præſuppoſita aſſumpta immediatè à diuina hypoſtaſi. Ergo vel nullo modo fuerunt aſſumptę, vt aliqui opinantur, vel non fuerunt aſſumptę ſecundùm hypoſtaſim, ſed ſolùm in hypoſtaſi, mediāte humanitate, vt concludit Suar. hic diſp. 15. ſect. 8.

Probatur quarta, quia operationes Chriſti, vtpote prouenientes a ſuppoſito, neceſſariò debuerunt ſupponere, humanitatem vltimatè perfectam, & perſonatam, adeòque iam conſtitutam in termino completo, & conſumato per vnionem hypoſtaticam. Ergo non potuerunt illam terminare, per modom extremi, per illam aſſumpti.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur obiecta.

AD 1. primæ ſententiæ,ſeu potius erroris, dico fuiſſe definitum in pluribus Concilijs, nempe Epheſino 1. Calcedonenſi 1. Toletano 1. & alijs, Verbum aſſumpſiſſe verum corpus humanũ; aliter eſſet falſum quod dicitur in ſymbolo, *& homo factus eſt*; neque enim angelus fit aer, vel terra cum aſſumit corpus aereum,vel terreſtre. Præterea ſi corpus Chriſti fuiſſet phantaſticum,non potuiſſet manducare, bibere, dormire, pati, & mori, quod euerteret hoc myſterium. Neque obſtat allatum teſtimonium; ſiquidẽ in illo apparet dubitatio diſcipulorum, an eſſet Chriſtus, dicentium *quia phantaſma eſt*, non autem dubitatio de realitate corporis Chriſti, quam ipſe abundè teſtatus eſt Lucæ vlt. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, &c,* & infra, *cum manducaſſet coram eis, &c.* Ad aliud dico, corpus Chriſti dici cęleſte, non quia non factum fuerit de ſubſtantia matris, ſed quia formatum fuit abſque virili ſemine, virtute Spiritus Sancti, vt dicitur Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, &c.

Ad 2. Dico, realitatem veræ animæ rationalis in Chriſto, euidenter patere,

non

non ſolùm ex eius operibus, vt Io: 12. *Anima mea conturbata eſt*: & Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea*,&c. & ex ſymb. S. Athan. *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*, &c; ſed etiam ex definitionibus Eccl vt videre eſt in V. Synodo ſeſs. 8 can 4. VI. Synodo act. ij Cartag. 4. c. 4. & Tolet. ij. in prof. fidei. Quare oppoſitum dicere, eſt hæreſis manifeſta

Ad 3. Patet reſponſio ex dictis in diſp. met. vbi probauimus ſubſiſtentiam creatam eſſe negationem vnionis cùm alio. Ergo quia hominis perſona conſtituitur completiuè per talem negationē, eſt omninò inaſſumptibilis Quando ergo Aug. & alij dixerunt, quòd Verbum aſſumpſerit hominem, debēt exponi per aſſumptionem humanitatis, vt difinitur. V. ſyn. gen. collat. 8. can. 5. *Si quis non confitetur, Dei Verbum, carni ſecundùm ſubſiſtentiā vnitum, & propter hoc vnam eius ſubſiſtentiā, ſeu vnam perſonam, anathema ſit.* Et ideo ipſe Aug. ſe explicans lib. de fide ad Petrum c 2. ait, *Deus naturam hominis aſsūpſit, non perſonā*, vt appareat, quòd in alio loco, per ſynecdochen acceperit totum pro parte. Vnde patet ſolutio quarti, cùm per eamdem figuram, ſæpe ſumatur pars pro toto, nempe caro pro natura humana. Aliter non fuiſſet aſſumpta caro viuens.

Ad 5 Dico, in VI. Syn. act. ij. fuiſſe definitum, vnionem hypoſtaticam fuiſſe terminatam, ad animam, vt vnitam cor-

pori. Aliter cùm hæc vnio ſit ſubſtantialis, & de eſſentia humanitatis, Chriſtus ſine illa non fuiſſet verus homo, nec potuiſſet verè mori,eò quia mors fiat per ablationem vnionis animæ cum corpore. Quòd autem ex hoc non ſequatur aſſumptio perſonæ humanæ, patet ex dictis, ſicut etiam patet, quomodo anima, & corpus, etiam ſeparata ab inuicem, potuerint remanere cum Verbo vnita.

Ad 1. Secundæ ſen. Patet reſponſio ex dictis in 3, concl. Ad 1. probationem dico, ad terminandam immediatè vnionem hypoſtaticam, non eſſe neceſſarium, quòd quidquid fuit aſſumptum ex parte corporis, fuerit actu informatum anima rationali, vt diximus in ead concl. & ſeq. Ad 2. dico, communicationem idiomatum (vt toties diximus) non dari inter vnum extremum, & partem alterius, ſed inter totum, & totum; & ideo dicitur Deus homo, & homo Deus. Neque obſtat, quòd dicatur Deus factus caro. Siquidem cùm in carne contineantur omnia, quæ ſunt in homine, nomine carnis poteſt intelligi tota humanitas, cùm ſæpe per ſynecdochen, contentum per continens exprimatur. Hoc non poteſt dici de ſanguine, qui contentus in carne, vt liquor in vaſe,eius nomine non poteſt intelligi caro. Ad 3. Nego antecedens; Cùm enim ſanguis ſit neceſſarius, non ſolùm ad corporis conſeruationem, ſed etiam ad eius operationes, ſpectat ad eius in-

integritatem. Ad 4. Nego antedens. Quã-uis enim noſter Gibbo, cum aliquibus alijs tueatur, aliquas particulas veri Chriſti ſanguinis in terris remanſiſſe, & illud axioma, *quod aſſumpſit, non dimiſit*, explicet de partibus eſſentialibus, & quoad earum partes præcipuas, non autem quoad partes minimas, quæ non ſunt neceſſariæ ad integritatem humanitatis, vt probat diſp. 9 dub. 2. §. 2. tamen placet reponſio D. Thomæ, quam tradit hic q. 54. ar. 2. ad 3. his verbis, *Totus ſanguis, qui de corpore Chriſti fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturę pertineat, in corpore Chriſti reſurrexit &c. Sanguis autem ille, qui in quibuſdam Eccleſijs conſeruatur, non fluxit de latere Chriſti, ſed miraculosè dicitur effluxiſſe de quodam imagine Chriſti percuſſa.* Quare ille rubor, qui videtur in inſtrumentis paſſionis, non eſt ſubſtantia ſanguinis naturalis, quidquid ſit de nutrimentali.

Ad 1. Tertiæ Dico, fuiſse quidem aſſumptos ſpiritus, tàm vitales, quàm animales, quia ſunt ſubſtantialiter ſanguis, vt probaui in 1. de an. diſp. 2. ar. 2. non tamen accidentia, vt dictum eſt in 4. cõcl. Ad 2. Dico, non ſolum non eſſe abſurdum, quòd vniones hypoſtaticæ fuerint aſſiduò variatæ, ſecundùm terminationem ad partes corporis, ſed eſſe omninò neceſſarium, ad ſaluandam incarnationis veritatem. Cùm enim in viuentibus, vi caloris naturalis, aliquæ particulę

 acqui-

acquirantur, ex alimenti conuerſione in ſubſtantiam aliti, & aliæ reſoluantur, dicendum eſt, vnionem Verbi cum corpore, dùm viueret, aſſiduò fuiſſe variatam, vel ſecundum totum, ſi dicatur, eſſe vnicam, & ſimplicem, vel ſecundùm partes, ſi dicatur eſſe compoſitam. Vbi obiter aduerte, quòd cum diſp 6 ar. 2. diximus, vnionem hypoſtaticam eſse modum ſimplicem, & non compoſitum, locuti ſumus de compoſitione per partes ętherogeneas, nempe ſpirituales, & materiales, non verò de compoſitione per partes omogeneas. Cùm enim dixerimus, hanc vnionem eſse materialem, & recipi in ſola materia corporis Chriſti, & omnis materia ſit diuiſibilis in infinitum, vt diximus in 6 phys. vtique omnis materia eſt compoſita ex ſuis partibus omogeneis; & hoc ſuppoſito, potuiſset variari vnio hypoſtatica, non ſecundùm totum, ſed ſolùm ſecundùm partes.

ARTICVLVS VII.

An partes humanitatis fuerint aſſumptæ cum aliquo ordine? Vbi an natura diuina, circumſcriptis Perſonis, potuiſſet incarnari?

VIdetur 1. Priùs tempore fuiſse Chriſtum Dominum, vt purum hominem,

nem, (vt Cerinthus aſseruit, quibus non diſsentiebant Neſtoriani,) & deinde meruiſse vnionem hypoſtaticam cum Verbo; vel ſaltem præfuiſse ſecundùm animam, vt effutiuit Origenes, vt tueretur ſuum errorem, quòd ab initio mundi fuerint ſimul omnes animæ rationales à Deo creatæ, & deinde ſucceſſiuè cum corporibus vniantur, vt Plato, Empedocles, Tyanæus, & Pitagoras dixere, quibus deinde cum Origene adhęſere etiam Manichæi, vt fusè retulimus in 3. de an. diſp 2 ar. 3

Videtur 2. quòd priùs natura fuerit anima vnita Verbo, quam corpori, vt plerique opinantur, cum Suar Gonetto Gibbone,&c. Primò quia numquam anima caruiſset propria ſubſiſtentia, niſi fuiſset impedita. Ergo priùs natura eſt, quòd fuerit impedita, quàm quòd caruerit propria ſubſiſtentia; atque adeo quia numquam habuit propriam ſubſiſtentiã, ideo priùs natura fuit impedita, per vnionem hypoſtaticam. Deinde materia hominis non ſubſiſtit per ſe, ſed per animam. Ergo quia Verbum eſt ratio ſubſiſtendi ipſius Chriſti, priùs natura ſubſiſtit eius anima, quam corpus.

Concluſio, *Non prius tempore fuit anima Chriſti vnita Verbo, quam corpori, quamuis poſſit aliquo modo dici, quòd priùs natura fuerit anima vnita Verbo, quam corpori, & tota natura humana per modum totius, quàm ſingulæ partes.*

Probatur prima pars, non ſolùm ex definitione expreſsa quintæ Synodi can. 2. & ſextæ Synodi act. ij. penes Suar. hic diſp. 16 ſect. 2; ſed etiam quia anima non potuit vniri Verbo, niſi vt exiſtens. Ergo cum non extiterit ante vnionem, cum corpore, non potuit priùs vniri Verbo, quam corpori. Conſequentia probatur, anima Chriſti fuit eiuſdem rationis, ac reliquę, vt probauimus ar. 5. Sed aliæ animæ rationales creantur a Deo, cum infunduntur corporibus, & cum illis vniuntur, vt probatum eſt in 1. phys. diſp. 3. ar. 9. & in 3. de an. diſp. 2 ar. 4. Ergo non exiſtunt, ante ſtatum vnionis cum corpore; adeòque neque anima Chriſti, & oppoſitum dicere, eſt hæreticum, vt infert Suar. loc. cit.

Probatur ſecunda, actio creatiua animæ, non eſt formaliter vnitio illius cum corpore, vt probauimus in 1. de gener. diſp. 2. ar. 5. licèt realiter ſint ſimul in eodem inſtanti reali, ita vt prima ſit à ſolo Deo, & ſecunda à Deo, & generante creato; niſi velimus dicere, eſſe vnam, & eamdem actionem realiter, quæ vt terminatur ad animã, ſecundũ eſſe ſimpliciter, ſit creatio; & vt terminatur ad animam, ſecundum eſſe in materia, ſit generatio, vt expendimus loco citato. Ergo quamuis anima ſimul tempore accipiat eſſe ſimpliciter, & eſſe in materia, tamen quia ſecundùm naturam, prius eſt illam eſſe ſimpliciter, quàm eſſe in materia, ideo

quia

quia non habet eſſe ſimpliciter, niſi vt ſubſiſtens in Verbo, priùs natura, anima vnitur cum Verbo, quàm cum corpore, ſaltem ordine executionis, cùm ordine intentionis contingat oppoſitum, eò quia priùs natura Verbum vniatur cum humanitate, quàm cũ partibus illius ſeorſim. Vnde remanet probata tertia pars.

An autem ipſa caro fuerit priùs vnita Verbo, quàm animæ, vel ſolùm fuerit aſſumpta mediante anima, & aliæ huiuſmodi metaphyſicæ quæſtiones, quia nihil habent ſoliditatis, & potiùs procedunt de modo loquendi, ideo vt inutiles omittuntur. Quicumque verò vellet eas abundè tractatas, conſulat Suarium diſp. 17. per totam, de quo veluti ex fonte, omnes alij poſteriores acceperunt, nam nihil erit deſiderandum.

Vnde patet reſponſio ad errores Cerinthi, Origenis, & aliorum hæreticorum, contra quos valeant Concilia allata. In quo aduertatur, quòd quando diximus, eodem tempore Verbum ſimul aſſumpſiſſe corpus, & animam vnita, nomine corporis intelleximus materiam organizatam, ſecundum conditionem talis ſtatus, hoc eſt non ſecundùm eam perfectionem quantitatiuam, quam homines proceſſu temporis acquirunt, neque ſecundùm eam integritatem partium, quę non conueniunt tali ſtatui, vt ſunt dentes, capilli, &c.

Ad alia Catholicorum, patet reſpon-

 ſio

ſio ex dictis in 2. p. concluſionis, q
procedant in ordine executionis, pro
tertiam partem concluſionis, quibus
do, quòd corpus non ſit à Deo aſſum
bile, niſi per ordinem ad animam
probauimus ar. 4. Ergo quia anima
ratio, ſeu medium aſſumendi corpus,
dine executionis, priùs natura aſſum
anima, quam corpus, licèt ordine int
tionis, quia priùs natura aſſumitur t
humanitas, ideo anima, & corpus, vt e
partes, aſſumuntur in poſteriori natura
docente D. Tho hic q. 6. ar. 5. *Secund.*
intentionem facientis, prius eſt completu
quàm incompletum, & per conſequens totu
quam partes.

Supereſſet hic agere, an diuina natur
circumſcriptis perſonis, poſſit incarnar
Sed quia hæc quæſtio non habet locu
in noſtris principijs, ideo vt inutilis re
mittitur ad Thomiſtas. Quòd autem no
habeat locum, probatur facilè. Siqui
dem ex vna parte probauimus in tr. de
Trin. diſp. 6. ar. 1. omnes diuinas actio
nes, ſiue ad intra, ſiue ad extra, eſſe ſup
poſitorum, & non naturæ per ſe conſide
ratæ; & ex alia, diſp 15. ar. 3. & fuſiùs
in diſp. met. non dari in Deo ſubſiſten-
tiam abſolutam: & cùm omnes conuenia-
mus, incarnationem eſſe actionem vniti-
uam naturæ diuinę cum humana, neceſſa-
riò ſequitur, naturam diuinam, circum-
ſcriptis perſonis, non eſſe ſuppoſitum,
adeòque non poſſe incarnari. Immò hoc
etiam

etiam ſequitur, in ſententia admittentiũ ſubſiſtentiam abſolutam, quia hęc vel ſuppoſitaret naturam, adeòque faceret in Deo ſuppoſitum abſolutum, quod vt erroneum exploſimus locis citatis; vel non conſtitueret naturam potentem incarnari, retenta doctrina catholica, quòd incarnatio ſit actio ad extra, & omnis actio ad extra ſit à ſuppoſito, tamquam à principio *quod*, quidquid contradicant Gonettus, & Gibbo.

Quæres, an poſſit conſeruari natura creata, abſque omni ſubſiſtentia? ℞. negatiuè cum Scoto, & aliis. Et ratio eſt, quia cùm ſubſiſtentia creata ſit negatio vnionis cum alio, vt toties diximus, & cùm nulla perſona creata poſſit aſſumere alienam naturam, omnis creata natura, vel aſſumitur à Deo, & ſubſiſtit in diuino ſuppoſito, vel non, & retinet negationem vnionis cum alio, adeoque ſubſiſtit in ſe.

Quæres 2. An natura humana in Chriſto appetat propriam ſubſiſtentiam? ℞. quæſtionem facilè ſolui, ſi conueniamus in terminis. Siquidem vel loquimur de appetitu elicito, vel de innato? Si primum, cùm hic ſequatur cognitionem boni, non poteſt excitari de bono inferiori, cum habetur maius, cognitum vt tale. Quia ergo ſubſiſtentia Verbi eſt infinitè melior, ſubſiſtentia propria humanitatis,nõ poteſt hæc,illa habita hãc, appetere; aliter cum ſint incompoſſibiles,

appeteret priuari bono maiori, vt habeat minus, quod rationi repugnat. Si ſecundum, cùm appetitus innatus nihil ſit aliud, quàm naturalis potentia, & capacitas alicuius formæ, cum reſpectu tranſcendentali ad illam, vt vidimus in trac. de vis; & hæc capacitas tolli non poſſit per quamcumque aliam formam, licèt perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, ideo non poteſt non remanere in Chriſti humanitate, ad ſuam naturalem ſubſiſtentiam, ad quam ſe habet merè paſſiuè, ſicut materia ad formam. Atque adeo ſicut materia, etiam vt ſubſtat formæ perfectiori, remanet ſub appetitu, non quidem determinato, & abſoluto, ſed diſiunctiuo, & veluti conditionato formæ inferioris, ita & natura humana Chriſti ad ſuam naturalem ſubſiſtentiam, hoc eſt ſub conditione, quòd ſeparetur à diuina. Vnde non ſequitur quòd ſit in ſtatu violento, Primò quia non appetit ſuam ſubſiſtentiam determinatè, & abſolutè. 2. Quia eius carentia non eſt à principio extrinſeco, ſed ab intrinſeca Verbi ſubſiſtentia, ſupplente eius defectum. Et demum quia in quolibe ente creato, datur inclinatio quędam vniuerſalis, fundata in potentia obedientiali, ad obediendum primæ cauſæ, ad quodlibet, quæ obedientia proinde non eſt illi violenta.

DIS-

DISPVTATIO VIII.

De Gratia Chriſti.

QVærimus 1 An Chriſti humanitas fuerit ſanctificata per ſanctitatem increatam Verbi? Vbi de eius gratia habituali. 2. An gratia,& ſanctitas Chriſti ſint infinitæ? 3. An in Chriſto fuerint gratia actualis,& gratis datæ? 4 An Chriſto fuerit collata gratia capitis, reſpectu hominum, & angelorum?

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſti humanitas fuerit ſanctificata per ſanctitatem increatam Verbi? Vbi de eius gratia habituali.

VIdetur non fuiſſe, vt opinantur Durandus, Paludanus, Bonauentura, Capreol, Aluarez, & alij putantes per gratiam vnionis, non fuiſſe formaliter ſanctificatam humanitatem,ſed ſolum ra-

di-

dicaliter, quatenus videlicet per illam humanitas, acquiſiuit ius ad gratiam habitualem, per quam formaliter ſanctificaretur. Eorum fundamenta ſunt. 1. Quia redderetur inutilis gratia habitualis, cuius ſolius proprius effectus formalis eſt ſanctificare ſubiectum. 2. Quia ſi ſanctitas Dei ſanctificaret formaliter ſibi vnitum, ſanctificaret etiam leonem, & lapidem, ſi cum illis vniretur, quod eſt abſurdum. 3. Sanctitas increata nec informat, nec inhæret humanitati. Ergo quia ſanctificatio debet fieri per formam inhærentem, vt videbimus ſuo loco cum Tridentino, non poteſt fieri per ſanctitatem increatam. 4. Si ſanctitas ſanctificaret, etiam aliæ perfectiones Dei, præſtarent humanitati ſuos effectus formales, quam proinde redderent æternam, immenſam, omnipotentem, &c. quod eſt abſurdum. Demum quia non ſanctificaret *vt quod*, quia hoc conuenit ſoli gratiæ per Trid. ſeſs. 6. cap. 7. Neque *vt quo*, quia hoc conuenit eius vnioni ad ſubiectum. Ergo nullo modo.

Concluſio, *Perſona Verbi per ſuam eſſentialem ſanctitatem, ſanctificat humanitatem ſibi hypoſtaticè vnitam, ita vt vnio ſanctificet vt quo, & diuinitas vt quod; & ideo non fuit ſimpliciter neceſſaria humanitati Chriſti gratia habitualis, licèt fuerit vtilis, vt connaturaliùs operaretur.*

Probatur prima pars, Per ſanctitatem increatam diuinæ perſonæ, hypoſtaticè vni-

vnitæ Chriſti humanitati, habentur omnes effectus formales, & modo excellentiore,qui poſſent haberi per gratiam habitualem. Sed eſt impoſſibile, haberi effectus formales, ſine cauſa formali. Ergo antecedenter ad omnem gratiam habitualem,per ſolam ſanctitatem increatam, habetur cauſa formalis, & quidem nobilior, & præſtantior, ſanctificationis talis humanitatis, nempe ſanctitas increata, cum illa ſubſtantialiter vnita. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maior probatur, omnes effectus formales gratiæ habitualis reducuntur ad hos, quod ſit radix habituum,& operationum ſupernaturalium: quòd excludat peccatum læthale: quòd det ius ad beatitudinem ſupernaturalem: quòd conſtituat amicum, & gratum Deo: reddat eius filium adoptiuum, & conſortem diuinæ naturæ, vt communiter habetur ex Patribus , & ſcholaſticis. Sed hæc omnia perfectiſſimo modo præſtantur à ſola gratia vnionis; hęc enim non ſolùm conſtituit Chriſtum, vt Deus eſt, ſed etiam vt homo eſt filium naturalem Dei, vt infra videbimus, quæ filiatio eſt multò excellentior, quam adoptiua. Præterea deificat humanitatem, quod multò pluris valet, quàm reddere aliquo modo participem diuinæ naturæ. Tertiò illam reddit adeo dignã diuino amore, & complacentia, vt nihil illi negare poſſit, vt diximus diſp. 5. Quarto non ſolùm ab illa excludit omne

pec-

peccatum, etiam veniale, ſed reddit illam omnino impeccabilem, vt videbimus. Et demum dat ius inamiſſibile ad betitudinem, abſque vlla comparatione maiorem, quàm quælibet gratia habitualis, & eſt prima radix ſimpliciter omniũ virtutum, habituum, & donorum ſupernaturalium. Ergo præſtat per ſe ipſam formaliter omnes effectus formales gratiæ habitualis, adeoque cum infinito exceſſu, ſanctificat humanitatem.

Probatur ſecunda, Nulla vnio per ſe ſumpta poteſt præſtare *effectus* formales formæ, quam vnit cum ſubiecto, vt patet inductione vniuerſali omnium formarũ, ſiue naturalium, ſiue ſupernaturalium, & ipſius gratiæ habitualis, cuius vnio ſanctificat ſolũ humanitatẽ per modum viæ, & *vt quo*, ſeu per modum conditionis neceſſariò prærequiſitæ, ſeu *ſine qua non*. Ergo neque vnio hypoſtatica. Atque adeo ſicut ipſa gratia habitualis ſanctificat animam accidentaliter *vt quod*, eiuſque vnio ſolum *vt quo*; ita vnio hypoſtatica in Chriſto ſanctificat eius animam *vt quo*, & diuinitas *vt quod*. Dixi *diuinitas*, ſiquidem principium *quod* ſanctificans animam Chriſti, non eſt perſonalitas Verbi in abſtracto, vt virtualiter intrinſecè diſtincta ab eſſentia, ſed in concreto, vt inuoluit ipſam eſſentiam, ratione cuius ipſum Verbum eſt eſſentialiter, & ſubſtantialiter ſanctum, per identitatem cum ſanctitate increata, quam com-

mu-

municat per ſolam vnionem aſſumptæ humanitati; quam ita reddit ſubſtantialiter ſanctam, illam intrinſecè terminando, vt non tamen faciat ſibi conſubſtantialem, vt diximus in 6. diſp ar. 4.

Probatur tertia, illa forma non eſt ſimpliciter neceſſaria ad aliquem effectum formalem, ſine qua poteſt haberi talis effectus formalis, ſaltem ſecundùm ſpeciem. Et ideo albedo A. non eſt ſimpliciter neceſſaria, ad albificandum parietem, quia hic poteſt albificari per albedinem *B.* Sed vidimus, humanitatem Chriſti multo perfectiùs ſanctificari per gratiam vnionis, quàm per gratiam habitualem. Ergo hæc non eſt illi ſimpliciter neceſſaria, vt docet Scotus in 4 d. 19. q. 1. ar 2. Suar. Vaſq. Valentia, Lugo, Granadus, Gibbo, Gonet, & alij.

Probatur quarta, Chriſtus non potuiſſet habere (ſaltem de lege ordinaria) vt ſibi connaturaliter debitas, virtutes habituales infuſas, & multò minus exercere connaturaliter earum actus, niſi habuiſſet principium radicale, ex quo emanant, veluti proprietates, tales habitus, quibus deinde influentibus, exiret in eorum actus. Sed principium radicale habituum ſupernaturalium virtuoſorum, in omnium ſententia, eſt gratia habitualis, ſanctificans animam, illamque proximè diſponens ad tales habitus, ad quos ſe habet ſicut natura ad ſuas paſſiones, & proprietates. Ergo ad hoc vt Chriſtus con-

na-

naturaliter haberet virtutes habituales ſupernaturales, & exerceret earum actus, fuit illi maximè vtilis gratia habitualis. Dixi *vtilis*, & non *neceſſaria*, etiam ad hunc deffectum, gratia habitualis, vt abſtinerem ab illa quæſtione agitanda ſuo loco, an videlicèt poſſint de abſoluta Dei potentia, infundi alij omnes habitus ſupernaturales, ſine gratia habituali, vt multi inſignes theologi de facto dicunt, fuiſſe infuſos animæ Chriſti, ſaltem in priori natura ad gratiam habitualem, per ſolam dependentiam à gratia vnionis, exqua autumant, emanaſſe deinde & ipſam gratiam habitualem, vt per illam connaturaliùs exiret in eorum exercitiũ actuale. An autem gratia habitualis attulerit Chriſto aliam vtilitatem, videbitur in ſolutione obiectionum.

Ad 1. Nego ſequelam, Primò quia omnes admittunt in Chriſto gratiam habitualem, vt ſaluetur quòd Io. 1. dicitur *plenus gratia*. Quamuis enim hoc non ſit de fide, vt egregiè probat Vaſq hic diſp. 41. c. 1. cui adherent Gibbo, & plures penès ipſum, tamen eſſet termerarium hoc negare, vt ijdem docent. Ergo cum Deus nihil faciat fruſtra, debuit per talem gratiam promouere optimos fines. Præterquamquòd cùm in Chriſto fuerit habitus charitatis, qui vel eſt idem, vel ſaltem eſſentialiter connexus cum gratia ſanctificante, negari non poteſt, fuiſſe etiam talem gratiam, non quidem vt poſ-

ſet

ſet illam nobis influere, vt docet Gonettus, cùm ad hoc ſufficiat præcontinentia virtualis, vel eminentialis, vt alibi ſæpe probauimus : neque vt haberet ſanctitatem perfectam, & conſumatam, vt idem docet, quia ſanctitas ſubſtantialis dicit omnem plenitudinem ſanctitatis, ſaltem intenſiue, vt docet Vaſq. hic diſp. 41. c. 4. & 5. Et multo minùs ad merendum præmium ſupernaturale, vt idem Gonettus docet, quia etiam ſine tali gratia, anima Chriſti eſſet Deo gratiſſima, & dignificata à diuina perſona ſibi vnita; adeòque eius opera eſſent meritoria cuiuslibet præmij, vtpote infiniti valoris Deinde quia gratia habitualis fuit expediens, vt Chriſtus connaturaliùs haberet habitus virtutum ſupernaturalium, & illis connaturaliùs vteretur, vt dictum eſt. Demum quia debemus tribuere Chriſto totum illud perfectionis, quod illi non repugnat, & magis illum dignificat coram Deo, & hominibus. Sed quòd præter ſanctitatem ſubſtantialem, habeat etiam accidentalem, magis illum dignificat, & quidem coram Deo, quia fit ſanctior extenſiuè, & coram hominibus, quia fit habens etiam ſanctitatem eiuſdem rationis cum noſtra, vt bene probat Suar. hic diſp. 18. ſect. 2. vnde redditur nobis magis conſimilis, & amabilis. Ergo non fuit illi inutilis.

Ad 2. Nego antecedens, primò quia huiuſmodi naturæ eſſent incapaces ſancti-

ctitatis. Et deinde quia ex hoc ipſo probatur eorum inaſſumptibilitas, vt diximus diſp. 7. ar. 4. Vnde ceſſat vis illationis.

Ad 3. Nego conſequentiã. Sicut enim perſona diuina per ſolam terminationem naturæ humanæ, abſque vlla informatione, & inhærentia, poteſt illam ſubſtantialiter complere, per ſui communicationem, factam per vnionem ſubſtantialem, ita poteſt illam ſubſtantialiter ſanctificare, communicando illi per vnionem ſubſtantialem, ſuam ſanctitatem eſſentialem, vt dictum eſt.

Ad 4. Nego ſequelam. Et dico, formas non poſſe prçſtare ſuos effectus formales, niſi iuxta capacitatem recipientium; & ideo videmus, quòd anima rationalis viuificat quidem corpus, quòd eſt capax vitæ, non tamen ſpiritualizat, quia eſt incapax ſpiritualitatis. Quia ergo humanitas Chriſti eſt capax ſanctitatis, ideo illam recepit per vnionem cum ſanctitate increata; non recepit autem alias diuinas perfectiones, quia illarum non erat capax. Cùm enim fuerit in tempore, in loco determinato, mobilis, corporea, paſſionibus, & morti obnoxia, prout fuit de illa ab çterno prædeſtinatum, vt per illam filius Dei redimeret mundum, ideo non potuit accipere æternitatem, immenſitatem, ſpiritualitatem, impaſſibilitatem, &c. De omnipotentia agemus infra, cum erit quæſtio de Chriſti

ſti potentia. Neque obſtat, quòd hæc humanitas potuerit fieri ab æterno, poni vbique, fieri impaſſibilis, &c. Siquidem cùm hoc non illi conueniret ex vi vnionis, ſed ex pura potentia obedientiali, quam habet communem cum omnibus alijs, adſummum probat non repugnantiam ad tales perfectiones, præciſo ordine illi præfixo, ad taliter mundum redimendum, qui non erat cum illis compatibilis, non autem actualem eorum receptionem, de qua hic eſt ſermo. Ergo nihil facit ad rem.

Ad 5. Nego conſequentiam. Et dico, quòd Chriſti humanitas habuit duplicem ſanctitatem, nempe ſubſtantialem, quam vnio conferebat *vt quo*, & perſona diuina *vt quod*: & accidentalem, cuius principium *quod* erat gratia habitualis, & vnio accidentalis erat principiũ *quo*. Vnde ſequitur, quòd ſicut erat in illo duplex cauſa formalis, ita duplex effectus formalis, qui proinde non confundebantur.

ARTICVLVS II.

An gratia, & ſanctitas Chriſti ſint infinitę?

VIdetur 1. eius gratia habitualis non eſſe infinita. Primò quia repugnat qualitas infinitè intenſa. 2. Quia non poſ-

poſſet fieri maior. 3. Quia etiam lumen gloriæ Chriſti eſſet infinitum, adeòque anima Chriſti Deum comprehenderet. 4. Hæc gratia educitur ex potentia obedientiali actiua animæ Chriſti. Sed hæc eſt finita. Ergo & gratia ex illa educibilis.

Videtur 2. nec ſanctitas Chriſti eſſe infinita, Primò quia æquaret ſanctitatem Dei, adeòque anima Chriſti fieret eſſentialiter Deus. 2. Sanctitas Chriſti non poteſt eſſe maior, quàm vnio, ex qua dimanat. Sed hæc eſt finita Ergo & illa. 3. Chriſtus non poſſet fieri ſanctior, per actus perfectiſſimæ charitatis, quod repugnat Lucæ. 2. in fine, *Ieſus proficiebat ſapientia, & gratia coram Deo, & hominibus* 4 Quò eſt perfectius principium meriti, eò opus meretur maius præmium Ergo ſi ſanctitas Chriſti fuiſſet infinita, per ſingulos actus meruiſſet præmium infinitum, quod reiecimus diſp. 4 ar. 2 ad 3.

Concluſio, *Gratia habitualis Chriſti, eiuſque ſanctitas ſunt infinita, non tamen ſecundùm extenſionem, ſed ſecundùm intenſionem, tam in eſſe phyſico, quàm morali*. Ita Maior, Maldonatus, Almaijnus, Hurtadus, Bernal, & alij, quos ſecuti ſumus in 3. phys diſp. 2. ar. 10 ad 6

Probatur de gratia, Chriſto ratione vnionis cum Verbo, debetur gratia perfectiſſima, excedens omnem gradum, & terminum limitantem, tàm in eſſe qualitatis ſupernaturalis, quàm in eſſe gratiæ.

tiæ. Ergo cum ſit poſſibilis qualitas, immò & ipſa gratia infinita ſecundùm intenſionem, vt probauimus in 3. phys. diſp. 2. ar. 10. nulla eſt ratio, cur de facto non fuerit collata animæ Chriſti. Antecedens admittitur ab omnibus, & probatur ex illo Io. 1. *plenum gratię, & veritatis*; quamuis enim hoc poſſit explicari de plenitudine neceſſitatis, quatenus videlicèt fuerit Chriſto collata, omnis gratia illi neceſſaria ad ſuum ſtatum, ſicut dicitur de matre *gratia plena*, & de D Stephano *plenus gratia, & fortitudine*; tamen ex ſubſequentibus, *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, extenditur ad illimitatam infinitatem, vt videlicèt per communicationem nō exhauriatur. Et ideo Io. 3. dicitur, *non ad menſuram dat Deus ſpiritum filio*, ſicut facit nobiſcum, vt dicitur ad Ephes. 4. *Vnicuique noſtrum datur gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Vnde D Tho hic q 7. ar. 11. elicit, *Gratia Chriſti poteſt dici infinita, eò quòd non limitatur, quia habet quidquid poteſt pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei ſecundùm aliquam certam menſuram*. Conſequentia eſt adeo certa, vt Suar. diſp. 22. ſect. 1. quamuis doceat ſententiam oppoſitam, fateri coactus fuerit, *hac aſſertio fundanda eſt in hoc, quòd impoſſibile ſit, fieri gratiam actu infinitam, quia ſi hac eſſet poſſibilis, nullo modo probari poſſet, non eſſe datam animę Chriſti; quin potiùs ego exiſtimarem, contrarium eſſe probabilius*. Cui ſubſcri-

ſcribens Gibbo hic diſp.13. dub. 1. ait, *Si eſſet poſſibilis gratia habitualis infinitè intenſa, eſſet utique concedenda animæ Chriſti*, & citat plures prò hac opinione, quam ſequitur etiam Gonet. diſp. 13. ar. 1. §.3.

Confirmatur, tanta eſt dignitas, & excellentia animæ Chriſti, vt illi debeantur, ex vi vnionis, omnia dona ſupernaturalia, abſolutè poſſibilia, dommodò non repugnent ipſi vnioni, & fini redemptionis mundi. Cùm ergo gratia infinitè intenſa, non ſolùm cum his non pugnet, ſed maximè congruat excellentiæ, & dignitati Chriſti, fuit illi defacto data.

Probatur de ſanctitate, non quidem ſubſtantiali, de qua locuti ſumus in 1. ar. ſed de accidentiali, quæ habetur per gratiam habitualem ſanctificantem. Cùm enim illa habeatur formaliter per ipſam perſonam filij Dei, quæ eſt ſimpliciter infinita, vtique communicat humanitati coniunctæ, per ſui communicationem, ſanctitatem ſimpliciter infinitam. Quia tamen hæc communicatio non fuit per identitatem, vt ad intra, ſed per ſolam vnionem ſubſtantialem, ideo non faciebat animam Chriſti eſſentialiter, ſed ſolùm perſonaliter ſanctam, vt dictum eſt ſupra. Probo igitur concluſionem, menſura ſanctitatis accidentalis, deſumitur ex quantitate gratiæ habitualis, quæ eſt cauſa formalis illius. Ergo ſi hæc ſit intenſiuè infinita, etiam illa erit taliter infini-

finita, cùm effectus formalis non diſtinguatur ſecundùm rem à ſua cauſa formali. Quòd autem hæc infinitas, non ſit ſolùm in eſſe phyſico talis gratię, ſed etiã in eſſe morali, probatur, quia hæc gratia reddit humanitatem Chriſti adeo ſanctam, & Deo gratam, vt det illi illimitatam quamdam æſtimationem, & dignitatem, non ſolùm reſpectu hominum, ſed etiam reſpectu Dei, ratione cuius eius opera ſunt infiniti valoris, in genere meriti, & infinitè ſatisfactoria, in genere ſatisfactionis, vt probauimus diſp. 4. & 5. Et ideo Chriſtus potuit Deo pro nobis ſatisfacere, de toto rigore iuſtitiæ, & potuiſſet ijſdem ſuis operibus, ſatisfacere prò peccatis etiam infinitorum hominum Ergo eius gratia habitualis, non ſolùm in eſſe gratiæ, & qualitatis, ſed etiam in genere moris, & ſecundùm valorem, & moralem æſtimationem eſt infinita, & per conſequens eius ſanctitas formaliter ex illa reſultans, fuit infinita ſimpliciter, ſecundùm intenſionem.

Probo demum, quòd neutra ſit ſimpliciter infinita, ſecundùm extenſionem, Primò quia de facto nõ ſanctificauerunt, niſi Chriſti humanitatem, quæ in ratione entis, & cauſæ materialis ſubiectiuæ, eſt aliquid finitum, & limitatum, quamuis ratione ſuę perfectionis intenſiuæ, eſſent aptæ gratificare, & ſanctificare infinitos homines. Ergo ſicut calor infinitus, poſitus in vno ſolo ſubiecto finito,

non eſſet extenſiuè infinitus, licèt in illo pręſtaret effectum formalem intenſiuè infinitum, ita gratia, & ſanctitas Chriſti, in eſſe phyſico, ſecundùm quod non habuerunt perfectionem extenſiuè infinitam. Deinde quia neque in genere moris habuerunt extenſionem infinitam. Cùm enim defacto nõ diſpoſuerint Chriſtum, ad aſſecutionem actualem præmij infiniti, & ad actu ſatisfaciendum pro infinitis, licèt illum conſtituerent aptum in actu primo ad vtrumque, defacto non extenderunt ſuam cauſalitatem moralem ad infinitos effectus cathegoramaticè, vt dictum eſt in diſp. 4. & 5. Ergo non habuerunt perfectionem extenſiuam in actu ſecundo, ſed ſolùm in actu primo infinitam.

Vnde patet reſpoſio ad 1. primæ ſententiè. Ad 2. Dico, qualitatem infinitè intenſam, non poſſe fieri maiorem ſedùm intenſionem, eò quia cùm *vnum* infinitum non ſit maius alio, vt dictum eſt in 3. phys. qualibet facta graduum acceſſione, ſicut non creſceret eius formalis infinitas, ita neque creſceret eius intenſio; poſſe tamen fieri maiorem, non ſolùm entitatiuè, per augmentum, & maiorem perfectionem partium materialium, ſed etiam extenſiuè, per informationem plurium ſubiectorum. Quomodo autem illa gratia infinita, per additionem, vel ablationem graduum, non faceret Chriſtum magis, vel minùs gratum, vide in 3.phys.

3. phys. diſp. 2. ar. 10. vbi ſub proprijs terminis, inuenies ſolutionem huius quæſtionis, ſicut etiam tertij argumenti de lumine gloriæ, & Dei comprehenſione. Ad 4. Nego ſuppoſitum. Et dico, gratiam, aliaſque omnes qualitates ſupernaturales, creari quidem in ſubiecto, non tamen educi de eius potentia.

Ad 1. ſecundæ ſententiæ, Nego antecedens, quia ſanctitas Dei conuenit illi eſſentialiter, & per identitatem; animæ verò Chriſti conuenit accidentaliter, quia potuit non conuenire, & per ſolam vnionem cum Verbo. Ad 2. Nego maiorem. Cùm enim vnio ſolùm ſanctificet *vt quo*, vt dictum eſt in 1. ar. non poteſt eſſe menſura ſanctitatis. Ad 3. Vltrò admitto, quòd Chriſtus non poſſet fieri ſubſtantialiter ſanctior, propter traditas rationes, neque accidentaliter per gratiam habitualem. Probo primum, quia principium ſanctificans *vt quod* erat perſona Verbi, quæ eſt incapax augmenti. Probo ſecundum, quia ab initio habuit gratiam infinitam, quæ intenſiuè augeri non potuit, vt dictum eſt. Solùm Ergo dictum Lucæ verificatur de ſcientia acquiſita, de qua infra diſp. 9. ar 1. & 2; & quatenus Chriſtus *ſecundùm proceſſum ætatis, perfectiora opera faciebat, vt ſe uerum hominem demonſtraret, &c. in his, quæ ſunt ad Deum, & in his quæ ſunt ad hominem*, vt fusè probauimus cum D.Tho. in 3. phys. diſp. 2. ar. 10. ad 6. vbi hanc quæſtionem

theologicè exagitauimus. Ad 4. **Dico**, nullum eſſe abſurdum dicere, quòd pręmium Chriſti fuerit ſyncathegorematicè infinitum, quatenus videlicèt nullo præmio finito, eius merita exhauriri potuerint. Hóc enim admiſſo, & ſaluamus infinitatem valoris eius meritorum, qui extendebatur ad omne præmium, & ſimul potentiam Dei ad præmia rependenda, quæ cùm ſemper ſint actu finita, & nullo finito exhauriatur Dei potentia, quolibet dato, ſemper remanet in potentia ad danda alia, & præterea concordamus textus, quia loco citato negauimus tantùm infinitatem cathegorematicam præmiorum, correſpõdentium meritis Chriſti, non autem ſyncathegorematicam hic aſſertam.

ARTICVLVS III.

An in Chriſto fuerint gratia actualis, & gratis datæ?

Videtur 1. in Chriſto fuiſſe gratiam actualem adiuuantem, vt docet Suar diſp. 18. ſect. 4. Primò quia indiguit lumine ſupernaturali, ad videndum Deum, illumque amandum. Ergo indiguit gratia excitante, & adiuuante. Deinde quia viſio, & amor ſupernaturalis Dei, ſuperant vires naturales animæ Chriſti. Ergo neceſſariò debuerunt pen-

dere

dere ab auxilio actuali ſupernaturali, quòd dicitur gratia adiuuans.

Videtur 2. in Chriſto non fuiſſe gratias gratis datas, cuiuſmodi ſunt fides, gratia ſanitatum, genera linguarum, & aliæ. quæ numerantur ad Cor. 12. Primò quia viſio pugnat cum fide, & prophetia, quæ ſunt obſcuræ. Ergo cùm Chriſtus habuerit viſionem, nõ potuit habere fidem, & prophetiam. 2, Chriſtus non vſus eſt, niſi idiomate hebraico; cùm enim veniſſet ad ſaluandos hebræos, vt ipſe teſtatus eſt Matth 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quę perierunt domus Iſrael*, hoc ſolum idioma illi ſuffecit. Ergo non habuit genera linguarum. Demum, hæ gratię ſunt media ad obtinendam beatitudinem Ergo non debuerunt dari illam habenti.

Concluſio, *Quamuis Chriſtus non habuerit gratiam actualem, tamen habuit omnes alias gratias gratis datas, non repugnantes eius ſtatui.*

Probatur prima pars, omnis gratia actualis reducitur ad illuſtrationem mentis, quę dicitur gratia excitans, & ad motionem voluntatis, quæ dicitur adiuuans, quam proinde aliqui vocant concurſum, ſeu auxilium ſupernaturale. Sed Chriſtus neutram habuit, non primam, quia per viſionem Dei, vidit clariſſimè quid eſſet faciendum, & quid vitandum: neque ſecundam, quia ex clara viſione ſummi boni, neceſſariò excitatur voluntas ad

eius amorem, & ad fugam omnis peccati, vt vidimus in tr. de beat Ergo non habuit gratiam actualem. Hoc tamen debet intelligi de Chriſto, vt comprehenſore Nam vt viator indiguit gratia actuali, per modum concurſus, ad eliciendos actus liberos ſupernaturales, vt optimè probat Suar. loc. cit. §. *dico primo*, &c.

Vnde patet ſolutio primi. Ad 2. Nego conſequentiam, quia ſicut intellectus ſufficienter diſponitur per lumen gloriæ ad *viſionem; ita & voluntas, per gratiam habitualem, ad actus charitatis*, quibus poſitis, ſicut concurſus ad viſionem, cùm ſit debitus intellectui informato lumine gloriæ, non dicitur gratia adiuuans, ita neque concurſus ad actum charitatis, quia eſt debitus voluntati, informatæ gratia habituali.

Probatur ſecunda pars, omnes gratiæ, quæ dicuntur gratis datæ, ordinantur ad manifeſtationē fidei, eiuſque doctrinæ, vt docet D Tho. q. 7. ar. 7. Ergo debuerunt ineſſe Chriſto, qui vt legislator, doctor, & caput Eccleſiæ, leges ad fidem pertinentes, condebat, & explicabat. Quia tamen aliquæ ex illis pugnant cum eius vnione, & ſtatu, ideo poſui illam limitationem, vt excluderem ex illo fidem, & ſpem.

Vnde patet ſolutio primi, quoad primam partem. Quoad ſecundam de prophetia, nego, eſſe de eius ratione formali obſcu-

obſcuritatem Sicut enim non dicit eſſentialiter claritatem, ita neque obſcuritatem, ſed præſcindit ab vtraque, & poteſt cum vtraque diſiunctiuè coniungi. Ergo quia Chriſtus multa prædixit, quæ ipſe clarè cognoſcebat, non ſolùm per viſionem, ſed etiam per cognitionem infuſam, ideo habuit donum prophetiæ, & quidem habitualiter, & permanenter. Ad 2. Nego conſequentiam, primò quia Chriſtus non actu fecit totum id, quod potuit. Et deinde quia cum genera linguarum, & interpretatio ſermonum fuerint Apoſtolis communicata, vt legitur in eorum actis, multò magis debuerunt Chriſto communicari Ad 3. Nego conſequentiam, quia licèt non prodeſſent Chriſto ad hunc finem, erant vtiles tamen, vt per illas alijs prodeſſet, ad quorum vtilitatem ordinabantur.

Ex dictis ſequitur de virtutibus theologicis non fuiſſe in Chriſto fidem, & ſpem, quæ pugnant cum viſione, ſed ſolam charitatem. Quoad alias virtutes dico, in illo fuiſſe virtutes cardinales, nempe fortitudinem, prudentiam, iuſtitiam, & temperantiam, non quatenus dicit victoriã de luctamine concupiſcentiæ, ſed quatenus dicit moderationem potentiæ ſenſitiuę. Quoad habitum pænitentiæ non poteſt eſſe difficultas, quia cum Chriſtus peccare non potuerit, illius non eguit, & ideo in tr. de pæn. concluſimus, illum in Chriſto non fuiſſe. De alijs virtuti-

bus moralibus, dico illas in Chriſto fuiſſe, quia cum ſpectent ad perfectionem, & dignitatem animæ Chriſti, & non ſint incompatibiles cum eius ſtatu, non debuerunt illi denegari. An autem illas habuerit infuſas omnes ab initio, cum gratia habituali, vt docent Aluarez, & Gonettus, vel illas proprijs actibus acquiſierit, vt docent Suar. & Vaſquez, quia nichil certi habemus è ſacris paginis, ideo vtrumque eſt probabile.

Quæres, an fuerint in Chriſto dona Spiritus ſancti, quæ ſunt ſapientia, ſcientia, intellectus, conſilium, fortitudo, pietas, & timor Dei? ℞. affirmatiuè cum communi, intelligendo nomine timoris, non ſollicitudinem imminentis pænæ, propriam timoris ſeruilis, qui non fuit in Chriſto, ſed reuerentiam, & venerationem Dei, propter eius eminentiam, & excellentiam, quæ ſunt proprię timoris filialis. Probatur autē primo ex Iſaię ij. vbi de Chriſto dicitur, *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientię, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Deinde quia hæc dona, neque quoad habitum, neque quoad actus proprios, pugnāt cum ſtatu Chriſti, immò valdè conducunt ad eius perfectionem, & excellentiam. Ergo illi conueniunt. An autem hæc dona diſtinguantur à tribus virtutibus theologicis, & quattuor cardinalibus, vt docent Suar.

& Valentia, vel ſint ipſæ virtutes, vt à Deo donatæ, ſicut docent Scotus,& Vaſquez, nihil refert ad præſentem quæſtionem, cùm Christo conueniant, ſiue diſtinguantur, ſiue non.

ARTICVL'VS IV.

An Chriſto collata fuerit gratia capitis, reſpectu hominum, & Angelorum?

Videtur quòd non, Primò quia caput ſubordinatur corpori, vt pars illius. Sed Chriſtus non eſt pars Eccleſiæ, cui non ſubordinatur, ſed potiùs illam ſibi ſubordinat. Ergo non eſt eius caput. 2. Caput refertur ad omnes corporis partes, quibus influit. Sed Chriſtus non refertur ad peccatores, hæreticos, & infideles, qui ſpectant ad idem corpus reipublicę humanæ. Ergo non eſt eius caput. 3. Angeli ſunt diuerſæ naturæ à Chriſto, vt homine. Ergo non habet reſpectu illorum rationem capitis 4 Ideo Chriſtus eſt caput hominum, quia illos redemit. Ergo quia angelos non redemit, non eſt illorum caput, præſertim cum neque illis meruit gratiam, & gloriam. 5. Vel eſſet caput per gratiam vnionis, vel per habitualē? Non primum, quia vnio non eſt principium *quo* merendi. Neque ſecundum, quia gratia habitualis

Chriſti eſt eiuſdem rationis cum noſtra, Cùm ergo noſtra non conſtituat nos in eſſe caput Eccleſiæ, neque Chriſti. 5. Si Chriſto conueniret ratio capitis, reſpectu bonorum, Diabolo, & Antichriſto conueniret ratio capitis reſpectu malorum. Ergo Eccleſia eſſet biceps, vel triceps, quod eſt abſurdum.

Concl. *Chriſtus vt homo habuit gratiam capitis, reſpectu totius Eccleſiæ, ſiue militantis, ſiue triumphantis, & reſpectu angelorum, & aliquo modo etiam omnium creaturarum,*

Probatur primo ex Apoſtolo ad Ephes. 1. vbi loquens de Chriſto vt homine, inquit, *ſuſcitans eum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam, &c. ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Quod autem nomine Eccleſiæ comprehendat etiam angelos, & beatos, apertè colligitur ex illis, quæ præmittit, *in cæleſtibus ſupra omnem principatū, & poteſtatem, & uirtutem, & dominationem.* Quòd verò extendat etiam ad omnes alias creaturas, patet ex ſequentibus, *ſupra omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſęculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius,* ſuper quem locum D. Tho. lect. 8. inquit, *Eſt ergo ſenſus, quod omnia creata, non ſolùm ſubiecit Pater Chriſto, inquantum eſt Deus, cui ab æterno omnia ſubiecta ſunt, ſed etiam humanitati eius.* 2. Ex Auguſtino, qui concione 3. in pſal. 36. ait, *Caput noſtrum Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus, numquid ſoli nos,*

nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio ſeculi fuerunt iuſti, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus angelorum &c. 3. Ad Coloſs 1. dicitur de Chriſto, *primogenitus omnis creaturę, quoniam in ipſo condita ſunt uniuerſa in cælis, & in terra, &c. & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ.* & c. 2. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* 4. Ex 1. ad Cor. 12. dicitur, *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, &c.* Sed corpus eſſet monſtruoſum, ſi careret capite. Ergo cùm aliud habere non poſſit, quod ſit omnibus omogeneum, & ſupereminens, ratione dignitatis, & influentię in alia membra, Chriſtus eſt caput ommnium, & ideo (vt vidimus) omnia ſunt ſubiecta pedibus eius.

Quod autem nihil aliud poſſit aſſignari, vt caput eccleſiæ. Probatur (& erit quintum argumentum) ad rationem capitis tria potiſſimum requirũtur, per analogiam capitis miſtici ad naturale. Primum eſt, quòd ordine omnibus membris emineat, vt veluti è ſolio, regis munera in membra exerceat. Hanc autem eminentiam nulli tribuere poſſumus, niſi Chriſto, qui cum ſit homo Deus, & primogenitus omnis creaturæ, ſuper omnes alias fuit exaltatus, vt probauimus diſp. 5. ar. 3. & 4. Secundum eſt, vt ſit omnium perfectiſſimum, vtpotè quòd debet

eſſe ſedes omnium ſenſuum, tàm internorum, quàm externorum, excæpto tactu, qui ſolus relictus eſt diſperſus alijs membris. Hoc autem nulli myſticè poteſt conuenire, niſi Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri gratiarum Dei, vt dicitur Io. 1 *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Tertium eſt, vt habeat virtutem influendi in reliqua membra, quam prærogatiuam reſidere in Chriſto, non ſolùm patet ex nuper dictis, ſed etiam quia ſicut caput phyſicum, è cerebro ſuppeditat ſpiritus animales reliquis partibus, vt ſingulæ valeant ſuis muneribus vacare, illaſque dirigit, nè errent, ita Chriſtus interiùs, & exteriùs influit in omnes creaturas, interiùs quidem per largitionem gratiarum, & exteriùs, quatenus non ſolùm ipſe viſibiliter dùm eſſet in terris, Eccleſiam fundauit, & legibus communiuit, ſed etiam per Apoſtolos,& ſucceſſores, ampliauit, & regit vſque adhuc, præbendo omnibus viſibilia ſacramenta, & leges ſalutares,& omnia etiam inanima dirigendo ad ſuos fines, vt poteſtatem ſibi à Patre traditam opere compleat, vt dicitur Matth. vltimo, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, vt videbimus infra.

Ad 1. diſtinguo maiorem, caput phyſicum ſubordinatur corpori, concedo: caput myſticum, nego maiorem. Quia ergo Chriſtus eſt caput myſticum Eccleſiæ, non debet illi ſubordinari, niſi

con-

conſideretur vt membrum myſticum Dei, vt dicitur 1. ad Cor. 11. *Omnis uiri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris uir, caput uerò Chriſti Deus*; vt enim ipſe facit vnū corpus cum alijs, cuius Deus eſt caput, ita ipſe, propter excellentiam capitis, huic corpori ſubordinatur. Cæterum, ſi hoc corpus terminetur ad Chriſtum vt hominem, tamquam eius caput, nullo habito reſpectu ad Deum, vt caput Chriſti, quia Chriſti humanitas exercet in alios munus capitis, & nihil perfectionis à membris recipit, illis nullo modo ſubordinatur, ſed illa ſibi ſubordinat, modo explicato.

Ad 2. Nego minorem. Et dico, Chriſtum reſpicere fideles peccatores, vt ſibi copulatos vinculo fidei, licèt ſolutos vinculo charitatis, & idem dico de hæreticis baptizatis, & de preſcitis, & excecatis, & de infidelibus, dum ſunt in via; aliter non verificaretur dictum Apoſtoli ad Ephes. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*, cuius nomine intelligitur tota Eccleſia, tàm militans, quàm triumphans, vt exponit D. Thomas, ductu gloſſæ ordinariæ, cùm hoc ſolo diſcrimine, quod batizati, licèt peccatores, & reprobi, ſint actu membra Chriſti, infideles verò ſolùm in potentia, quatenus ex meritis Chriſti habent facultatem recipiendi baptiſmum, ſi velint, & in iuſtificationis gratia perſeuerantes, aſſequi vitam æternam, vt dicitur

Io.

Io. 2. *Ipſe eſt propitiatio prò peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam prò totius mundi.* Neque obſtat, quòd ſine charitate ſint mortui, vnde videntur eſſe membra arida, quæ verè non ſunt membra, quia nou participant de vita totius. Siquidem cùm retineant habitus fidei, & ſpei, qui ſunt vita in radice, ſeu actu primo, non ſunt planè mortui, ſicut membra arida, ſed poſſunt ſe diſponere ad vitam in actu ſecundo, per iuſtificationem, mediante pęnitentia ſuſcipiendam, vel per baptiſmum, *ſi ſint infideles.* Quod multò magis valet in noſtra ſententia, quam ſuſtinemus in tr. de præd. quòd Deus nulli, etiam infideli deneget ſuam gratiam ſufficientem, quæ cùm ſit ſemen glorię, confert ſuſcipientibus vitam inchoatam, & in radice, ratione cuius aliquo modo Chriſto vt capiti compaginantur, per quem recipiunt huiuſmodi influxum ſupernaturalem viuificantem, quod non verificatur de damnatis, qui cùm fuerint in via de corpore Chriſti, per mortem in peccato, fuerunt ab illo penitus ſeparati, nec poſſunt amplius vniri cum illo.

Ad 3. & 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim ſit diuerſæ naturę ab angelis, illoſque non redemerit, quia tamen illos gubernat, & pro illis meruit gratiam ad vincendum, & gloriam pro victoria, iuxta probabiliorem opinionem Suarij, Valentiæ, Eſparſæ, &c. ideo

me-

meritò dicitur eorum caput, vt ſupra diximus ex Apoſt. ad Coloſs. & Ephes. Neque obſtat quòd in tr. de præd. angel. exercitationis gratia, ſuſtinuimus oppoſitum; ſiquidem etiam hanc opinionem vt probabilem, & vt à nobis hic propugnandam profeſſi ſumus.

Ad 5. Dico, Chriſtum conſtitui caput Eccleſiæ, radicaliter quidem per gratiam vnionis, & proximè per gratiam habitualem. E ratio eſt, quia Chriſtus, per illud conſtituitur caput myſticum, & morale, per quod influit in membra, quæ proinde illi vt inferiora ſubyciuntur. Sed influit per opera meritoria, & ſatisfactoria, quibus nos redemit, & eleuauit ad ſtatum gratiæ, & gloriæ. Ergo quia principium proximum talium operationum fuit gratia habitualis, & principium illa dignificans, & dans illis valorem infinitum, fuit vnio cum diuina perſona, quæ proinde fuit radix, & origo omnis meriti, & ſatiſfactionis pro nobis, hæc ſolùm radicaliter conſtituit Chriſtum in eſſe caput, cùm alia conſtituerit formaliter, & proximè, vt latè probant Suar. diſp. 23 ſect. 2. De Lugo, Gibbo, Tannerus, & alij. Quare eadem gratia habitualis, quatenus Chriſtum ſanctificabat, & erat in illo principium proximum operandi, erat gratia perſonalis; quatenus verò erat principium ſanctificandi alios, erat gratia capitis, connotando tamen gratiam vnionis, ex qua eius opera digni-

gnificabantur ad merendum, & ſatisfaciendum. Ad illationem dico, gratiam Chriſti habitualem, eſſe quidem eiusdem rationis cum noſtra, in ſtatu abſoluto, non tamen in eſſe relatiuo, quia illa eſſentialiter reſpiciebat vnionem, cuius erat proprietas, vt dictum eſt diſp. 5. ar. 3. noſtra verò ſolùm Deum vt principium extrinſecum. Ergo cùm dictum ſit, ad rationem capitis requiri gratiam vnionis, in nòbis gratia non eſt capitalis.

Ad 6. Nego conſequentiam. Quamuis enim apertè à D. Tho. hic q. 7. ar. 7. & 8. concedatur, tàm *Diabolum*, quàm Antichriſtum eſſe aliquo modo capita malorum, non ſolùm propter exceſſum malitiæ, ſed etiam propter externam gubernationem, quatenus tentatione, & ſuggeſtione homines trahunt ad malum. Quia tamen nihil poſſunt operari, niſi Deo permittente, & concurrente, cui phyſicè penitus ſubijciuntur, & à quo ipſi Chriſto ſubiecti ſunt, ita vt nihil poſſint, niſi ipſo conſentiente, ideo non ſunt ſimpliciter capita, vnde reddant Eccleſiam tricipitem. Præterquamquòd non ſunt capita vniuerſalia, quia boni non ſunt eorum membra; neque influunt phyſicè in malos, præbendo vires ad malum, vel malitiam infundendo, ſed ſolùm moraliter, alliciendo, & ſuadendo. Deinde quia ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, licèt Deus ſit eius caput, ita Antichriſtus eſt caput malorum, licèt ipſe ſit membrum

dia-

diaboli. Ergo non ſunt duo capita. Demum etiam mali ſunt aliquo modo membra Chriſti, vt dictum eſt Ergo Diabolus, & Antichriſtus illi ſubordinantur, non vt ſaluent, ſed vt perdant, intendendo diuerſos fines.

DIS-

DISPVTATIO IX.

De Scientia Chriſti.

QVia vnio hypoſtatica non confundit naturas, quas vnit in Chriſto, vt docet fides, ideo retenta diſtinctione reali naturæ diuinæ ab humana, quoad ſubſtantiam, dubitatur ſolùm de earum actibus, & quæritur, an ſingulę habeant proprias operationes, diſtinctas ab operationibus alterius, quæ dubitatio verſatur potiſſimum circa operationes immanentes, cuiuſmodi ſunt intelligere, & velle, relicta ſenſatione, quæ cùm ſit propria potentiæ corporeæ, nõ poteſt conuenire naturæ diuinæ. Quęritur ergo 1. an in Chriſto, præter ſcientiam increatam, propriã diuinæ perſonæ, detur etiam ſcientia creata, propria humanitatis? Deinde, ſup poſito quòd detur, quæritur qualis, & quotuplex ſit. Et demum ad quæ obiecta ſe extendat. Nomine autem ſcientiæ non intelligimus ſcientiam rigoroſam, ſed ſolùm lato modo, quatenus dicit cognitionem certam, & euidentem, vt diximus in logica.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſtus vt homo intelligat per ſcientiam increatam?

VIdetur quòd ſic, Primo quia volitio, & intellectio ſpectant ad eamdē naturā, propter naturalē ſubordinationem vnius ab alia, ſed volitio Chriſti eſt perſonæ diuinæ, & ideo eſt vna tantum in illo, vt dicebat Macharius Antiochenſis, cum ſuis Monothelitis Ergo & vna intellectio, quæ cùm non poſſit eſſe creata, aliter perſonæ diuinæ conuenire non poſſet, eſt diuina, & increata.

2. Omnis Chriſti operatio eſt theantrica, ſeu Deiuirilis, hoc eſt communis deitati, & humanitati. Ergo cùm intellectio ſit operatio, debet eſſe theantrica, adeòque increata, quæ ſola conuenit deitati.

3. Ita ſe habet intellectio ad intellectum, ſicut ſubſiſtentia ad naturam. Sed natura humana ſubſiſtit per ſubſiſtentiam increatam. Ergo, & eius intellectus intelligit, per intellectionem increatam. Sicut enim ad præſentiā diuinæ ſubſiſtētiæ, ceſſat creata, ita ad præſentiam intellectionis diuinæ, ceſſat intellectio creata.

4 Humanitas Chriſti ſanctificatur per ſanctitatem diuinam, cum qua vnitur. Ergo ſit intelligens per intellectionem di-

diuinam, cum qua vnitur eius intellectus.

5. Eſſentia diuina vnitur animæ Chriſti, vt ſpecies intelligibilis, illam fæcundando, vt poſſit videre Deum. Ergo etiam vnitur per modum intellectionis, ſeu ſpeciei expreſſæ, quæ facit illam actu videntem.

Concl. *Chriſtus vt homo, neque intelligit, neque poteſt intelligere per ſcientiam increatam diuini Verbi ſibi vniti, ſed habet ſcientiam creatam propriam humanitatis.* Eſt communis inter catholicos, vt latè probat Suar. diſp. 24. per totam.

Probatur 1. ex definitionibus Conc. Calced. act. 5. quintæ Synodi Conſtantinop. collat. 8. can. 7. & ſextæ ſynodi generalis act. 4. in ep Agathonis Papæ, & act. 8 vbi definitur aduerſùs Eutychianos, & Monothelitas, quorum primi ponebant vnam ſolam naturam, & alij vnam ſolam voluntatem, *Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius prædicamus, & vnamquamque proprietates naturales habere, diuinam omnia quæ diuina, humanam omnia quæ humana ſunt, abſque peccato.* Ergo ſicut natura diuina habet propriam intellectionem, & voluntatem, ita & humana. Quod idem confirmatur per definitionem Later. ſub Martino I. collat. 5. & per dictum Luc. 2. *Proficiebat ætate, & ſapientia.* Quamuis enim diſp. 8. ar. 2. illud explicuerimus per manifeſtationem ſapientiæ, ſecundùm opera perfectiora

ta-

tamen quia augmentum perfectionis operum, ſupponit etiam augmentum ſcientiæ directricis, quod in ſcientiam diuinam cadere non poteſt, ideo bene hinc probatur ſcientia humana, quæ ſola intendebatur. Præterquamquòd ibi ſolùm locuti ſumus de gratia, & ſanctitate Chriſti, quę cum eſſent infinitæ, augeri non poterant, non autem de eius cognitione.

2. Intelligere, & velle ſunt actus immanentes. Ergo debent eſſe ab eodem principio intrinſeco, in quo ſunt. Atqui intellectio increata non eſt à principio actiuo intrinſeco animæ Chriſti, & multò minùs in illa recipitur, tamquam actus eius perfectiuus. Ergo non poteſt eſſe eius intellectio. Præterea omnis potentia ordinatur intrinſecè ad ſuos actus, ſine quibus eſt in potentia ad eorum perfectionem, adeòque eſt imperfecta. Sed ſi anima Chriſti intelligeret per intellectionem increatam, eius potentia intellectiua careret ſemper ſuo actu perfectiuo. Ergo non fuiſſet aſſumpta cum tota ſua perfectione naturali, vel ſaltem naturaliter ſibi debita, quod repugnat definitioni ſupra allatæ, quod videlicèt fuerit aſſumpta cum ſuis naturalibus proprietatibus. Et ideo in 6. Syn. act. 16 & 17. dicitur, *Duas verò naturales operationes indiuisè, inconuertibiliter, inconfusè, &c. in Christo glorificamus, hoc eſt diuinam, & humanam operationem.*

4. In-

4. Intellectio eſt vltima formalis determinatio intellectus, vt attingat obiectum ea perfectione, & claritate, in modo cognoſcendi, quæ ſunt in ipſa cognitione. Ergo ſi anima Chriſti cognoſceret Deum cognitione diuina, illum cognoſceret, ſicut cognoſcitur à ſe ipſo, adeòque illum comprehenderet, quod in tr. de Vis. vidimus repugnare cuicumque creaturæ.

Quòd autem neque cognitio diuina potuerit eſſe in Chriſto ratio formalis cognoſcendi, *reſpectu eius animæ*, probatur 1. quia cognitio *eſt* perfectio potentiæ cognoſcitiuæ, per modum actus immanentis, vt dictum eſt. Ergo debet illam informare, per modum actus intrinſecè inhærentis, quod repugnat diuinæ cognitioni. E deinde quia modus cognoſcendi, proportionari debet modo eſſendi ipſius cognoſcentis. Ergo ad hoc vt intellectus animæ Chriſti, fieret proportionatus diuinæ cognitioni, deberet acquirere modum eſſendi ſimpliciter infinitum, quod illi repugnat. Cætera vide in tr. de Vis. diſp. 12. ar. 10. ad 3. nam ibi funditus euertitur difficultas.

Vnde patet reſponſio ad 1. Ad 2. Nego poſtremam conſequentiam, quæ impertinenter ſe habet ad antecedens. Et ratio eſt, quia omnes operationes Chriſti, ſiue internæ, ſiue externæ, vocantur theantricæ, quatenus ita ſunt ab humanitate, vt ſimul, ac indiuiſim ſint à diuina perſona,

tam

tamquam à principio adæquato. Hoc autem non tollit, quòd ſint creatæ, quia ſicut ſi eſſent increatæ, conuenirent humanitati coniunctæ, ita cùm ſint creatæ, conueniunt diuinæ perſonæ coniunctæ, ita vt earum principium ſit homo Deus, hoc eſt vtraque natura coniuncta in vna, & eadem diuina perſona. Quamuis ergo aliquæ operationes, vt comedere, ambulare, & pati, ſpecialiùs tribuantur humanitati, & alię ſpecialius diuinitati, vt remittere peccata, & patrare miracula, tamen quia indiuiſim proueniunt ab vtraque natura, faciente vnum per ſe in eodem diuino ſuppoſito, ſiue ſint duæ actiones realiter diſtinctæ, vt aliqui volunt, ſiue vna virtualiter duplex, dicuntur vna operatio, non vnitate naturæ, ſed vnitate ſuppoſiti, cui tribuuntur, & ideo ſunt theantricæ, hoc eſt Deiuiriles, ſiue hominis Dei.

Ad 3. Nego maiorem. Primò quia ſubſiſtentia non eſt ratio formalis, & vltimò determinatiua ad operandum, & ideo in creatis eſt aliquod negatiuum; intellectio verò eſt ratio formalis, vltimò determinans potentiam intellectiuā ad intelligendum. Ergo illa poteſt à Deo ſuppleri, non autem hæc. Deinde ſubſiſtentiæ vnicus effectus formalis eſt terminatio naturæ, quæ præſcindit ab informatione, & inhærentia; intellectio verò cùm ſit ratio formalis agendi immanenter, eſt perfectiua potentiæ. Ergo debet
eſſe

eſſe in illa, ſiue per inexiſtentiam identitatis, ſiue per inhærentiam, & informationem, quæ diuinæ cognitioni conuenire non poſſunt, reſpectu *intellectus* animę Chriſti. Ergo non currit paritas, ſicut non valet ratio de ceſſatione. Siquidem ſubſiſtentia creata cùm ſit incompoſſibilis cum diuina, non poteſt cum illa manere. Cognitio verò creata, non eſt incompoſſibilis cum diuina, à qua perficitur, ſaltem extenſiuè, ſicut minus lumen à maiori, & ideo poteſt cũ illa coniungi.

*Ad 4. Nego conſequentiam. Diſpari*tas eſt, quia *ſanctificatio* non fit vitaliter in ſanctificato, qui ſe habet ad illam merè paſſiuè, quatenus fit gratus, & dilectus Deo; & ideo poteſt haberi, non ſolùm per gratiam habitualem, ſed etiam per vnionem cum ſanctitate increata, vt dictum eſt diſp. 8. ar. 1. At *intellectio*, quia eſt ratio formalis actus immanentis, ad quam potentia proximè diſponitur, debet in *illa* immanere, vt nuper diximus, & fuſiùs explicuimus in tr. de vis. Dei. Ergo cùm intellectio diuina neque poſſit immanere potentiæ creatæ per identitatem, neque per informationem, non poteſt *illam* proximè, & formaliter diſponere ad intelligendum.

Ad 5. Nego conſequentiam, propter ſimilem rationem. Et præterea quia eſſentia diuina, ad hoc vt vicem gerat ſpeciei impreſſæ, reſpectu ſui, ſufficit quòd vniatur cum intellectu intentionaliter,

ter, & ſit illi intimè præſens, cui ſeipſam manifeſtet per modum obiecti, quod nullam dicit inhærentiam, ſeu informationem, eò quia non dicat rationem cauſæ formalis intrinſecæ, ſed ſolùm extrinſecæ, vt diximus in tr. de vis. diſp. 9. ar. 2. At cognitio, ſeu ſpecies expreſſa, quia debet eſſe ratio formalis vltimò determinatiua, debet phyſicè vniri cum potentia, vt cauſa formalis intrinſeca, alterutro ex modis aſſignatis, qui repugnant eſſentiæ diuinæ, eiuſque attributis.

ARTICVLVS II.

An, & quotuplex fuerit in Chriſto ſcientia creata?

Videtur, non fuiſſe in Chriſto, niſi ſcientiam beatam, excluſis infuſa, & acquiſita, Primò quia illa ſufficit. Et deinde quia aliæ ſcientiæ Chriſti nullum habent fundamentum in ſacris paginis.

1. Concl. *Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis, habuit ſcientiam beatam, per quam etiam in via vidit diuinam eſſentiam, & erat comprehenſor.*

Probatur cum communi, Chriſtus vt homo à primo ſuę conceptionis inſtanti, habuit animam aſſumptam à Verbo, in quo ſubſiſtebat. Ergo fuit filius naturalis Dei, per communicationem idiomatum, etiam vt homo. Sed filio naturali

debetur hæreditas, & viſio Patris. Ergò cùm nihil obſtiterit, quò minus vtramque aſſequeretur, de facto aſſecutus fuit, per actualem poſſeſſionem. Quòd autem nihil obſtiterit, patet 1. quia ab initio, eius corpus fuit perfectè organizatum, opera Spiritus Sancti, vt dictum eſt in 1. de gen diſp 3 ar. 10. ad 2. adeòque per infuſionem animæ rationalis, habuit perfectum vſum rationis. Deinde quia, vtpote non conceptus virili ſemine, non habuit objicem peccati originalis. 3. Fuit plenus gratia, vt vidimus diſp. 8. ar. 1. Et demum quia beatitudo eſſentialis animæ, non impediebat munus redemptoris, eò quia potuit impediri, nè redundaret in corpus, vt eſſet paſſibile, & mortale.

Neque obſtat quòd Luc. 22. *dicatur oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Nam debet exponi de gloria ſui corporis, ſicut exponitur aliud Io. 4. *Nondum Ieſus erat glorificatus.* Multò minus obſtat quòd Matth. 26. dixerit, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, quod denotat ſummam triſtitiam, etiam propriam animæ. Siquidem diuinitus factum eſt, vt delectatio viſionis ita detineretur in mente, vt non deriuaret in vires ſenſibiles, nè impediretur paſſio corporis, & in partes animæ inferiores, vt etiam ipſa triſtaretur, vt elicitur ex D. Tho. q. 15, ar 5. ad 3 licèt ipſe reſtrinxerit dictum, ad ſolas vires ſenſibiles.

Dices, Chriſtus etiam quoad animam, fuit

fuit viator, aliter mereri non potuiſſet. Ergo non fuit comprehenſor; aliter ſimul tetendiſſet ad beatitudinem animæ, & in illa quieuiſſet, quòd eſt abſurdum. Nego conſequentiam. Siquidem dùm animæ beatitudine frueretur, tendebat ad eius redundantiã in corpus, & ad ea, quę ſibi impoſita fuerant, ad mũdi redẽptionẽ.

2. Concl. *Chriſtus habuit etiam ſcientiã creatam, per ſe infuſam, acquiſitam, & experimentalem.*

Probatur quoad primam, tanta erat perfectio, & dignitas animæ Chriſti, vt illi connaturaliter deberetur plenitudo omnis gratiæ, ſcientiæ & veritatis, vt dicitur Io. 1 Ergo ſicut quia ſpectabat ad plenitudinem gratiæ, non ſolùm habuit ſanctitatem eſſentialem, ſed etiam accidentalem; ita quia ſpectabat ad plenitudinem ſcientiæ, non ſolùm habuit ſcientiam beatam, ſed etiam per ſe infuſam, per quam obiecta creata, non ſolùm cognoſceret in Verbo intuitiuè, vt in medio, ſed etiam extra Verbum, immediatè in ſe ipſis, abſque alio medio, per proprias ſpecies ſupernaturales infuſas. Probatur conſequentia, quia perfectius eſt cognoſcere obiecta, omni modo poſſibili, quàm vno modo cognoſcere. Ergo ad plenitudinem ſcientiæ ſpectabat, quòd etiã hoc modo cognoſceret, ſicut de facto angeli cognoſcunt per cognitionẽ matutinam, & veſpertinam, quibus Chriſtus eſt tantò perfectior, ratione vnionis cũ Verbo.

Probatur quoad ſecundam 1. ex eodem principio dignitatis, & perfectionis animæ Chriſti. Et deinde paritate voluntatis. Sicut enim hæc præter virtutes per ſe infuſas, habuit etiam acquiſitas, vt dictum eſt diſp. 8. ar.3. ita eius intellectus, præter ſcientiam per ſe infuſam, debuit etiam habere ſcientiam per ſe acquiſibilem, quamuis de facto fuerit illi infuſa per accidens, ſicut fuerunt infuſæ voluntati omnes virtutes morales. Demum in anima Chriſti, vtpote in ſuo genere perfectiſſima, fuit etiam intellectus agens, vt docet hic D. Tho. q. 9. ar 4. Ergo cùm hic ſit factus ad gignendas ſpecies rerum intelligibiles, eas abſtrahendo à phantaſmatibus, & hę ordinentur ad hoc vt illis informatus intellectus paſſibilis, formet rerum cognitiones, nè dicamus, hoc factum eſſe fruſtra in Chriſto, concludendum eſt cum eodem, Chriſtum per tales ſpecies acquiſiuiſſe ſcientiam naturalem; *ſecundùm modum humanum, non ſolùm ex parte ſubiecti recipientis, ſed etiam ex parte cauſa agentis*, vt idem proſequitur ibidem. Vnde ſequitur, quòd licèt in inſtanti ſuæ conceptionis, fuerit per infuſionem præuenta operatio intellectus agentis, vt omnis potentia per actum compleretur, tamen quia non fuit conueniens, vt ſemper intellectus agens eſſet otioſus, ideo concludendum eſt, quòd fuerit ſolùm præuentus, quoad aliquos actus, eo tempore Chriſto conuenientes,

non verò quoad omnes, quos temporè ſucceſſiuè acquiſiuit; & ideo abſque vlla retractatione, ſaluatur vtraque doctrina D. Tho. nempe quòd etiam ſcientia per ſe acquiſibilis, fuit per accidens infuſa,& quòd fuerit ſucceſſiuè proprijs actibus, humano modo etiam comparata.

Et hinc ſequitur probata tertia pars, de ſcientia experimentali. Cùm enim hęc ſit cognitio ſingularium, quæ ſenſibus percipiuntur, nullo pacto poteſt Chriſto negari. Primo quia ad Heb. 5. dicitur de illo, *didicit ex ijs, quæ paſſus eſt*, & Luc. 2. *Proficiebat ſapientia*. Et deinde quia non ſolùm ſenſus tàm interni,quàm externi, ſed etiam intellectus agens, ſine tali ſcientia de nouo acquiſita, fuiſſent ſemper otioſi, & in ſtatu violento, quod non eſt dicendum, præſertim cùm hęc ſcientia neque ſit cum alijs incompoſſibilis, nec repugnet fini humanæ redemptionis, vt latè probant Vaſq. Valentia,Gonettus,Gibbo,Beccanus, Eſparſa, & alij. Ergo concludendum eſt, in Chriſto fuiſſe quattuor ſcientias creatas, nempe beatam, per ſe infuſam, acquiſitam, & experimentalem.

Ad 1. Nego antecedens, quod fortaſſe haberet locum, quando omnes hæ ſcientiæ verſarentur circa idem, ſub eodem motiuo, ſeu ratione formali. Cùm ergo hæ ſingulæ habeant proprias rationes formales, diuerſas ab alijs, & etiam diuerſa obiecta primaria materialia, nulla eſt ſu-

perflua. Probatur aſſumptū; nam ſcientia beata habet pro òbiecto formali immediato, deitatem ſecundù ſe, & res alias, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales, quas in illa cognoſcit, pro puro obiecto materiali. Scientia per ſe infuſa, quæ eſt intrinſecè ſupernaturalis, & tendit in obiectum independenter à ſenſibus, & phantaſmatibus, vt eſt ſcientia angelorum, & animæ ſeparatæ, habet pro obiecto formali immediato, res omnes creatas, vel creabiles, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales, & ipſum Deum vt obiectum materiale, quatenus cognoſcitur per illas, & vt in illis apparet. Scientia acquiſita habet pro obiecto formali actum phantaſiæ, ſeu imaginationis, & pro materiali, ea quæ cognoſcit per conuerſionem ad phantaſmata, componendo, aut diuidendo, & cognoſcendo ſpiritualia ad modum materialium, & vnum materiale ad modum alterius, ita vt eius cognitio, vtpote quæ originem trahens à ſenſibus, & ab idolis phantaſiæ, ſeu imaginationis, ſemper ſit ænigmatica, ſicut eſt illa, quā habet anima, vt corpori coniuncta. Demum ſcientia experimentalis habet pro obiecto formali ipſam experientiam, hoc eſt ſenſationem aliquam de obiecto particulari, vel actualem in ſe, vel in memoria ſenſitiua, & pro materiali omnia, & ſingula ſenſibilia in particulari, quæ vel de facto venerunt, vel poſſunt venire ſub ſenſum, nihil planè iudicans de futuris,

&

& abſentibus, ſed tota ſiſtit in præſentibus, ſiue in ſe, ſiue in memoria, cùm acquiſita ex ſingularibus, beneficio intellectus agentis, acquirat ſpecies intelligibiles, ad abſtrahendas rationes vniuerſales, non actu determinatas circumſtantijs loci, vel temporis. Quia tamen habent conſimilem modum tendendi per ſenſum, ideo à multis hæ duæ poſtremæ in vnam confunduntur, quatenus videntur habere differentiam purè quantitatiuam, & materialem. Et ideo aſſerunt, tres tantùm ſcientias eſſe in Chriſto, nempe beatam, quæ habet modum intelligendi proprium Dei, nempe per diuinam eſſentiam, quæ vicem gerat ſpeciei intelligibilis: infuſam, quæ habet modum intelligendi per ſpecies inditas, qui eſt proprius angelorum: & acquiſitam, quæ habet modum intelligendi per ſpecies à rebus acceptas, medijs ſenſibus, qui eſt proprius animæ coniunctæ, ſiue hæc ſiſtat in ſingularibus per experientiam, ſiue per acquiſitam tranſeat ad vniuerſalia.

Ad 2. Nego antecedens. Nam ſcientia beata Chriſti colligitur ex Io. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis, qui eſt in cęlo.* Chriſtus autem non erat in cęlo corporaliter. Ergo per ſolam viſionem Dei, cum videre Deum, & eſſe in cælo conuertantur. Et ibid. paulò ſuperius dixerat Chriſtus Nicodemo, *Quod ſcimus loquimur, & quod vi-*

vidimus teſtamur. Ergo cum teſtaretur de beatitudine promiſſa fidelibus, illam habebat. Et Io. 17 *Volo, vt vbi ego ſum, illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi*, nempe gloriam corporis, redundantem ex beatitudine, quam licèt actu haberet ex titulo viſionis, tamen habebat impeditam, vt poſſet pati. Scientiam infuſam omnes colligunt ex Io: 1. *Vidimus eum plenum gratia, & veritatis:* & Io. 7. *Vnde hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Et Lucæ 2. *Plenus ſapientia adhuc infans ſedebat in medio doctorum, & ſtupebant omnes, ſuper prudentia, & reſponſis eius*, quæ denotant, eius ſapientiam eſſe per ſe infuſam, cum non potuerit actibus acquiri. Quoad ſcientiam acquiſitam, attulimus loca in probatione tertiæ partis, quibus probatur etiam ſcientia experimentalis. Ergo omnes hę ſcientiæ deducuntur e ſacris paginis. Quia tamen multę hinc agitantur difficiles quæſtiones, quibus ſoluendis, magis quam par eſt, eſſet immorandum, ideo vt breuiſſimè omnibus ſatisfaciam, materiam abſoluemus varijs quæſitis, articulo ſequenti.

ARTICVLVS III.

Abſoluitur hæc materia per varia quæſita.

QVeres 1. An Chriſtus potuerit errare? ℞. negatiuè. Quamuis enim

nim ex vi ſcientię acquiſitę, videretur expoſitus erroribus, tamen quia illa eadem, quæ per talem ſcientiam cognoſcebat extra Verbum in ſeipſis, cognoſcebat etiam clariſſimè in Verbo, ideo errare non potuit. Aliter eius doctrina non eſſet infallibilis, quod eſt abſurdum. Neque obſtat, quòd viſus fuerit loqui contradictoria, in quibus neceſſariò ineſt falſitas, vt Io. 5. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt uerum.* Et Io. 8. *Ego ſi teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum.* Nam vt exponunt Chryſoſtomus, & Cyrillus, in primo loco loquitur de ſe, vt erat in conceptu Iudeorum, quatenus videlicèt cenſebatur purus homo; & ideo ibidem dixit, *non poſſum ego à me ipſo facere quidquam; ſicut audio, iudico; & iudicium meũ iuſtum eſt; quia non quæro voluntatem meã, ſed eius, qui miſit me.* At in ſecundo loquitur de ſe, vt eſt homo Deus; & ideo ſubdit, *quia ſcio vnde veni, & quo vado; vos autem neſcitis vnde venio, & quò vado.* Ergo Chriſtus ſibi non contradixit, adeoque non errauit.

Quæres 2. An Chriſtus habuerit aliquam ignorantiam? ℞. negatiuè. Et ratio eſt, quia hæc ignorantia, vel proueniſſet ex praua diſpoſitione poſitiua, aut ex defectu alicuius cognitionis. Prima non potuit eſſe in Chriſto, aliter potuiſſet poſitiuè errare, quod reiecimus vt falſum. Neque ſecunda, primò quia non eſt

compoſſibilis cum plenitudine omnis v
ritatis. Et deinde quia fuiſſet indecoru
filio Dei naturali,eiuſque miniſterio, r
tione cuius miſſus fuit ad docendas o
nes gentes,& expellendos errores e mu
do. Ergo non potuit huiuſmodi ignora
tia laborare. Quamuis enim proximè n
hil videretur dedecere, quòd ille neſc
ret numerum arenæ maris, ſtellarum, &
tamen remotè, & indirectè hoc fuiſſ
maximè indecorum,nempe quòd vniue
ſalis doctor, & magiſter mundi, eleuat
ad naturalem Dei filiationem, *aliqua*
veritatem, etiam ex *naturalibus* ignor
ret. Neque obſtat, *quòd* potuerit De
Chriſto negare, *de plen*itudine poteſt
tis, non ſolùm *ſcientiam* beatam, ſed
tiam infuſam, *illu*mque relinquere in
ſola acqui*ſita*, vt plures opinantur. S
quidem in tali caſu, quamuis Chriſt
haberet multorum neſcientiam purè pr
natiuam, non tamen erraret, quia ten
retur Deus illum ab omni errore præſe
uare,non ſolum,vt filij ſui dignitati co
ſuleret, ſed etiam miniſterio. Multò m
nus obſtat, quòd ipſemet de ſe ipſo dix
rit Marci 13. *Dè die illo, vel hora ne*
ſcit, neque angeli,neque filius, niſi ſolus pat
Vnde multi dicunt, Chriſtum vt hom
nem neſcire tempus finalis iudicij. Siq
dem hoc debet exponi, de filio vt hom
ne, non quia vt homo id neſciret, cù
vt talis ſit conſtitutus iudex ad iudica
dum, vt dicitur Matth. 24. *Videbunt fi*
ho-

hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maieſtate, ſed quia non ſciebat humano modo, hoc eſt per ſcientiam naturalem, & acquiſitam, vel (vt alij dicunt) non ſciebat vt alijs manifeſtabile, eò quia fuerit ei ea conditione à Patre reuelatum, vt nulli manifeſtaret, ſicut fecit ipſe, cum diſcipulis prohibuit Matth. 17. *Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.*

Queres 3. An Chriſtus etiam dormiens videret Deum? ℞. affirmatiuè, quia vſus ſcientiæ beatæ (quod etiam extendimus ad infuſam) non pendet à ſenſibus. Ergo illis ligatis, exercetur. Non tamen dico, quòd ſemper cognouerit actu totum obiectum ſcientiæ infuſæ, quia cùm hoc fuerit infinitum, complectens res omnes naturales, quarum pleraque fiunt ſucceſſiuè, non fuit neceſſe, quòd ſemper totum fuerit actu cognitum, quamuis potuerit cognoſci, etiam clarè, & diſtinctè, non ſolùm quoad rationes vniuerſales, ſed etiam quoad particulares, & indiuidua, vt docent Suarez, Gonettus, Gibbo, & alij. Nego tamen, quòd fuerint cognita hæc obiecta comprehenſiuè, & aſſero nec potuiſſe à Chriſto per ſciẽtiam vllam creatam, ſiue infuſam, ſiue acquiſitam comprehendi, comprehenſione propriè dicta. Et ratio eſt, quia huiuſmodi comprehenſio non poteſt conuenire vlli creaturæ, & eſt propria ſolius Dei, vt probauimus in tr. de angelis diſp.

12.ar. 3. Ergo nec poteſt conuenire animę Chriſti, quę eſt eſſentialiter creatura.

Quęres 4. An Chriſtus vt homo, cognouerit certò, & intuitiuè præterita, & futura, & ſecreta cordium? R. affirmatiuè cum Vaſq. Lugo, Aegid. Luſit. & alijs. Primò quia in illo fuit plenitudo ſapientiæ, vt dictum eſt. 2. Quia ſciuit omnia per ſcientiam inditam, quę per reuelationem hominibus innoteſcunt (vt docet D. Tho. q. ij ar. 1. incorp.) ſiue pertineant ad donum prophetiæ, ſiue ad donum ſapientię, ſiue ad quodcumque donum Spiritus Sancti, quæ anima Chriſti abundantiùs, & pleniùs cognouit, eò quia ſcientia indita fuerit inſtar reuelationis, reſpectu talium obiectorum. Ergo cum hæc omnia potuerint alijs reuelari, & plura defacto fuerint reuelata, omnia cognouit Chriſtus vt homo, tamquam ſibi actu præſentia, in ſeipſis obiectiuè exiſtentibus, adeòque certò, & intuitiuè. Et ideo concludit ibid. D. Tho. ad 3. *Quia Chriſtus habuit plenitudinem prudentię, ſecundum donum conſilij, conſequens eſt quòd cognouerit omnia ſingularia, præſentia, præterita, & futura.* Quoad cordium ſecreta, dico etiam illa fuiſſe cognita, vt docent cum D. Tho. loc. cit. Suar. Valentia, Gonet, & alij. Primò quia Matth. 9. dicitur, *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum*: & c. 12. *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum.* 2. Quia etiam hæc obiecta unt ſigularia à Deo reuelabilia. Ergo ve-

veniunt ſub ratione ſupra data, adeoque vt alia, fuerunt à Chriſto cognita.

Quæres 5. An anima Chriſti cognouerit omnes creaturas poſsibiles? R. affirmatiuè, non ſolùm quoad ſcientiam beatam, ſed etiam quoad infuſam. Probatur primum ex dictis in tr. de vis. diſp. 13. ar. 3. vbi probauimus, illas cognoſci ab omnibus beatis, qui proinde non comprehendunt Deum. Ergo multò magis ab anima Chriſti. Probatur ſecundum, quia hæc ſcientia habet prò obiecto omnia creata, vel creabilia, vt dictum eſt ar. 2. Ergo tendit in omnia; ſiue actualia, ſiue poſſibilia.

Quæres 6. An anima Chriſti cognouerit clarè, per ſcientiam infuſam myſterium Trinitatis, & actus liberos Dei? Quoad primum reſpondeo affirmatiuè, ſaltem quoad eius exiſtentiam, primò quia hoc per reuelationem de facto hominibus innoteſcit. Deinde quia Chriſtus non ſolùm clarè ſciebat proprium actum viſionis beatificæ, ſed etiam angelorum, per ſpecies ſupernaturales ſibi inditas eorum proprias. Sed actus viſionis beatificæ eſſentialiter connectitur cum Deo viſo, vt vno, & trino. Ergo non potuit clarè cognoſci, niſi cognita exiſtentia Trinitatis, vt eius termino. Tertiò quia cum ſit poſſibilis ſpecies impreſſa Dei, vt probauimus in tr. de vis. probabiliſſimum iudico, illam fuiſſe de facto Chriſto communicatam, vt per illam co-

gno

gnoſceret, exiſtentiam Trinitatis. Demum quia Chriſtus clarè cognouit actus fidei, quos elicuerunt de hoc myſterio, ſibi explicitè reuelato, Patriarcæ, & Prophetę veteris legis. Ergo in illo potuit clarè cognoſcere eius exiſtentiam, cum qua illi eſsētialiter nectebantur. Quoad ſecundū dico, actus liberos actu Deū denominātes, fuiſſe à Chriſto cognitos, propter eaſdem rationes. Non denominantes verò dico, fuiſſe ſolùm cognitos, iuxta proportionem ſpecierum, & reuelationum. Rationem attulimus in tr. de vis. diſp. 13. ar. 5. quia videlicèt non poſita forma denominante, non datur proprium, & ſpeciale quaſi ſpecificatiuū actus liberi Dei, per quod vnus ab alijs diſtinguatur. Ergo niſi redigantur ad actualem terminationem alicuius formæ contingentis, ſicut non habent propriā denominationem, ita neque propriam cognoſcibilitatem, adeoque non poſſunt cognoſci ſub ſpecialibus rationibus, per quas vnus diſtinguatur ab alijs, ſed ſolùm ſub ratione vniuerſali actus liberi vt ſic. Accedente autem ſpeciali reuelatione, vel ſpecie, per illas determinantur, & cognoſcuntur in particulari, vt legimus cum Chriſto à Deo factitatum, in ordine ad plura, quæ, vt à Deo certò facienda, fuerunt ab ipſo reuelata, vt habemus in ſacris paginis.

DIS-

DISPVTATIO X.

De Voluntate Chriſti, eiusque impeccabilitate, & libertate.

VIdimus diſp. 9. ar. 1. dari in Chriſto duplicem intellectum, & duplicẽ voluntatem, nempe creatam, & increatam. Abſoluimus quæſtiones ſpectantes ad intellectum, eiuſque actus. Agitandæ ſunt nunc quæſtiones pertinentes ad eius voluntatem, quarum præcipuæ ſunt impeccabilitas, libertas, potentia, ſubiectio. Hic ergo agitabimus primam, de alijs acturi in ſequentibus. Quæremus igitur 1. An voluntas Chriſti fuerit impeccabilis? 2. An hæc impeccabilitas potuerit componi cum eius libertate? 3. An liberè ſubierit mortem, licet ex obedientia? Ac demum an fuerit ita liber, vt habuerit indifferentiam ad moriendum, vel non moriendũ?

ARTICVLVS PRIMVS.

An voluntas Chriſti fuerit impeccabilis?

VIdetur non fuiſſe, Primo quia qui de facto peccauit, potuit peccare. Sed Chriſtus ſæpe peccauit. Ergo potuit peccare. Probatur minor 1. quia potuit ſibi contradicere, dicendo, *teſtimonium meum eſt verum: teſtimonium meum non eſt verum*, vt patet Io. 5. & 8. Deinde pſal. 21. de illo dicitur, *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, vbi fatetur, ſe peccaſſe. 3. Dicitur 2. ad Cor. 5. in fine, *Pro nobis peccatum fecit*, loquendo de Chriſto. 4. Pſal. 37. dicitur de Chriſto, vt ibi exponit Aug. *A facie peccatorum meorum.* 5. Baptiſmus fuit ab ipſo inſtitutus, in remediū peccati originalis. Ergo cùm ipſe voluerit baptizari, cognouit in ſe, ſaltē peccatum originale. 6. Cum in cruce penderet (vt habetur Matth. 27.) exclamauit, *Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Sed Deus non derelinquit, niſi propter peccata. Ergo deſperans de diuina miſericordia, mortuus eſt in peccato, & damnatus eſt, vt impiè intulit quidam Apoſtata Præmonſtratenſis, penès Vaſq. diſp. 61. c. 1. initio.

2. Potuit Deus non dare humanitati aſſumptæ viſionem ſui, ab initio ſuæ con-

ceptionis. Sed in tali caſu, quia fuiſſet purè viatrix, potuiſſet peccare. Ergo ſimpliciter potuit peccare. Probatur minor, quia habuiſſet liberum arbitrium, proximè expeditum ad vtrumuis, ſiue bonum, ſiue malum, & non fuiſſet à ſtatu beatitudinis neceſſitatum ad bonum.

3. Non minus Deo repugnant incipere, & mori, quàm peccare. Ergo ſi potuit habere vtrumque in natura aſſumpta, potuit etiam tertium. Sicut enim propter incapacitatem, non potuerunt illa refundi in diuinam perſonam, ita licèt peccatum diceretur de Chriſto, non tamen de diuina perſona.

4. Vnio hypoſtatica non eſt eſſentialiter incompoſſibilis cum peccato. Primò quia potuit Deus aſſumere naturam, exiſtentem ſub peccato originali, vel habituali. Deinde quia poſſet Deus paciſci cum natura aſſumpta, vt illam dimitteret, ſub conditione peccati, ita vt perſeuerantia vnionis, eſſet pręmium innocentię conſeruatæ, ſicut eius priuatio eſſet pæna patrati peccati. Ergo poteſt eſſe cum natura peccabili; immò & actu peccante,

1. Concl. *Voluntas humana Chriſti, quamuis ex ſe eſſet radicaliter peccabilis, tamen vt vnita Verbo, neque vmquã peccauit, neque potuit peccare.* Dixi *voluntas humana*, quia de voluntate diuina nulla eſt dubitatio, cùm ſit impoſſibile, quòd Deus, qui eſt eſſentialiter ſanctitas, & prima regula hone-

ſta-

ſtatis, poſſit vlla macula deturpari. Quæſtio ergo procedit de ſola voluntate humana.

Probo primam partem, omnis natura intellectualis creata libera, & ſubdita legibus, eſt intrinſecè defectibilis, & peccabilis, vt fusè probauimus in tr. de angelis diſp. 18. ar. 1. Sed natura humana Chriſti, etiam in ſtatu vnionis, retinuit ſuam naturalem conditionem, quam nec amiſit, nec amittere potuit, vt omnes fatentur, aliter non fuiſſet eiuſdem ſpeciei atomæ cum noſtra, quod eſſet erroneum. Ergo retinuit potentiam remotam, & radicalem ad peccandum.

Probo ſecundam, quæ eſt de fide, & procedit de peccato actuali, ſiue mortali, ſiue veniali, Primò ex oraculo ipſius Chriſti Io. 8. *Quis ex uobis arguet me de peccato?* Et 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Et ad Heb 4. *Pontificem abſque peccato*: Et c. 9. *Semetipſum obtulit immaculatum Deo*, quod multò clariùs expreſſerat c 7. *Talis decebat ut nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, &c.* Deinde ex dictis, Natura humana in Chriſto fuit ſubſtantialiter ſancta, per vnionem intrinſecam cum ſanctitate increata, & præterea habuit gratiam habitualem intenſiſſimam, vt probauimus diſp 8. ar 1. Sed vtraque erat incompoſſibilis cum peccato actuali, vt omnes fatentur. Ergo vt aſſumpta à Verbo, numquam

quam peccauit, immò nec potuit peccare, vt mox videb mus.

Probo tertiam, aduersùs Durandum in 3. d. 12. q 2. Et 1. formæ incompoſſibiles non poſſunt ſimul eſſe, cuiuſmodi ſunt ſanctitas increata, & gratia habitualis, reſpectu peccati. Ergo in ſenſu compoſito cum vtraque, non potuit peccare, non ſolum mortaliter, ſed neque venialiter, cùm vtraque fuerit ſimpliciter infinita, vt probauimus loc. cit. adeòque habuerit vim expulſiuam peccati intenſiuè infinitam, quam nullum peccatum, vtpopote finitum, poteſt ſuperare. 2. Videntes Deum, peccare non poſſunt, vt probauimus in tr. de beat. Sed anima Chriſti à primo ſuæ conceptionis inſtanti, fuit beata, vt ſupra probauimus. Ergo peccare non potuit. 3. Nulla operatio peccaminoſa poteſt eſſe Deo grata, & meritoria. Sed omnes operationes Chriſti, vtpote theantricæ, erant Deo gratæ, & meritoriæ. Frgo nulla operatio Chriſti potuit eſſe peccaminoſa.

2. Concl. *Neque Chriſtus potuit habere peccatum originale, neque quodlibet aliud habituale* Eſt communis inter catholicos.

Probatur prima pars, primò quia humanitas Chriſti non fuit facta per ſemen virile, adeòque non deſcendit ab Adam per ſeminariam viam, ſed fuit conceptus ex virgine, virtute Spritus ſancti. Ergo nullo modo potuit contrahere peccatum originale, quod in ſolos filios Adæ fuit

pro-

propagatum. 2. Eius ſanctiſſima genitrix fuit præſeruata a peccato orginali, vt videbimus in loco. Ergo quantò magis debuit præſeruari eius filius? 3. Peccatum originale non contrahitur, niſi per contactum animæ, quem facit cum carne. Sed anima Chriſti in inſtanti talis contactus, fuit ſanctificata ſubſtantialiter, per vnionem cum ſanctitate increata, & accidentaliter per gratiam habitualem. Ergo non potuit cotrahere peccatum orginale. Neque obſtat, quòd dicatur progenitus ex ſemine Dauid, qui fuit filius Adæ. Siquidem hoc verificatur de eius ſanctiſſima genitrice, vnde ipſe traxit originem, non tamen per viam ſeminariam, vt dictum eſt.

Probatur ſecunda, primò quia peccatum habituale deriuat ex actuali. Ergo cui repugnat actuale, à fortiori repugnat habituale. Deinde quia peccatum habituale, vel conſiſtit in priuatione gratię, vel illam eſſentialiter connotat, & ideo facit inimicum Dei. Cùm ergo ſit impoſſibile, eumdem eſſe ſimul amicum, & inimicum Dei, fieri non potuit, quòd Chriſtus, qui erat infinitè ſanctus, & pænè deificatus, adeòque gratiſſimus Deo, haberet culpam habitualem. Vnde ſequitur, quòd licèt potuerit Deus aſſumere naturam, quæ antecedenter ad vnionem peccaſſet, non tamen potuit illam aſſumere, quin illam ſactificaret, adeòque mundaret ab omni labe, etiam habituali.

3. Con-

3. Concl. *Impeccabilitas Chriſti, etiam ſecluſa beatitudine, haberetur immediatè per ſolam unionem hypoſtaticam, ita ut Chriſtus neque peccare potuerit, cum retentione unionis, neque ad eius diuiſionem.* Hæc concluſio eſt ita certa penes auctores, vt oppoſitam varijs, grauiſſimiſque cenſuris afficiant, vt videre eſt penès Gibbonem, diſp. 19. dub. 1. §. 2.

Probatur prima pars, primò quia cùm actiones ſint ſuppoſitorum, vt alibi ſæpè probauimus, & præcipuè in tr. de Trin. diſp. 6. ar. 1. ſi humanitas Chriſti poſſet peccare, Verbum, in quo illa ſubſiſtit, poſſet peccare, quo nihil abſurdius. Nec poſſet hoc euitari dicendo, quòd potentia hęc extenderetur ad ſolam entitatem, non autem ad moralitatem prauitatis. Siquidem cùm ſpectet ad perſonam dirigere naturam ſuam, & cùm Verbum, præter naturam diuinam, quæ eſt ſua per identitatem, fecerit etiam ſuam per vnionem, naturam humanam, debet illam dirigere, non quidem debito legali, ſed naturalis neceſſitatis, prouenientis ex intrinſeca, & eſſentiali ſua bonitate, nè aliquid faciat ſe indignum. Ergo ſi fineret illam prauè aliquid agere, cùm ad illud concurreret vt cauſa particularis, & vt principium *quod*, non ſolùm effectiuum, ſed etiam directiuum, illi tribueretur etiam moralitas actionis, ſicut defacto tribuitur moralitas actus honeſti. Deinde vnio hæc ſanctificat *vt quo* naturam vnitam,

tam, vt dictum eſt diſp. 8. ar. 1. Ergo vnit cum illa principium ſanctificans *ut quod*, quod eſt ſanctitas increata. Sed eſt impoſſibile, quòd natura ſubſtantialiter ſancta, poſſit peccare, cùm vt *talis* contineat in ſe principiũ formaliter expulſiuum cuiuſcumque peccati, & exigitiuũ beatitudinis, & gratiæ habitualis,incompoſſibilium cum peccato. Ergo per ſolam vnionem haberetur,quod eſſet impeccabilis Chriſti humanitas

Probatur ſecunda pars, Primò quia per *vnionem confirmatur in bono. Ergo illa* retenta, non poteſt prauè operari,ad eius expulſionem? Probatur conſequentia, quia hæc operatio praua,vel antecederet vnionem, vel ſequeretur? Primum non eſt ad rem, quia loquimur de natura vt vnita. Secundum repugnat dictis,quia hæc natura coniungeret cum gratia vnionis actuale pæccatum,quod vidimus repugnare. Neque valet paritas *gratiæ habitualis*, quia cùm hæc non conſtituat ſuppoſitum operans,poteſt hoc aliquid agere, quod non ſit ex tali gratia, & ſit depulſiuum illius. At gratia vnionis conſtituit diuinum ſuppoſitum, quatenus eſt ſuppoſitum naturæ aſſumptæ. Ergo hæc nihil poteſt operari, quod non ſit à tali ſuppoſito. Atque adeo cùm a diuino ſuppoſito non poſſit eſſe prauitas, quę ſola tolleret vnionem, ideo natura aſſumpta non poteſt operari,ad eius expulſionem. Deinde quia ſicut natura ſecundum, ſe

non

non potuit operari, ad ſe vniendum cum diuino ſuppoſito, vt probauimus diſp. 5. ar. 5. ita nec poteſt operari,ad ſe ſeparandum ab illo, quod non valet de gratia habituali, quam quia poſſumus diſpoſitiuè acquirere,& meritoriè habitam augere, poſſumus etiã expellere demeritoriè, vt dictum eſt. Demum quia poteſtas proxima expellendi vnionem, fundatur in poteſtate proxima peccandi. Sed hæc eſt incõpoſſibilis cum vnione, primò quia hæc poteſtas, induceret naturæ aſſumptæ magnam miſeriam, & anxietatem, decidendi e ſummo illo ſtatu filiationis naturalis Dei, ad ſtatum inimicitiæ eiuſdem, & damnationis æternæ. Hoc autem repugnat filio naturali Dei,cui connaturaliter debetur viſio facie ad faciem ſui patris, eiuſque regnum per modum hæreditatis. Ergo non eſt compoſſibilis cum vnione. Deinde vnio hyppoſtatica cum filio Dei, continet radicaliter, & eminenter beatitudinem formalem, eò quòd coniungat cum Deo multò perfectiùs, quàm faciat beatitudo formalis, quæ trahit ſolam coniunctionem intentionalem. Ergo ſi poteſtas proxima peccandi, pugnat cum beatitudine formali, vt probauimus in tr. de beat, multò magis, & à fortiori pugnat cum vnione hypoſtatica, quæ proinde non potuit conferri, ſub conditione, quòd auferatur, ſi peccetur, ex ſuppoſitione potentiæ proximæ peccandi.

AR-

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiecta, & roboratur doctrina.

AD 1. (cuius horreſcit animus meminiſſe, vtpote quod ipſi ſanctitati maculas conatur impingere.) Nego minorem. Ad cuius primam probationem patet reſponſio ex dictis diſp. 9. ar. 3 ad 1. quæſitum. Ad 2. Dico, *in tali loco* Chriſtum vocaſſe noſtra peccata, tamquam ſua, quia obtulit ſeipſum, vt pro illis ſatiſfaceret, vt dicitur 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: & Iſaiæ 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*: & tamen ibid ait, *iniquitatē non fecit, nec dolus fuit in ore eius*. Noſtra verò peccata, vt illi appropriata, dicuntur eſſe longè ab eius ſalute, loquendo de vita, & ſanitate phyſica, quia ſtatutum fuerat, vt pro illis non ſatisfieret, niſi ſanguine, & morte ipſius. Ad 3. Dico, dici Chriſtum prò nobis feciſſe peccatum, quod facere non potuit, quia voluit reputari peccator, vt dicitur Iſaiæ 53. *Et cum ſceleratis reputatus eſt*, & tamquā talis puniri. Ad 4. patet reſponſio ex nuper dictis, quatenus noſtra peccata, vt ſua purganda ſuſcepit; Præterquamquod ly *meorum*, poteſt accipi ſubſtantiuè, hoc

eſt

eſt ſui populi, non verò adiectiuè, ita vt cadat ſupra ly *peccatorũ.* Vel demũ ly *delictorũ*, debet legi *dilectorũ*, ita vt eius amici, eius vitæ inſidiarētur. Ad 5. Nego conſequētiā. Neque enim Chriſtus voluit baptizari, quia contraxerit originale peccatum, cùm de illo dictum fuerit Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur sāctum*, ſed ad noſtrum documentum, & inſigne humilitatis exemplum, quo voluit cum peccatoribus recenſeri, vt dicitur ad Heb. 4. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* Ad 6. Nego minorem, quæ licèt poſſet eſſe vera, ſi procederet de derelictione quoad vnionem hypoſtaticam, vel quoad affectum, ſeu gratiam, non tamen eſt vera, quatenus ſignificat quòd Deus derelinquat in manibus perſecutorum, cùm ſæpe permittat, ſuos electos vexari, & occidi ad maiorē ſui gloriam, eorumque profectum. Quia ergo Chriſtus fuit à Patre relictus in manibus crucifigentium, & exprobrantium, ideo filiali querimonia, ad patrem conuerſus, protulit illa verba, non vt ſuppetias haberet, ad mortem euadendam, quam ſponte pertulit, ſed vt illi oſtenderet ſui doloris acerbitatem, quem ſine proprio delicto patiebatur. Vnde ſequitur, eſſe falſam, impiam, & blaſphemam conſequentiam, quæ ex illis verbis nullatenus inferri potuit.

Ad 2. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, fuiſſe quidem in Chriſto

liberum arbitrium,non tamen ad bonum, vel malum, ſed solùm ad magis, vel minùs bonum, vt videbimus infra. Ergo etiam ſecluſa beatitudine, peccare non potuiſſet, quia adhùc retinuiſſet ſanctitatem increatam, excluſiuam peccati.

Ad 3. quod eſt Achilles aduerſariorum, Nego conſequentiam, Primò quia inceptio cùm ſit naturalis conditio creaturæ, quæ eſſentialiter eſt ab alio, eſt in ſe bona,& ideo poteſt à Deo amari,& aſſumi in aliena natura, quod idem dico de morte, quatenus *eſt pæna,debita culpę primi hominis*. At malitia peccati nullam habet in ſe bonitatem, ratione cuius ametur à Deo, & aſſumatur in aliena natura. Deinde, nihil purè phyſicum eſt Deo odibile, qui eſt cauſa illius. At malitia peccati eſt per ſe odibilis, & ad nullum bonum finem ordinabilis Ergo non eſt aliquid purè phyſicum, adeòque neque eſt aſſumptibilis in humaną natura. Contra verò duratio temporaria, & deſitio vitæ naturalis, cùm ſint aliquid purè phyſicum,aſſumi pŏſſunt, & ordinari ad gloriam Dei. 3. Defacto Verbum eſt incarnatum, ad redimendum hominem à peccato. Ergo quidquid aſſumpſit, ordinauit ad hunc finem, cuiuſmodi fuere naſci, pati, & mori in humanitate aſſumpta. Sed peccare in illa, non potuit ad hunc finem ordinari, vt patet. Ergo neque potuit aſſumi.

Ad probationem nego ſuppoſitum, & re-

retorqueo argumentum, licèt pati, & mori repugnent diuinæ perſonæ, tamen cùm conueniant naturæ aſſumptæ, per communicationem idiomatum, dicuntur de diuina perſona, & ideo verè dicitur, Deus paſſus, & mortuus eſt. Ergo etiam licèt peccare, nō poſſit Deo conuenire, diceretur de illo, ſi peccaret natura aſſūpta.

Dices, variatis principijs, variatur actio. At variatis perſonis, non variatur actio, & ideo cognitio creata Chriſti, eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra. Ergo perſona, ſeu ſuppoſitum non eſt principium actionis, adeòque peccatum naturæ non poteſt illi tribui. Diſtinguo maiorem, variatis principijs *quo*, variatur actio, concedo: variatis principijs *quod*, nego. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, ſuppoſitum non eſt principium *quo* actionis, concedo: non eſt principium *quod*, nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia ſuppoſitum eſt quidem principium *quod* eliciriuum, non tamen ſpecificatiuum, quod conuenit ſoli principio *quo*, cuiuſmodi eſt natura, ſeu eius potentiæ operatiuæ, aliaque principia formalia, ſeu virtutes agendi. Quia ergo ſubſiſtentia concurrit ſolùm vt conditio prærequiſita, ex parte principij *quod*, ſeu vt eius conſtitutiua, ideo licèt varietur, dummodo retineatur idem principium formale *quo*, non variatur actio, quia non variatur eius ſpecificatiuum. Hoc autem non tollit, quòd actio non tribuatur ſuppoſito, ex

quo emanat, & ideo falſa eſt poſtrema cõſequentia. Præterquamquòd poſſet etiã negari minor, quia in tr de beat diſp. 4 ar. 4 aſſeruimus, amorem Dei in *via*, eſſe diuerſæ ſpeciei ab amore in *patria*, ob diuerſitatem principij. Ergo quia cognitio Chriſti, vtpote theantrica, dicit eſſentialem dependentiam à perſona diuina, non poteſt eſſe eiuſdem atomæ ſpeciei cum noſtra, quamuis ſit à natura humana eiuſdem ſpeciei, eleuata tamen ad modũ eſſendi ſupernaturalem; vnde omnis eius operatio eſt *ſupernaturalis, ſaltem* quoad modum.

Ad 4. Nego antecedens. Ad eius primam probationem admitto, potuiſſe à Deo aſſumi naturam humanam, quæ priùs tempore exiſtens in proprio ſuppoſito, non ſolùm haberet peccatum originale, ſed etiam actuale, vel ſaltem habituale. Hinc non ſequitur, quòd potuiſſet Deus denominari peccator, primò quia non aſſumpſiſſet peccatum talis naturæ, quod ſtatim per ipſam naturæ aſſumptæ ſanctificationem, deſtruxiſſet. Et deinde quia cum hæc natura præſupponatur peccatrix in proprio ſuppoſito, ante ipſam aſſumptionem, diuina perſona non fuiſſet principium particulare *quod*, & intrinſecum talis peccati, ad quod ſolùm concurriſſet indiuiſim cum alijs perſonis, vt cauſa vniuerſalis, permiſſiuè, & per accidens, ſicut concurrit ad peccata aliorum hominum. Ergo ſicut alio-

rum

rum peccata non poſſunt illi tribui, ita nec peccata talis humanitatis.

Dices, ſaltem poſſet dici, quòd fuiſſet peccans in tali natura, ſicut dicitur, quòd creauerit mundum per hunc hominem. Nego conſequentiam, & paritatem. Et ratio eſt, quia quando peccaſſet hæc natura, non ſubſtitiſſet in hoc diuino ſuppoſito, ſed in proprio creato. Ergo quoad opera, quæ patraſſet in tali ſtatu, non poſſet habere communicationem idiomatum, cum hoc diuino ſuppoſito, quod nondum erat ſuum. Poſt aſſumptionem autẽ quia ſubſiſtit in diuina perſona, quæ cum alijs mundum creauit, ideo cùm per ly *hic homo*, reduplicetur ſuppoſitum, ſeu perſona, bene dicitur, quòd hic homo mundum creauit, denotando perſonã, & non naturam humanam, quæ cùm & ipſa ſit creatura, non potuit eſſe creatrix.

Vrgebis, potuit Verbum aſſumere naturam, quæ dimiſſo peccato quoad culpam, remaneret ſub illo, quoad reatum pęnę, vel fomitem illius. Ergo vnio hypoſtatica ex ſe, non expellit omninò peccatum. Nego antecedens quoad vtramque partem. Quamuis enim Suarius diſp. 34. ſect 2. ſub finem admittat primum, mihi tamen non probatur. Et ratio eſt, quia vel eſt ſermo de reatu pęnæ æternæ, vel de reatu pęnę temporalis? Primus remanere non poteſt, ablata culpa, vt probaui in tr. de pęn. Ergo ſi per vnionem ſupponitur ablata culpa, non po-

teſt intelligi, remanere talem reatum, qui cum illa eſſentialiter connectitur. Sed neque potuit remanere ſecundus, quia cùm merita Chriſti fuerint infiniti valoris, qualibet eius pęnalitas erat ſufficientiſſima, ad ſatisfaciendum pro qualibet pæna, debita cuicumque peccato. Ergo quia ille primus actus, aſſumptionis carnis paſſibilis, in vtero virginis, fuit illi voluntarius, & pænalis, vtpote qui pollebat perfectiſſimum vſum rationis, pleniſſimè ſatisfeciſſet pro tali debito naturæ aſſumptæ, adeòque abſtuliſſet ab illa omnem *reatum pænæ temporalis.* Neque obſtat, quod adhùc illã reliquerit expoſitam doloribus, & paſſionibus. Siquidẽ cùm hęc expoſitio non eſſet in pænã patrati criminis, ſed voluntariè à Chriſto ſuſcepta, ad ſoluendum pro nobis, reſpectu ipſius non habebat rationem debiti, & multò minùs reatus, quatenus hic dicit obligationem ad pænam, debitam proprio peccato.

Quoad fomitem dico, neque illum in natura aſſumpta remanere potuiſſe. Et ratio eſt, quia vel loquimur de natura, quæ de facto fuit aſſumpta, vel de alia, quę antea peccaſſet? Quoad primã nõ poteſt eſſe dubium, quia cum numquam cõtraxerit peccatum originale, neque potuit ſubire fomitem, qui eſt eius effectus, vt multi probabiliter docent de ipſa Deipara, quatenus fuit pręuenta à labe originali. Quoad ſecundam, dico etiam

non

non potuiſſe remanere in natura aſſumpta, Primò quia per vnionem fuiſſet omninò purgata ab omni labe, & ſoluta ab omni debito illius, vt dictum eſt. Deinde quia vel eſſet ſermo de fomite in actu ſecundo, quatenus dicit actualem motionem appetitus ſenſitiui ad obiectum ſenſibile, trahentem ad peccaminoſam deordinationem, & quia hic fomes ſemper eſt cum aliqua culpa, non potuit eſſe in Chriſto; vel de fomite in actu primo, quatenus dicit naturalem inclinationem proximè expeditam, vt poſſit rationem præuenire, & moueri contra illam. Et quia totum hoc accidit, ex vi priuationis rectitudinis, quam homo habebat in ſtatu innocentiæ, per iuſtitiam originalem, qua ſenſus rationi ſubijciebatur, non potuit locum habere in tali natura, quæ per vnionem ad ſanctitatem increatam, vel fuit donata iuſtitia originali, vel habitibus ſupernaturalibus virtutum adeo excellentium, vt appetitus ſenſitiuus, rectitudinis limites non excederet, ſed voluntatis dominio perfectè ſubiectus, non moueretur, niſi regulatus à ratione. Et ideo fuiſſet quidem naturalis inclinatio, non tamen fomes, qui ſemper eſt vitioſus.

Neque obſtat quòd Chriſtus appetierit fugā paſſionis, & mortis, vnde Matth. 26. rogauit Patrem, *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, qui appetitus cùm eſſet contra rationem, & præceptum patris, vi-

debatur effectus fomitis,inclinâtis ad ma lum, ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum. S quidem dico primò, horrorem, & m tum mortis, vtpote corruptiuę indiuidu non eſſe malos, & vitioſos in ſe, imm eſſe bonos, vt conformes inclinatio naturæ, quę dictat conſeruationem ind uidui. Ergo non poſſunt eſſe effectus fo mitis vitioſi. Deinde dico, hunc motu fuiſſe Chriſto voluntarium, vt oſtende ret Patri, quòd non obſtante obiecti a duitate de ſe horrifici, adhuc tamen er promptus ad obediendum, & ideo ſub dit, *verumtamen non mea voluntas, ſed t fiat.* Vnde apparet, appetitum fugien mortem, non fuiſſe abſolutum, ſed co ditionatum, cum ſubiectione ad diuina voluntatem, quod oſtendit, fuiſſe dir ctum à ratione, quod fomiti non conu nit. Demum, in diuinis præceptis non præcipitur amor obiecti, ſed obedientia docente Augnſtino lib. 10. confeſs c. 2 loquendo de aduerſis à Deo immiſſis, *T lerare ea iubes, non amare; nemo enim quo tolerat, amat, quamuis tolerare amet.* Erg licèt Chriſtus quoad partem inferioren naturali fuga oderit mortem, quia tam per partem ſuperiorem amabat eius pe peſſionem, in obſequium Dei pręcipie tis, ideo nullo fomitis motu concuti batur.

Ad aliam probationem, quòd potuiſ ſet Deus pacifci cum natura aſſumpta quòd illam dimitteret, ſi peccaret, non

ſo-

ſolùm patet reſponſio ex dictis in 3. concl. ſed etiam quia cùm hæc natura non poſſet fieri rea dimiſſionis, niſi per delicta patranda in ſtatu vnionis, & cùm hæc in tali ſtatu patrare non poſſet, vt probatum eſt, huiuſmodi conditionis adimpletio eſſet illi impoſſibilis, vnde fieret illi comminatio dimiſſionis, ſub conditione impoſſibili, quod Deo repugnat. Ex quo ſequitur, quòd ſicut vnio eſſet illi gratia, ita & conſeruatio in illa.

ARTICVLVS III.

An impeccabilitas Chriſti potuerit cōponi cum eius libertate, in adimpletione diuini præcepti de moriendo? Referuntur auctorum opiniones, & refelluntur.

VIdetur non potuiſſe, quia cum ex vna parte Chriſtus eſſet omnninò impeccabilis, & ex alia non adimpletio, ſeu tranſgreſſio diuini præcepti, ſit peccaminoſa, nempe contra legem æternam Dei, non fuit liberum Chriſto non obedire, quod illi erat omninò impoſſibile. Ergo fuit neceſſitatus, ad obediendum Deo præcipienti mortem, pro ſalute generis humani, adeòque non liberè mortuus eſt. Quòd ſi non liberè. Ergo non meritoriè, cùm fieri non poſſit, quòd opus ne-

neceſſarium ſit meritorium. Quo admiſſo, Chriſtus neque ſatisfeciſſet prò genere humano, neque poſſet dici redemptor mundi, quo nihil abſurdius.

Vt ſoluatur hæc grauiſſima difficultas, quæ ſemper tractatur, & numquam funditus exhauritur, auctores in varias abiere ſententias. Siquidẽm plerique Thomiſtarum dicunt, Chriſtum fuiſſe liberum ad non moriendum, non quidem in ſenſu compoſito cum diuino præcepto, ſed in ſenſu diuiſo. Atque adeo ſicut dicunt, quod phyſicè prædeterminatus ad amorem, *libere amat, quia poteſt non amare in ſenſu diuiſo,* ita Chriſtus liberè mortuus eſt, quia in ſenſu diuiſo à diuino præcepto, potuit non mori. Sed quia huiuſmodi ſolutionem exploſimus in tr. de prædeſt. diſp. 12. ar. 3 & 4 ideo alij ex illis dicunt, Chriſtum liberè mortuũ eſſe, quia ſolùm fuit ad mortem neceſſitatus, ex diuino præcepto, quod non facit ſuppoſitionem antecedentem, ſed conſequentem, ſeu ex ſuppoſitione, quam putant non eſſe læſiuam libertatis. Sed quia omnis neceſſitas prouenit ab aliquo neceſſitante ad exercitium, ſiue ad ſpeciem actus, omnis neceſſitas eſſet componibilis cum libertate, quia non poſſet eſſe, niſi ex aliqua ſuppoſitione, & ſic beati liberè amarent Deum, & catenis detentus liberè non ambularet, quod eſt ridiculum.

Alij dicunt, ſufficere ad meritum liber-

bertatem à coactione. Quia ergo Chiſtus non cogebatur a præcepto; ideo putant liberè mortuum eſſe. Et alij ſufficere libertatem eſſentialem propriam voluntatis, ſecundùm quam dicunt, Spiritum ſanctum liberè produci à Patre, & filio in diuinis. Alij dicunt,in puro viatore requiri quidem libertatem proximam ad merendum, non autem in Chriſto, qui erat ſimul viator, & comprehenſor, cui ſufficiebat libertas remota, & radicalis,vt docet Maſtrius diſp. 3. q. 9. n 383. Sed quia hi modi dicendi videntur eſſe omninò arbitrarij, in aſſerenda quidditate libertatis, & contra communem conceptionem, quam lumine naturali formamus de libertate, & nullum habent ſolidum fundamentum in ſacris paginis,ideo non ſoluunt, ſed magis implicant difficultatem.

Vaſq. diſp. 74 c. 5. ait, Chriſtum non fuiſſe liberum ad mortem quoad ſubſtantiam, ſed ad eius circumſtantias loci,temporis, finis,intenſionis, & motiui;& cum ipſo ſentiunt Valentia, Leſſius, Becanus, & alij. Quis autem dicat, latronem damnatum ad furcam, ſi iudex ponat in eius poteſtate locum, tempus, & alias huiuſmodi circumſtantias, intra aliquam moralem latitudinem, ſententiæ proportionatam,illum liberè in furca ſuſpendi?Ergo licèt daretur libertas ad circumſtantias accidentales mortis, & non ad ſubſtantiam, illa non eſſet libera. Præterquam

quamquòd Io. 13. aſſeritur determinatum tempus moriendi, *ſciens Ieſus, quia venit hora eius.* Ergo probabile eſt, quòd fuerint determinatæ etiam aliæ circumſtantiæ loci, finis, &c.

Card. De lugo diſ.26. ſect. 8. cum alijs docet, Chriſto fuſſe liberum non mori, quia potuit petere diſpenſationem à præcæpto, cum certitudine illius obtinendæ. Ergo quia liberè voluit illi ſubeſſe, ideo liberè mortuus eſt. Sed contra eſt primò, quia mors vt libera, dicit non petitionem diſpenſationis, in tali ſententia. Ergo quia fuit Chriſto impoſita mors vt libera, fuit illi præcepta negatio talis petitionis. Deinde defacto petijt talem diſpenſationem, & tamen non impetrauit, vt dicitur Matth. 26. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, quam orationem ter repetijt, licèt cum omnimoda ſubordinatione ad diuinam voluntatem, *non mea voluntas, ſed tua fiat*; Vnde pater miſit angelum, vt illum confortaret, ad mortem ſubeundam, vt dicitur Luc. 22. *Apparuit illi angelus de cælo confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat*, nempe repetens eumdem ſermonem. Ergo non fuit illi liberum petere, cum certitudine obtinendi. Verum quidem eſt, quòd non petijt abſolutè diſpenſationem, quod fuiſſet contrariari paternæ voluntati, ſed conditionatè, *Si vis, transfer calicem iſtum à me*, vt dicitur ibidem, tamen ſecundùm partem inferiorem, verè petijt,

&

& ideo quia non obtinuit *factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis*, nempe propter contranitentiam partis ſenſitiuæ, ad prōptitudinem voluntatis, vt nobis oſtendederet naturalem auerſionem, quam habuit, ad mortem, tamquam ad obiectum per ſe horrificum, & nociuum, volitum tamen, ſecundùm partem ſuperiorem, quæ cum perfectè dominaretur inferiori, illam traxit ad tolerantiam imminentis mali, vnde non inuitus, ſed volens mortem ſubiuit, modo infra explicando.

Alij dicunt, præceptum moriendi non fuiſſe Chriſto impoſitum, niſi inquantum ipſe illud voluit, & petijt à Patre æterno, vt homines redimeret. Vnde inferunt, neceſſitatem moriendi ex illo prouenientem, vtpote volitam in præuiſione non præiudicare eius libertati. Hoc tamen ſuſtineri non poteſt, primò quia voluntas humana Chriſti fuiſſet primũ principium noſtræ redemptionis, & non diuina, quod repugnat ſcripturis, hoc tribuentibus paſſim diuinæ miſericordiæ. Et deinde quia non ſoluit difficultatem. Nam vel hoc præceptum fuiſſet ſemper in poteſtate Chriſti, vt impleret, adeoque amitteret rationem præcepti, quod dicit eſſentialiter, eſſe in ſola ſuperioris poteſtate; vel non, illoque poſito, non poſſet Chriſtus non obedire, eiuſque obedientia non eſſet libera. Ergo redit difficultas.

Alij dicunt, potuiſſe Chriſtum pro-

trahere obſeruantiam præcepti de moriendo, adeoque liberè mortuum eſſe prò tali tempore, quo mori non tenebatur. Sicut enim martyres, licèt natura mortales, merentur moriendo per manus carnificum, quia tali tempore mori à natura non cogerentur; ita & Chriſtus, cùm ex præcepto, tali tempore mori nō teneretur, liberè, & meritoriè mortuus eſt. Sed contra eſt, quia mors martyrum non fuit meritoria, quatenus erat mors, ſecundum ſubſtantiam, quæ eſt omnibus communis, *ſed quatenus facta cùm talibus circumſtantijs, ad quas non* erant à natura neceſſitati. Chriſtus autem habuit mandatum mortis, cum circumſtantijs loci, temporis, &c. vt dictum eſt Ergo non valet paritas. Deinde ſi meruit Chriſtus, ſolùm per ea, quæ non cadebant ſub mandatum. Ergo non meruit per obediētiam, quæ eſſentialiter eſt de re præcepta. Demum Chriſto fuit præcepta mors, vt meritoria, & vtilis generi humano, quę erat propria Redemptoris. Si ergo meritum mortis, conſiſteret ſolùm in circumſtantijs non præceptis, habuiſſet præceptum de re non præcepta, quod repugnat in terminis. Præterquamquòd hæc opinio, vt coincidens cum ſententia Vaſquij, fuit ſupra reiecta.

Alij cum Perez dicunt, fuiſſe Chriſto præceptum, vt vel moreretur, vel non redimeret genus humanum. Vnde inferunt, quòd cùm non fuerit determinatus ad

ad mortem, illam liberè eligendo, ex affectu redemptionis, obediuit, adimplē-do prçceptum diſiunctiuum, & quia liberè obediuit, etiam meruit. Sed hoc ſuſtineri non poteſt, quia præceptum non poteſt fieri de re impoſſibili. Cum ergo redemptio mundi, ſine ſua morte, ſtante diuino præcepto, eſſet impoſſibilis Chriſto, non ſolùm moraliter, quatenus peccaſſet, ſi illam voluiſſet, ſine morte, ſed etiam phyſicè, quatenus phyſicè peccare non poterat, ſi illi fuiſſet factū præcepta negatiuum de redemptione mundi, ex ſuppoſitione, quòd nollet mortem, fuiſſet factum præceptum de aliquo impoſſibili. Neque obſtat, quod poſſit à principe fieri præceptum ſubdito diſiūctiuum, vt vel non introducat frumentum in vrbem, vel ſoluat vectigal. Siquidem cum poſſit phyſicè non obedire, intantùm liberè ſoluit vectigal, inquantum poſſet coniūgere introductionem frumenti, cum non ſolutione vectigalis. At Chriſtus non potuiſſet coniungere mundi redemptionem, cum nolitione mortis, propter eius impeccabilitatem. Ergo non valet paritas.

Alij dicunt, fuiſſe Chriſto præceptum, vt vel moreretur ad mundi redemptionem, vel ſi nollet mori, peteret abſolutionem à præcepto. Vnde inferunt, libere mortuum eſſe, quia potuit non mori, petendo abſolutionem. Sed neque hoc ſuſtineri poteſt, primò quia petendo abſolutionem, non fuiſſet conformatus cum di-

diuina voluntate, de redimendo mundo. Ergo ſtante hac voluntate, non potui fieri hoc pręceptum diſiunctiuum. Deinde cum venerit ad mundum redimendum non potuit eligere *deſtructiuum* redemptionis, ſicut fuiſſet petitio *abſolutionis* quæ proinde fuit illi impoſſibilis. Et demum quia hæc opinio fuit ſupra reiecta cum impugnauimus Cardinalē Delugo

Suarius diſp. 37. ſect. 3. docet, Chriſtum liberè mortuum eſſe, non obſtant eius impeccabilitate, & *præcepto moriendi, quia licèt poſitis his, fieret ſuppoſitio antecedens, ex qua infallibiliter ſe*queretur Chriſti obedientia, non tamen ad illam neceſitabat, determinando eius voluntatem. Cùm enim diuinum præceptum ſit extrinſecum voluntati, & nihil phyſicum in illa ponat, quod poſſit neceſſitatem inferre, non immutat eius naturalem operandi modum, qui ſolùm immutatur, vel ex obiecto, vt in beatis, vel ex phyſica prædeterminatione Thomiſtarum. Infallibilitatem ergo obedientiæ Chriſti liberę, & meritorię ſalua per hoc, quòd præſciens Deus, non ſolùm quid ſingulæ voluntates ſint de facto operaturę per ſcientiam viſionis, ſed etiam; per ſcientiam mediam quid eſſent facturæ, ſi hoc, vel illo modo applicarentur, vel excitarentur ad operandum quia præſcriuit, quòd voluntas humana Chriſti, connaturaliter; & liberè acceptaret mortem, in redemptionem mund

ſi tali occaſione, & excitatione præueniretur,ita illam excitauit, vt ex tali præuentione,liberè quidem,infallibiliter tamen, infallibilitate diuinæ præſcientiæ, obedierit Deo præcipienti, & mortem acceptauerit. Verùm hæc doctrina, licèt ingenioſa, fuit à nobis reiecta in tr. de Deo vno diſp. 21. ar. 13. & in tr. de prædeſt. diſp. 12. ar. 5. & 6. Ergo non poteſt admitti, ad ſaluandam Chriſti libertatem, præſertimcùm (vt ipſemet Suar. aduertit) illa poſita, Chriſtus poſſet ſimpliciter non obedire, adeòque peccare, quod tolleret hypotheſim, de eius impeccabilitate. Et ratio eſt, quia liberè operans, poteſt non operari. Ergo ſi Chriſtus liberè obediuit, non obſtante hac tota ſuppoſitione, potuit non obedire, & peccare.

Alij demum dicunt, Chriſtum potuiſſe quidem non obedire, adeoque liberè obediuiſſe, non tamen potentia ſimultatis, per quam poſſet coniungere præceptum, cum negatione obedientiæ, ſed ſimultate potentiæ, per quam cum actuali obedientia, retineret potentiam ad non obediendum. Sed neque hæc reſpoſio ſuſtineri poteſt. Siquidem ſuppoſitio determinans ad vnum antecedenter, & non liberè, tollit potentiam proximam ad oppoſitum, vt fusè probauimus in locis nuper citatis. Ergo quia Chriſtus non fuit liber ad vnionem, & conſequentia ad illam, & multò minus ad præceptum morien-

riendi, ex quibus oriebatur eius antecedens ſuppoſitio, determinans ad obediendum per mortem, non retinuit potentiā proximam, ad non obediendum.

ARTICVLVS IV.

Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & oſtenditur quomodo Chriſtus liberè mortuus fuerit, & fuerit Patri obediens.

SOlutio huius difficillimæ quæſtionis, pendet potiſſimùm ex his duobus, nempe an verè Chriſto fuerit impoſitum præceptum moriendi? Et alterum, an ſimpliciter potuerit mortem vitare, non obſtante eius impeccabilitate? quorum primum hic ſoluemus, & aliud in articulo ſequenti.

Videtur ergo, fuiſſe Chriſto impoſitum præceptum rigoroſum moriendi, ad mundi redemptionem, Primò quia ipſe Chriſtus fatetur hoc Io. 10. *mandatum accepi à Patre*: & 14. *Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.* 2. Chriſtus eſt ſeruus Dei, vt dicitur de illo Iſaiæ 42. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum.* Sed ſeruus poteſt obligari à domino per imperium. Ergo potuit obligari, & de facto fuit obligatus. 3. Eius natura humana fuit intrinſecè peccabilis, & capax ſubiectionis, quæ non amiſit per vnionem cum

Ver-

Verbo. Ergo potuit obligari præceptis rigoroſis. 4. De facto fuit ſubiectus præceptis naturalibus, non mentiendi, colendi Deum, &c. & ideo de illo dicitur pſal. 39. *legem tuam in medio cordis mei.* Ergo etiam præcepto moriendi, vt ferè omnes docent.

Concl. *Quamuis Chriſtus nullum habuerit, vel potuerit habere præceptum rigoroſum, de ſubeunda morte, adhuc tamen in eius perpeſſione fuit perfectè obediens.*

Probatur prima pars, quia omnia loca, quæ adducuntur e ſacris paginis, poſſunt facilè explicari de conſilio, vel de inſinuatione, qua Deus vt ſuperior, patefecit Chriſto vt homini ſuam voluntatẽ, abſque vlla comminatione pænæ. Ergo non ſignificant præceptum rigoroſum, vt patebit infra.

Probatur ſecunda, ex qua deducitur veritas primæ, Primò quia eſt de ratione præcepti, reddere illicitam inferiori aliquam actionem, quæ ſit in eius phyſica poteſtate, vt toties probauimus, & ſuppono vt certum ex tr. de legibus; fruſtra enim ſuperior adhiberet præceptum, vt medium ad impediendum quod fieri non poteſt, cuiuſmodi eſſet præcipere ſeruo, nè volet per aera. Sed Chriſto vt intrinſecè impeccabili, eſt non ſolùm phyſicè, ſed etiam metaphyſicè impoſſibile omne illicitum. Ergo per hoc ipſum, quòd aliquid, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, fuiſſet redditum illicitum per præceptũ rigo-

rigoroſum, fuiſſet Chriſto redditum metaphyſicè impoſſibile; adeòque præceptum prohibuiſſet illi chimęram, & illum neceſſitaſſet ad oppoſitum, auferendo ab illo phyſicam potentiam, ad liberè obediendum præcipienti. Ergo nullum præceptum rigorosū potuit fieri Chriſto.

Confirmatur, Non poteſt dari præceptum, quod tollat à ſubdito modum obediendi, cuiuſmodi eſſet præceptum comburendi nauem, vt per illam mare traiciatur, & præceptum ligandi pedes *famulo, vt citiùs currat; hæc enim non eſſent præcepta, ſed fatuitates.* Sed ſi fieret Chriſto præceptum rigoroſum, per hoc ipſum tolleretur ab ipſo modus obediendi. Ergo non poteſt illi fieri tale præceptum. Probatur minor, modus obediendi in ſubdito, eſt poteſtas phyſica ad rem præceptam, vel ad eius omiſſionem, ad quam ſolùm imponatur impotentia moralis, ratione cuius fiat illi illicita, & culpabilis talis omiſſio; ſi enim alicui præcipiatur, nè exeat domo, & ne poſſit exire, circumquàque fores, & feneſtræ claudantur, hic non obediret non exeundo, quia cogeretur manere domi. Sed per hoc ipsū quòd Chriſto imponeretur per præceptum, impotentia moralis ad aliquid, tolleretur ab illo potentia phyſica, ad id faciendum. Ergo tolleretur modus obediendi.

2. Operari ex præcepto rigoroſo, eſt operari ſeruiliter, quia ſtimulus operandi,

di, eſt timor pænæ comminatæ, ni fiat res præcepta. Sed ſeruitus non poteſt cadere in Chriſtum, qui eſt filius naturalis Dei, eiuſque charitas in Deum, tamquam in patrem, foras mittit timorē. Ergo non poteſt operari ex tali præcepto, quod proinde non poteſt illi imponi.

3. Præceptum rigoroſum Dei, ſemper procedit cum comminatione culpæ, & pęnæ. Sed Chriſto vt impeccabili ab intrinſeco, non poteſt fieri comminatio culpæ, & vt filio naturali, cui eſt debita, & de facto ab initio conceſſa beatitudo eſſentialis, non poteſt fieri comminatio pænæ æternæ, quæ debetur ſoli peccato, & multò minùs comminatio pænæ temporalis, quæ vt talis, non poteſt rependi, niſi ob peccatum Ergo non poteſt fieri pręceptum rigoroſum, vt docuere Albertus Magnus, Dyonis. Ciſtercien. Victoria, Io. Ant. Velaſq; Palud. Gamachæus, Bernal, Roa, Hurtad Lorca, & alij, quibus nuper acceſſere Card. Pallau. & Eſparſa hic q. 32.

Probatur tertia pars, primò quia obedientia potiſſimùm conſiſtit in hoc, quòd ſubditus conformet ſuam voluntatem, cum voluntate ſui ſuperioris, in omnibus his, quæ non ſunt contra legem æternam Dei, qui cùm ſit ſupremus omnium dominus, eius voluntas debet eſſe prima regula omnium aliarum voluntatum. Sed Superior poteſt manifeſtare ſuam voluntatem, non ſolùm per imperium, & commi-

minationem pœnæ, ſed etiam per oblationem præmij, nulla facta comminatione pœnæ. Ergo poteſt ſubditus, non ſolùm obedire, conformando ſuam voluntatem, cum voluntate ſuperioris rigoroſè præcipientis, ſed etiam conformando illam cum voluntate ſuperioris conſulentis, vel allicientis per promiſſionem præmij, ad aliquid faciendum. Et ideo D. Tho. 2. 2. q. 104. ar. 5. ad. 3 docet, religioſos perfectiùs obedire ſuis ſuperioribus, ſi obediant etiam in non præceptis. *Quia ergo Deus manifeſtauit Chriſto ſuam voluntatem, de liberando homine*, per eius mortem, proponendo illi exaltationem ſui nominis, & alia præmia, quæ ſupra indicauimus, licèt illi non comminauerit pœnam, ſi nollet mori, adhùc tamen præbuit illi motiuum excellentiſſimæ obedientiæ, quam ſi neglexiſſet, non proinde peccaſſet. Neque obſtat, quod Chriſtus teneretur ſe conformare cum voluntate Dei, ſiquidem non tenebatur ex vi præcepti, ſed ex alio capite infra examinando.

2. Ratio præcepti non dicit de formali comminationem pęnę, quę ſola fuit introducta, ob contumaciā ſubditorum, & ob naturalem hominum conditionem, quæ refugit alteri ſe ſubmittere, niſi ob timorem. Et ideo pręceptum originariè ſignificat documentum, quia quaſi pręoccupat animum alterius, in ordine ad operandum; & magiſter dicitur pręceptor,

&

& regulæ artis dicuntur pręcepta. Quia vero ſuperiores deberent eſſe ſapientiores, ideo ex reuerentia, quam alij debent illis præſtare, collata eſt illis in ſubditos iuriſdictio, vnde dicuntur magiſtratus à magiſterio, & apud Romanos conſules à conſilio prębendo. Ergo formaliſſima ratio pręcepti, conſiſtit in inſinuatione, ſeu manifeſtatione inclinationis ſuperioris, cui ſubditi tenentur conformari. Atque adeo quamuis Chriſto non fuerit impoſitum pręceptum rigoroſum, adhùc tamen potuit Deo obedire, perfeſſiiſſima obedientia, dum illi manifeſtanti ſuam inclinationem, de redimendo mundo, quod eſt inſtar pręcepti, ſuam libenter voluntatem opere conformauit, ac ſi verè hęc ſibi pręcepiſſet.

Ad 1. dco, verba ſcripturę eſſe accōmodè exponenda, quando vrget neceſſitas id faciendi. Cùm ergo ex dictis conſtet, præceptum rigoroſum non potuiſſe componi cum Chriſti libertate, ideo cum hęc clariſſimè conſtet ex ſacris litteris, & fundetur in ratione meriti, & ſatisfactionis, vt hanc ſaluemus, debemus ita exponere alia loca, in quibus agitur de pręceptis Chriſto impoſitis, vt ſolùm ſignificent pręceptum non rigoroſum, vt dictum eſt.

Ad 2. Dico, humanitatem Chriſti ſecundùm ſuam primæuam conditionem, eſſe Dei ſeruam, non tamen vt aſſumptā à diuino Verbo, cùm vt talis, ſit filius

Dei

Dei naturalis, cui repugnat ſeruitus, modo infra explicando diſp. ij. ar. 2. ad. 9. Ergo quia quæſtio procedit, de natura humana, vt aſſumpta, quatenus cum perſona diuina facit Chriſtum, argumentum corruit.

Et hinc patet ſolutio ad 3. eò quia natura humana in Chriſto, non ſit ex ſe impeccabilis, ſed ex vnione cum filio Dei, vt dictum eſt in primo articulo.

Ad 4. Nego antecedens, non quia Chriſto eſſet licitum, contrauenire legi *naturali, ſed quia actus ab illa præcepti, erant illi neceſſarij,& impoſſibiles actus* vetiti oppoſiti. Hoc autem quia eſt commune etiam ipſi Deo, qui non poteſt mẽtiri, ſe odiſſe, peierare, &c. ideo non dicit ſubiectionem ad legem, ſed ſolam naturalem determinationem, ad proſecutionem talium actuum, qui præſcribuntur à lege naturali (cuiuſmodi ſunt amare Deum, odiſſe peccatum, &c.) & ad fugam oppoſitorum. Hęc autem naturalis determinatio, quam Deus habet, ſiue ad proſecutionem, ſiue ad fugam talium actuum, quia prouenit ex dictamine diuinę ſapientię, quo clariſſimè Deus cognoſcit, huiuſmodi actus eſſe eſſentialiter connexos, cum amore ſummi boni, ad quem eſt naturali neceſſitate determinatus, actuſque oppoſitos eſſe cum illo incompoſſibiles, ideo dicitur teneri ad obſeruantiam legis naturalis, ſeculſa omni ſubiectione ad illam. Reſpectu autem

Chri-

Chriſti, quamuis per legem naturalem, non reddantur illi liciti, ſeu illiciti aliqui actus, eò quia per illam non obligetur per comminationem culpæ, & pænæ, tamen dicitur habere aliquo modo vim legis, & præcepti, quatenus determinatio, quam Chriſtus habet ad tales actus, vel oppoſitos, qui præſcribuntur à lege, vnde illi redduntur neceſſarij, vel impoſſibiles, trahit originem ex voluntate Dei, & ex dictamine indito ab illo, qui eſt eius dominus, & ſuperior, vt dicitur 1. ad Cor. 3. in fine, *Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Et hoc modo debet exponi locus ille pſalmi, *legem tuam in medio cordis mei,* quatenus videlicèt nomine legis, non intelligitur præceptum rigoroſum.

Dices, Vel Chriſtus mortuus eſt, vt adimpleret conſiliũ, vel præceptũ patris? Si primum, ergo non obediuit, cùm obedientia reſpiciat præceptum, vt diſtinctum à conſilio. Si ſecundùm, ergo verè habuit pręceptum rigoroſum. Reſpondeo; verè Chriſtum mortuum eſſe, vt executioni mandaret præceptum patris, non tamen rigoroſum, obligans ad culpam, & pænam, quod ſolum diſtinguitur à conſilio, vt elicitur ex illo 1. ad Cor. 7. *De virginibus praeceptum Domini non habeo, conſilium autem do,* hoc eſt non obligo ad hoc, licèt dicam quòd eſſet bonum. Dixi, non rigoroſum, quia non erat conſilium purè approbatiuum, ſed onero-

R ſum,

ſum, cum promiſſione præmij, & laudis, adeòque ſufficiens, inſtar præcepti, ad motiuum obedientiæ, vt dictum eſt. Et hęc doctrina elicitur etiam ex D. Tho. qui ſuper illud ad Rom. 8. *pro vobis tradidit illum*, hæc docet, *Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari, & pati ſtatuendo, & humanæ eius uoluntati inſpirando charitatis affectum, qua paſſionem ſpontaneus ſubiret.* Sed hoc non eſſet, ſi impoſuiſſet illi præceptum rigoroſum, quod neceſſitaſſet ad mortem, ſtante eius impeccabilitate. Ergo impoſuit illi, per modum conſilij, præceptum non rigoroſum, in ordine ad meritum, & laudabilitatem tantùm.

ARTICVLVS V.

An Chriſtus fuerit indifferens, & liber ad non moriendum?

Videtur non fuiſſe; Primò quia Chriſtus fuit neceſſitatus à Deo, ad moriendum pro ſalute hominum, vt ipſemet fatetur Luc. 22. *Et quidem filius hominis, ſecundum quod definitum eſt vadit:* & Luc. 24. *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me:* & deinde, *quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat, pati Chriſtum:* & antea dixerat; *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum,*

ſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Ergo non potuit non mori.

2. Chriſtus fuit moraliter neceſſitatus, ad ſe conformandum in omnibus cum diuina voluntate. Ergo quia diuina voluntas illi nota, erat, vt ſaluaretur mundus per eius mortem, vt vidimus diſp. 2. non potuit illi non conformari, adeòque non potuit non mori.

3. Tenebatur Chriſtus ex lege naturali charitatis, ad ſubueniendum toti generi humano, conſtituto in ſumma, & ineuitabili miſeria damnationis æternę, à qua non poterat, niſi per ipſum liberari. Ergo niſi illi ſubueniſſet per ſui mortem, omninò peccaſſet, ſicut peccaret quicumque alius, qui cum poſſit ſuam patriam moriendo, ab irreparabili excidio liberare, nolit facere. Atque adeo cùm illi fuerit impoſſibile omne peccatum, fuit neceſſitatus ad moriendum, pro mundi redemptione.

Concl. *Chriſtus fuit omninò indifferens ad non moriendum, adeòque liberè mortuus eſt, prò ſalute hominum, non folùm libertate oppoſita coactioni, ſed etiam neceſſitati.* Eſt communis inter theologos, licèt nonnulli dixerint, eum fuiſſe liberum ſola libertate oppoſita coactioni, vt dictum eſt ar. 3.

Probatur 1. e ſcripturis vtriuſque teſtamenti, vt Iſaię 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit,* ex quo elicit Hyeron. *Non neceſſitate, ſed voluntate mortem ſubijt;* & Io.

10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam, nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, poteſtatem habeo ponendi eam, &c.* & Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum?* ſubintellige, *vt me eriperent à morte.* Sed niſi Chriſtus habuiſſet indifferentiã ad non mori, hæc fuiſſet inanis iactantia, facta Petro, cum quo loquebatur. Ergo verè habuit hanc indifferentiam. Deinde mors fuit meritoria Chriſto, & pro nobis plenè ſatisfactoria, vt vidimus diſp. 4. & 5. Ad rationem autem meriti, & ſatisfactionis requiritur libertas indifferentiæ, vt omnes fatentur, ſaltem quoad meritum, quod inueniri non poteſt in actibus neceſſarijs. Ergo Chriſtus habuit indifferentiam ad non mori. Et ideo Aug. lib. 4. de Trin. c. 13. ait, *Qui potuit non mori, ſi nollet, procul dubio quia voluit, mortuus eſt.* Cui concinunt Greg. & Chryſoſt. nam ille lib. 24. moral. c. 2. inquit, *Omni neceſſitate calcata, cum voluit, mortem ſponte ſuſcepit:* & hic hom. 28. ſuper illud ad Heb. 10. *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem,* inquit, *licebat illi nihil pati, ſi voluiſſet,* quibus oſtendit, illum habuiſſe potentiam phyſicam, & moralem ad non patiendum.

Ad 1. Nego antecedens. Et ad loca ſcripturarum dico, per illa exprimi, non neceſſitatem antecedentem, quã Chriſtus adigeretur ad moriendum, ſed conſequẽ-

tem,

tem, qua Chriſtus non poterat mundum redimere, niſi per ſui mortem, ſtante decreto Patris. Quia tamen non neceſſitabatur ad redimendum mundum, ideo neque neceſſitabatur ad mediū talis redemptionis, ea planè ratione, qua lapſi poſt baptiſmum, non neceſſitantur ad pænitentiam, niſi ex ſuppoſitione, quòd velint Deo reconciliari, quod non tollit phyſicam poteſtatem ad illā omittendam. Neque obſtat quòd ipſe eſſet noſter paſtor, & bonus paſtor teneatur ponere ſuam animam pro ouibus ſuis, vt ipſe docuit Io. 10. Siquidem potuit ſimpliciter non fieri noſtrum paſtorem. Sicut ergo liberè ſe fecit noſtrum paſtorem, ita liberè poſuit animam ſuam pro nobis. Et ideo ſubdit ibid. *Ego ſum bonus paſtor, & animam meam pono pro ouibus meis*; hoc eſt non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione officij paſtoralis, quod liberè acceptauit, illoque poſito, mori tenebatur. Et inferiùs, *propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam*, vbi oſtendit motiuum paternæ dilectionis, non quidem adæquatū, ſed ſolùm inadæquatum fuiſſe, quia pro onere ſponte ſuſcepto, ſtatutam à patre conditionem adimplere non recuſauit, vt patet ex illis verbis, *pono animam meam, & iterum ſumam eam*.

Ad 2. diſtinguo antecedens, fuit moraliter neceſſitatus, ad ſe conformandum in omnibus cum diuina voluntate, ſi ſermo ſit de voluntate ſigni, nego: ſi de vo-

luntate beneplaciti, & ſubdiſtinguo, quoad volitum formale, & quoad actus liberos, & electiuos, concedo: quoad volitum materiale, vel quoad actus elicitos per modum naturæ, ſeu quoad actus appetitus ſenſitiui, nego antecedens. Et diſtinguo conſequens, non potuit moraliter illi non conformari, ſi ſermo ſit de voluntate beneplaciti, quoad actus liberos, & volitum formale, concedo: quoad actus naturales, & volitum materiale, ſeu actus appetitus ſenſitiui, nego conſequentiam. Vnde ſequitur *falſitas poſtremæ conſequentię, quia poſitis his*, cum Chriſtus non fuerit neceſſitatus phyſicè, ad mortem materialiter ſumptam ſubeũdam, potuit illam ſaltem phyſicè vitare, quam proinde liberè acceptauit.

Dices, impeccabilitas Chriſti erat phyſica, & moralis. Ergo neque moraliter, neque phyſicè potuit peccare. Peccaſſet autem, ſi contra Dei voluntatem reſpuiſſet mortem. Ergo non potuit vllo modo illam reſpuere. Nego minorem ſubſumptam, quæ ſolùm valeret, quando mors fuiſſet præcepta legaliter, ſub pęnalitate, quod nos negauimus, non admittendo præceptum rigoroſum.

Vrgebis, ſaltem contraxiſſet imperfectionem moralem, non obediendo Deo, quamuis non rigoroſè præcipienti. Sed hæc æquè illi repugnat. Ergo redit argumentum. Diſtinguo maiorem, contraxiſſet imperfectionem moralem, negatiuam,

uam, concedo : poſitiuam , nego . Et di-ſtincta minori, quòd illi repugnet imperfectio moralis poſitiua, & non negatiua, nego conſequentiam . Prò intelligentia, imperfectio moralis poſitiua dicitur illa, quæ dicit carentiam perfectionis debitę, vel ratione pręcepti, vel quia melius diſponeret ad vltimum finem; negatiua autem eſt pura carentia perfectionis poſſibilis , ſed neque debitæ , neque meliùs diſponentis ad vltimum finem ; & ideo prima ſemper eſt peccaminoſa , non autē ſecūda. Quia ergo Chriſto neque fuit præcepta mors, neque illi fuit neceſſaria, ad aſſecutionem vltimi finis , ideo eius carentia fuiſſet imperfectio purè negatiua, quæ nō repugnat eius ſanctitati, quæ licèt fuerit sūma, nō tamen de facto habuit omnes actus perfectionis excogitabilis. Vnde infertur, Chriſtū non fuiſſe ſemper, & in omni euentu neceſſitatum ad optimum ſimpliciter, quod multi extendunt ad ipſum Deum, quem dicunt non teneri ad extra ſemper optima facere, quamuis optimè ſemper operetur, vt patet experientia; per quam videmus facta bona inæqualia, quæ vtique omnia non poſſunt eſſe ſimpliciter optima . Immò cùm hoc ipſum ſit bonum, quod poſſit Deus velle bona inæqualia, ſequitur etiam , fuiſſe bonum Chriſto, quòd non teneretur ad optimum; quia ex hoc ipſo nihil potuiſſet liberè , adeòque moraliter operari .

Dices demum, Chriſtns fuit neceſſita-

tus moraliter, ad volendũ quidquid D
ab illo vellet ; & ideo fuit dotatus h
tibus ſupernaturalibus omni virtut
ſcientia infuſa perfectiſſima omnium
gibilium, & optima ſubordinatione
petitus ſenſitiui ad rationem, gratia
bituali, eius animam perfectè ſanctifi
te, & viſione beatifica. Sed hæc trah
etiam impotentiam phyſicam, ad n
dum, quod cognoſcebat eſſe à Deo
tum determinatè. Ergo cùm cogn
ret, eius mortem eſſe à Deo determ
tè volitam, in remedium hominum
potuit phyſicè illam nolle.

Nego conſequentiam, ex ſaſo ſup
to, quòd Chriſtus cognoſceret, ſuam
tem eſſe à Deo volitam determ
voluntate beneplaciti, illam præci
te. Et ratio eſt, quia cùm vellet mu
ſaluare, per mortem Chriſti liberè
eundam, non potuit ab illo adimer
præceptum, phyſicam indifferentia
oppoſitum. Intantum ergo dotauit
tàm eximijs dotibus, vt liberè qu
promptè tamen, & alacriter vellet
Eius ergo moralis neceſſitas, fuit q
ad vitandam omnem imperfectio
moralem poſitiuam, cuiuſmodi
vitatio mortis præceptæ, non aut
negatiuã, cuiuſmodi fuiſſet vitatio
tis de facto non præceptæ, ad q
proinde fuit liber phyſicè, & mor

Vt autem intelligatur doctrina
in reſponſione argumenti principal

primò, non ſemper eſſe melius,
ɔrmari cum voluntate ſigni ipſius
quæ eſt quadruplex, nempe prohi-
, præcipiens, permittens, & conſi-
ſiquidem melius eſt non facere pec-
n, quod à Deo permittitur; & me-
uit, quòd Abraham non occideret
: ſilium ſuum, ex quo ortum habuit
ıtor mundi. Et hęc eſt ratio, cur
ıando Deus nolit,quod videtur velle
ıtate ſigni, vt docet D. Tho. q. 23.
ritate ar. 3. ad 2. quia ſemper vult
id circa illud, nempe *nos eſſe debito-*
us, quod præcipit, & eſſe in poteſtate no-
d quod permittit, vt idem docet ibid.
tamen proinde ſibi contradicit, quia
idem docet ibid ad 3.) *voluntas ſi-*
on eſt in Deo, ſed à Deo; eſt enim ali-
Dei effectus, talis, quali ſolet apud nos
ntas hominis deſignari.
duerto 2. appetitum ſenſitiuum, vt-
: directum cognitione boni ſenſibilis
ndùm ſe, eodem modo ferri in obie-
ı nolitum à Deo, ac volitum; & ſe-
dum hunc, qui fuit relictus integer
Chriſto, quoad motus ſibi connatura-
vt eſſet materia pugnæ, & meriti,ſæ-
Chriſtus fuit difformis diuinæ volun-
, qua volebat illum ſubeſſe cruciati-
; ſenſui repugnantibus, vt patet ora-
ne, qua orabat tranſitum calicis paſ-
nis in horto, & querimonia in cruce,
quid dereliquiſti me? quę denotabant a-
rſionem appetitus ſenſitiui, licèt fuerit

compreſſus, per appetitum rationalem, *tua voluntas fiat.* Hic enim motus cùm ſit naturalis, non prouenit à fomite, qui cùm ſit effectus peccati,non fuit in Chriſto, & ideo debuit in illo relinqui.

3. aduerto, etiam quoad appetitum rationalem, qui propriè eſt actus voluntatis, potuiſſe Chriſtum in aliquibus difformari diuinæ voluntati conſilianti, ſiue prohibenti, quatenus videlicèt volebat aliqua mala, & nociua Chriſto, & nolebat aliqua bona, in genere vtilis, ac delectabilis. Cùm enim voluntas ſit ex ſe determinata ad bonum, naturali inclinatione fertur ad illud, & refugit à malo, apprehenſo vt tali. Et ideo dicimus, quòd voluntas quoad motus primò primos, operatur per modum naturæ, ac indeliberatè, ſicut diximus de appetitu ſenſitiuo; & quoad hos motus, quia non interueniunt conſultatio, & electio, dependendenter à dictamine rationis, non datur propriè libertas, & moralitas ad merendum, ſiue peccandum.

4. Aduerto, etiam voluntatem rationalem Chriſti, potuiſſe in aliquo difformari à voluntate beneplaciti ipſius Dei, non tamen quoad volitum formale, ſed ſolùm quoad volitum materiale. Ad cuius euidentiam dico, volitum formale eſſe illud, quod plenè cognoſcitur eſſe, efficaciter, & abſolutè à Deo volitum; & reſpectu huius, non poteſt dari difformitas noſtræ voluntatis, quin hæc inten-

formaliter, vt fruſtretur voluntas
Dei, cui contranititur. Et quia
fformitas eſt intrinſecè mala, non
in Chriſtum cadere. Volitum ma-
eſt illud obiectum, circa quod
verſatur diuina voluntas, ſecun-
e entitatiuè conſideratum, abſque
ad actũ diuinæ voluntatis,quæ vel
nunc non aduertatur, vel nullate-
bis appareat; & quoad hoc quia
nus illud nolle, abſque eo quod ve-
, quòd fruſtretur diuina voluntas,
ullo modo intendimus aduerſari,
oſſumus abſque vllo peccato, il-
ormari, & de facto etiam Chri-
iquando, fuit difformatus, non
non agnouerit diuinam volunta-
ed quòd ſuam licèt renitentem, il-
fectè ſubmiſerit, adeo vt nollet
tè hæc obiecta, ſed ſolùm iuxta
m diſpoſitionem, & ordinem eius
dentiæ, cui nullo modo intendebat
ſari. Exemplum clariſſimum huius
mitatis habemus Lucæ, 23. cum
ſtus in cruce, orabat Patrem pro
fixoribus, *Pater dimitte illis, non e-*
ciũt quid faciunt. Volebat ergo Chri-
llorum ſalutem, quam Deus nole-
on tamen vt formaliter à Deo no-
, neque abſolutè, ſed ſolùm mate-
er vt talem, & cum ſubordinatio-
l diuinam voluntatem. Idem accidit
norte, quam pro omnibus paſſus eſt,
lè probaui in trac. de præd. adeo-
R 6 que

que per illam intendebat ſalutem omnium, licèt Deus illam nollet, modo nuper explicato. Et Matth. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Ergo habuit voluntatem contrariam voluntati Patris, circa volitum materiale, non tamen circa formale.

Ad 3. Nego antecedens. Cùm enim vita Chriſti, vtpote Deiuirilis, eſſet per infinitum exceſſum dignior, vita omnium aliorum hominum, non debuit ex naturali neceſſitate fraternæ charitatis, obligari ad ſui profuſionem, pro ſalute aliorum, præſertimcum ipſe non eſſet priuatum membrum, ſed caput, & Iudex, qui honeſtè poterat nobis infligere meritam pænam. Quare cum nos redemit per ſui mortem, id non fecit ex vllo debito, ſed ex amore, quo nos proſequebatur, vt dicitur ad Ephes. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Neque obſtat, quòd eius mors eſſet breuis ſeparatio animæ à corpore, quæ non videtur præponderare ſaluti æternæ tot animarum. Siquidem ſicut quilibet eius minimus actus meritorius, erat ſufficiens ad redimendum totum mundum, ita quælibet vel minima iactura eius vitæ, pręponderabat vitæ omnium aliorum. Quamuis enim Deus de facto adhibuerit hoc medium, ad reparandos homines, quia tamen hoc fecit, *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos,* vt dicitur ad Ephes. 2. & vt oſtenderet, grauitatem ſuæ offen-

ſenſę, quæ à nulla pura creatura repara-ri potuiſſet, vt probauimus diſp. 3. ar. 2. & 3. hinc non deducitur neceſſitas naturalis mortis Chriſti, niſi ex ſuppoſitione diuini decreti, ſaluandi mundum per condignam ſatisfactionem. Nec valet paritas noſtræ vitæ, quam tenemur profundere pro ſalute reipublicę; ſiquidem cùm ſimus membra illius, tenemur præhabere bonum totius, noſtro bono priuato, quod non valet de Chriſto, qui ſolus omnibus præponderabat.

DISPVTATIO XI.

De Filiatione, ſeruitute, & oratione Chriſti.

QVia hæc quæſtio habet eſſentialem connexionem cum Chriſti ſeruitute, ideo vt clariùs procedamus, agemus de vtraque. Quæremus ergo 1. an, & quomodo Chriſtus ſit filius Dei? Et deinde, an, & quomodo ſit eius ſeruus? Quorum occaſione, agemus etiam de eius oratione.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſtus vt homo ſit filius Dei naturalis?

VIdetur non eſſe, vt docent Dur. in 3. d. 4. q. 1. Baſſolis ibid. q. vn. ar. 2. Faber, & alij, Primò quia Chriſtus vt homo, non eſt Deus. Sed filius Dei naturalis eſt Deus, ſicut filius hominis eſt homo. Ergo non eſt filius naturalis Dei. 2. naturalis filius Dei, vtpote neceſſariò pro-

ocedens à Patre, eſt æternus, & Patri
nſubſtantialis. Sed huiuſmodi non eſt
riſtus, vt homo, qui factus eſt in tem-
re, ſubiectus morti. Ergo, &c. 3. Vt
mo, eſt effectus totius Trinitatis. Ergo
ſſet Dei filius, eſſet filius totius Trini-
is, adeoque etiam Spiritus ſancti, &
ſius Verbi, quod eſt falſum. 4. Filius
optiuus, non eſt naturalis. Sed Chri-
is per gratiam habitualē, eſt filius ado-
iuus. Ergo non eſt naturalis. 5. Si Pa-
æternus fuiſſet humanatus, vt homo,
n eſſet Pater Verbi. Ergo neque Ver-
m *vt homo, eſt filius Patris. 6* Chri-
s vt Deus, non eſt filius naturalis Vir-
iis. Ergo neque vt homo, eſt filius na-
alis Dei, cùm vtrobique ſit eadem
io. 7. Si Chriſtus vt homo, eſſet filius
:i, hoc illi conueniret ratione huma-
atis. Ergo omnis homo eſſet filius Dei,
od eſt abſurdum. 8. Chriſto non con-
niunt, niſi duæ generationes, nempe
a æterna, per quam vt Deus procedit
Patre, & alia temporalis, per quam vt
mo procedit à matre. Ergo non con-
nit illi alia generatio, per quam vt ho-
fit filius Dei. 9. Chriſtus vt homo,
ſeruus Dei. Ergo non eſt filius.

Pro reſolutione, aduerto, hic non eſſe
monem de Chriſto, vt Deus eſt, quia
reduplicatiuè ſumitur, dicit ſecundam
rſonam Trinitatis, quæ eſſentialiter ab
erno, eſt filius Patris; ſed de Chriſto
homine, quatenus reduplicat humani-
ta-

tatem aſſumptã; & quæritur, an Chriſtus in humanitate ſubſiſtens, habeat in ipſa humanitate relationem aliquam, fundatam in ipſa vnione, filiationis ad Deũ? Et quia in argumentis allatis tanguntur plures quæſtiones difficiles, ideo illas breuiſſimè ſoluemus, partim in hoc articulo, & partim in ſequentibus.

Concl. *Chriſtus ut homo, eſt filius Dei, non tamen adoptiuus, ſed naturalis, relatione rationis, fundata in ipſa gratia vnionis:*

Probatur prima pars 1. ex Matth. 3. vbi poſtquam à Io: baptizatus eſt Chriſtus, audita eſt vox de cælis, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Super quem locum D. Petrus 2. Ep. c. 1. ait de Chriſto, *Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa à Deo huiuſcemodi, à magnifica gloria, hic eſt filius meus dilectus*, quæ non poſſunt verificari de Chriſto vt Deo, qui non accepit in tempore honorem, & gloriam, ſed de Chri- vt homine, qui proinde filius Dei eſt, vt alibi probauimus.

Probatur ſecunda, *adoptio eſt gratuita, & liberalis aſſumptio, ſeu acceptatio perſonæ extraneæ ad hæreditatem,* vt cum iuris peritis, & communi theologorum ſuffragio, definitur hic à D. Tho. q. 23. ar. 1. his verbis, *homo adoptat alium ſibi in filium, inquantum ex ſua bonitate, admittit eum ad participationem ſuæ hæreditatis*, hoc eſt (vt exponit hic Suarius) qui ex vi ſuæ originis, non habet ius ad eius hære-

dita-

ditatem. Sed Chriſtus non eſt perſona, extranea reſpectu Dei, quia cùm non habeat aliam perſonam, niſi ſecundam Trinitatis, ſiue conſideretur vt Deus, ſiue vt homo, ſemper dicit eamdē diuinā perſonam, cui naturaliter debetur patris hæreditas; immò (vt ſupra probauimus) etiam humanitati, ratione vnionis cùm Verbo diuino, reſultat ius ab intrinſeco, ad viſionem beatificā, gratiam habitualē, aliaque dona ſupernaturalia. Ergo non eſt filius adoptiuus Dei, vt docet D. Tho. ibid. ar. 4. Præterea eſt filius naturalis, vt mox videbimus. Ergo non eſt filius adoptiuus.

Probatur tertia, primò ex Conc. Francofordienſi, ex cuius ſacroſyllabo hæc habentur, *Secundùm carnem, videlicèt Dauid, filius dictus eſt, & non ſecundùm diuinitatem. Habes ergo quomodo de quo ſupra dixerat, quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei, non adoptiuus, ſed verus, non alienus, ſed proprius, de eo ſubiecit, dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius.* Sed hęc verba non poſſunt intelligi de Chriſto, vt denotante ſuppoſitum. Ergo aſſerunt, Chriſtum ſecundùm carnem, eſſe verum & proprium filium Dei, adeòque naturalem. An autem ex hoc ſequatur, eſſe de fide, Chriſtum vt hominem, eſſe filium Dei naturalem, & non adoptiuum, conſule Suarium dip. 49. ſect. 2. in fiine, & Gibbonem diſp. 22. dub. 4. §. 1. n. 13. qui ſequuntur partem negatiuam; cùm Gonet, Lugo, & alijs, quamuis putem, ho-

horum opinionem eſſe falſam, & in
babilem, pręſertim cùm apertè repu
epiſtolę Adriani Papę ad ep. Hiſ
centi, *Nomen paternum manifeſtauit*
hominibus, cum ſe Patris filium verum
non putatiuum, proprium innotuit, &
adoptiuum. Et vt pręcludatur aditus
interpretandi de Chriſto vt Deo, ſu
Aduertite, quia nihil vobis reſtat, vt
dùm diuinitatem tantummodò credat
xiſſe patrem, hic eſt filius meus, ſed pot
cundùm humanitatem, nempe vt hom

2. Ex Aug. qui trac. 82. in Io
Nos filij gratia, non natura; Vnigenitus
natura, non gratia. An hoc etiam in ip
ad hominem referendum eſt? Ita ſanè
dicendo, ſicut dilexit me Pater, & ego
xi vos, gratiam mediatoris oſtendit. Med
autem Dei, & hominum, non inqua
Deus, ſed inquantum homo, eſt Chri
Tùm ſic, Chriſtus inquantum homo
Auguſtinum, eſt filius Dei, non gr
ſed natura. Ergo non eſt filius adopt
ſed naturalis, vt confirmant Hyeroni
& Ambroſius, cum Gregorio Papa

3. Ad Rom. 8. dicitur, *Qui prop*
lio ſuo non pepercit, ſed pro nobis om
tradidit illum. Non eſt autem traditu
cundùm diuinitatem, ſecundùm qua
pati non poterat. Ergo ſecundum hu
nitatem, dicitur proprius, & natural
lius Dei, hoc eſt origine, & natura
non gratia adoptionis.

Probatur quarta, non potuit fili
ſul

antialis Verbi, vniri cum humani-
in Chriſto, quin illi tribueret ſuum
tum formalem primarium. Sed effe-
formalis primarius huius filiationis,
reddere ſubiectum, ſeu quaſi ſubie-
i filium Dei naturalem. Ergo quia eſt
umanitate per vnionem ſubſtantia-
, reddit illam formaliter filium Dei
ıralem, ita vt vnio ſe habeat *vt quo*, &
i ſubſtantialis filiatio Verbi ſe habeat
quod, in ordine ad hanc denominatio-
n, quę proinde habetur per relationem
ſolum Patrem æternum, cuius ſolius
filius naturalis ipſum Verbum, per
ıerationem ęternam ad intra, & ipſe
ıriſtus vt homo, eſt filius per vnionem
mporalem intrinſecam, cum ipſo Ver-
). Quia tamen fundamentum proxi-
um huius relationis tranſcendentalis
l Patrem ęternum, eſt ipſum Verbum
ı quo nulla forma de nouo poteſt ineſſe,
ecundùm realitatem, ideo hęc relatio
ſt rationis. Sicut enim per ſolum reſpe-
ctum rationis ad ſanctiſſimam Virginem,
dicitur eius filius naturalis in tempore,
& per reſpectum realem, dicitur ad intra
filius Patris æterni; ita per ſolum reſpe-
ctum rationis, humanitas illi ſubſtantia-
liter vnita, dicitur filius naturalis eiuſ-
dem Patris, & per reſpectum realem ad
Viginem, dicitur eius filius naturalis, vt
melius patebit ex dicendis.

Ad 1. Diſtinguo minorem, filius Dei
naturalis ad intra, eſt Deus, concedo, eò
quia

quia procedat in identitate eiuſdẽ diuinę naturæ, & vt patri conſubſtantialis: filius naturalis ad extra, & ſubdiſtinguo, appellando ſupra ſuppoſitum, concedo: appellando ſupra naturam, nego minorem, eò quia procedat à Deo patre, in diſtinctione naturæ aſſumptæ, per ſolam vnionem talis naturæ cum eius filio conſubſtantiali, quæ vnio cum ſit effectus temporalis, eſt à tota Trinitate, quæ indiuiſim operatur ad extra. Eſt autem impoſſibile, quòd extra Deum, fiat à Deo in tempore, nouus Deus per eſſentiam. Ergo quia humanitas Chriſti facta eſt in tempore extra Deum, non poteſt eſſe Deus per eſſentiam, determinando dictũ ad ipſam naturam, adeoque nec filius Dei naturalis, vt illi coæternus, & conſubſtantialis, ſicut verè eſt ſecundùm ſuppoſitum, in quo ſubſiſtit. Supereſt ergo quòd ſit filius Dei naturalis in alio ſenſu, quatenus videlicet cùm ſubſiſtat per vnionem intrinſecam, in ſubſiſtentia; veri filij naturalis æterni Patris, natura humana Chriſti, facta eſt per vnionem natura filij Dei, ratione cuius, non per communicationem idiomatum, ſed connaturaliter debeatur huic homini, qui dicitur Chriſtus, etiam in ſua humanitate, Patris æterni hæreditas, nempe ſanctitas, & beatitudo. Sed cui connaturaliter debetur hæreditas, eſt filius naturalis. Ergo per gratiam vnionis habetur, vt Chriſtus inquantum homo, licèt non ſit Deus,

verè,

verè, & propriè dicatur, & ſit filius naturalis Dei. Neque obſtat, quòd filius hominis ſit homo; ſiquidem hoc habetur, non per ius naturale ad paternam hęreditatem, ſed per identitatem ſpecificam eiuſdem naturæ cum patre, quod non verificatur de natura humana Chriſti, reſpectu naturæ patris, quæ pluſquam genere, & per infinitum exceſſum differt à natura humana, etiam Chriſti.

Vnde patet reſpoſio ad 2.

Ad 3. Nego conſequentiam. Quamuis enim Chriſtus vt homo ſit creatura, vt fusè probaui *in diſp. met.* adeòque reſpiciat vt authorem, & ſui cauſam totam Trinitatem; tamen quia non ſubſiſtit, niſi in perſona filij, quæ vnita eſt eius humanitati, ideo quatenus dicit perſonam compoſitam ex duplici natura, nempe diuina, & humana, reſpicit ſolum Patrem æternum, qui eſt principium ad intra talis perſonæ, reſpectu cuius, ratione vnionis hypoſtaticæ, etiam vt homo, eſt filius naturalis, modo explicato. Neque obſtat quòd fuerit conceptus virtute Spiritus Sancti. Siquidem Spritus ſanctus (vt bene aduertit Suar. hic diſp. 49. ſect. 1. ſub finem) in generatione Chriſti, non ſe habuit vt pater generans, ſed vt creator, & author ſupernaturalis, vt fuit definitum in Conc. Tolet. ij. in conf. fidei, & docetur ab Aug. lib. 2. de Trin. c. ij. Ergo in ordine ad hoc, ſe habuit indiuiſim cum patre, & filio, & illi ſolùm

lium tribuitur per quamdam appropriationem bonitatis, ratione cuius, Deus decreuit per Chriſtum, mundum ſaluare. Ergo non debet Chriſtus vocari eius filius, ſed soliùs primæ perſonæ, *quæ præter communem concurſum ad incarnationem*, eſt principium particulare proprium ad intra, ipſius perſonæ incarnatæ, quæ ſicut eſt verus eius filius, & non ſui, vel ſpiritus ſancti, ita tribuit naturę vnitę filiationem, reſpectu eiuſdem ſolius perſonæ patris.

ARTICVLVS II.

Soluuntur reliqua argumenta.

AD 4. Nego minorem, cuius falſitas patet ex dictis in prob. 2. par. Neque obſtat, quòd in Chriſto ſit gratia habitualis, quæ habet de ſua ratione formali, præſtare filiationem adoptiuam, vt patet in alijs iuſtis. Siquidem cùm filiatio propriè conueniat hypoſtaſi, vel perſonæ, non autem naturæ, vt cum alijs docet D. Tho. hic q. 23. ar. 4. & cùm in Chriſto non ſit alia hypoſtaſis, ſeu perſona, quàm diuina, cui conuenit eſſe filium Patris æterni eſſentialiter, & per ſe, ideo licèt in Chriſto ſit gratia habitualis, non tamen poteſt illum facere filium adoptiuum, & hoc ex duplici capite. Primò quia ad rationem adoptionis, requiritur eſſentialiter extraneitas perſo-

ſonę, vt dictum eſt. Et deinde quia adoptatus debet acceptari ad hæreditatem, acceptatione merè extrinſeca, & gratioſa, quæ Chriſto conuenire non poſſunt, non ſolùm quia etiam vt eſt perſona compoſita, includit filiationem Dei naturalem, per quam conſtituitur in eſſe hanc perſonam, ſed etiam quia acceptatur ad Patris hæreditatem, acceptatione quaſi intrinſeca, & connaturali, immò & debita, ratione vnionis, per quam hic homo Chriſtus non poteſt reſpui à paterna hæreditate. Ergo eſt incapax adoptionis.

Dices, eſt impoſſibile, quòd in aliquo ſubiecto detur capacitas ad formam, & non detur capacitas ad eius effectum formalem. Sed in Chriſto datur capacitas ad gratiam habitualem, quæ eſt cauſa formalis adoptionis. Ergo debet dari etiam ad ipſam adoptionem.

Reſpondeo, argumentum concludere, prò effectu formali primariò gratiæ habitualis, qui eſt eſſe principium radicale omnium virtutum, & habituum ſupernaturalium; & connaturalitatis in exercitio actuum eorum, vt dictum eſt diſp. 8. ar. 1, non autem pro eius effectu formali ſecundario, cuiuſmodi eſt adoptio, quę repugnat diuinæ perſonæ. Neque poteſt dici, quòd fuerit in Chriſto, præter diuinam, etiam perſona creata, cui conueniat adoptio. Nam hic error aduerſus Felicē & Elipandum, fuit expreſſè damnatus

in Conc. Francoford. & antea in tot alijs Concilijs, aduerſus Neſtorium, vt ſupra probauimus.

Vrgebis cum Gabriele, eſto quòd Chriſtus, vt dicit perſonam, ſit filius naturalis, tamen eſt adoptiuus, vt dicit humanitatem, quam non repugnat fuiſſe adoptatam. Ergo poteſt eſſe ſimul naturalis, & adoptiuus. Nego antecedens, primò quia adoptio non conuenit naturæ, ſed perſonę. Et deinde quia hoc fuit damnatum in eod. Conc. vt videre eſt in ep. quam miſit ad Epiſcopos Hiſpaniæ, vbi dicitur, *Quam adoptionem prauiſſimo ſenſu qui ſcripſit epiſtolam, ad Chriſti voluit transferre humanitatem*, loquendo de Elipando Archiepiſcopo Toletano: & in ſacroſyllabo eiuſdem concilij ſubditur, *Quia de B. Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptauit carnem.* Neque eſt audiendus Hurtadus, putans poſſe naturam aliquam humanam, per viam ſeminariam ſupernaturaliter produci, abſque vlla ſubſiſtentia, adeòque in ſola natura poſſe ſaluari veram filiationem. Primò quia cùm ſubſiſtentia creata ſit negatio vnionis cum alio, à quo intrinſecè, & ſubſtantialiter perficiatur, eo ipſo quòd hæc natura haberet talem vnionis negationem, eſſet in ſe ſubſiſtens; vel ſi illam non haberet, ſubſiſteret in alio, cum quo intrinſecè vniretur, nec poſſet dari medium inter hæc, nempe vniri, & non vniri. Et deinde quia ad rationem filij requiritur,

tur, quòd ſit aliquod perfectum, & completum; & ideo fruſtulum carnis per abortum emiſſum à fœmina, non dicitur eius filius. Nullum autem genitum eſt perfectum, & in ſua ratione completum, niſi habeat ſubſiſtentiam. Ergo hæc natura, ſi poſſet dari, non eſſet filia, iuxta doctrinam D. Tho. 1. p. q. 33. ar. 2. quòd filiatio ſit proprietas perſonalis.

Neque obſtat authoritas Hilarij, & Irenęi, quorum primus lib. 2. de Trin. poſt med. ait, *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*: & ſecundus lib. 3 con hær. c. 21. inquit, *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt commiſtus Verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat filius Dei* Siquidem Hilarij textus eſt adulterinus, vt docet Vaſq. diſp. 89, c. 15, eò quia in ſua primæua origine non dicat, *dum carnis humilitas adoptatur*, ſed *adoratur*: & Iereneus (vt exponit Suar. diſp. 49. ſect. 2.) non refert adoptionem in Chriſtum, ſed ad nos, ita vt faciat ſenſum, *Verbum factus eſt homo, vt homo adoptionem percipiens, fiat filius Dei*; & ideo ſubdit, *vt filiorum adoptionem perciperemus*, & clarè deducitur ex ipſo textu, vbi ly *filius Dei, filius hominis factus eſt, commiſtus Verbo Dei*, non poteſt dici de Chriſto, in ordine ad illud, *vt fiat filius Dei*. Cùm enim per ipſam vnionem, ſit filius Dei naturalis, non inidigebat adoptione, vt fieret filius Dei. Sicut enim Verbum non

eſt factus filius hominis per adoptionem, ita nec filius hominis,factus eſt filius Dei per adoptionem. Ergo debet adoptio ad nos referri, quibus per merita Verbi incarnati, facta eſt poteſtas,fieri filios Dei.

Ad 5. Nego antecedens. Nam (vt docet Gonettus hic diſp. 23. ar. 2. §. 2. ad 3. cui adhæret Gibbo diſp. 22. dub. 4. §. 3. ad 5.) verè in tali hypotheſi, Chriſtus vt homo, eſſet pater æterni filij,per gratiam vnionis, ſicut modò Chriſtus vt homo, eſt per gratiam vnionis filius æterni Patris; & ſicut Chriſtus vt homo, eſt genitus à Deo per generationem æternam, in tempore humanitati vnitam; ita in hypotheſi data,quòd prima perſona aſſumeret humanitatem, Pater vt homo, eſſet generans filium,per æternam generationem, vnitam in tempore humanitati, vt loquitur Gonet. Et ratione affert Gibbo, quia ſicut de facto ad hoc vt Chriſtus ſit filius naturalis Patris, non requiritur, quòd ſit genitus per generationem æternam; ita in illo caſu, ad hoc vt Chriſtus eſſet Pater Verbi, non requireretur, quòd Verbum procederet ab illo vt homine, per æternam generationem, ſed ſufficeret, quòd paternitas iam exiſtens in generante,vniretur intrinſecè humanitati, vt ipſe loquitur. Vnde infert Gonet. ibid. ad 4. quòd Chriſtus vt homo, eſt etiam Verbum Patris, eiuſque imago per gratiam vnionis. Et affert rationem, quia humanitas per vnionem hypoſtaticam,

cam,

cam, trahitur ad eſſe Verbi, in vnitate perſonæ, quod formaliter eſt filius Dei naturalis, & imago Patris. Ergo nulla eſt ratio, cur de Chriſto vt homine, formaliter non prædicetur vtrumque. Vnde etiam poſſet dici, quòd ſimul cum Patre, eſſet principium ſpirans Spiritum Sanctum, per gratiãm vnionis, cùm ſit eadem ratio.

Ad 6. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia filiatio æterna diuini Verbi, per modum formæ terminantis, vnitur humanitati, quæ ſe habet ad *illam inſtar ſubiecti ſuſceptiui, quod per illam perficitur*; & ideo poteſt in concreto, ſumere denominationem filij naturalis Dei. Hoc non valet, de filiatione temporali ipſius humanitatis, quæ licèt hypoſtaticè vniatur deitati, quia tamen non poteſt habere rationem formæ, reſpectu deitatis, quæ eſt incapax cuiuſcumque extraneę formæ, ideo deitas non poteſt habere rationem ſubiecti ſuſceptiui illius, adeòque ab illa denominari, accipiendo ab illa de nouo reſpectum ad ſanctiſſimam Virginem vt matrem. Ergo non eſt par ratio. Neque obſtat, quòd vi vnionis hipoſtaticæ, per hoc quòd ſilius Dei terminet intrinſecè naturam humanam, quæ eſt filius naturalis Virginis, dicatur & ipſe in concreto filius Virginis, quæ propriiſſimè eſt eius genitrix; ſiquidem hoc non habet ratione deitatis, ſed ſolùm ratione aſſumptæ humanitatis; & ideo Chriſtus

vt homo,eſt filius naturalis Virginis,non autem vt Deus, ſicut diximus in reſponſione primi, quòd Chriſtus vt homo, non ſit Deus. Et rationem affert. D. Tho.hic q. 16. ar. ij. quia videlicèt hæ particulæ reduplicatiuæ, in proprietate ſermonis, reduplicant naturam, & non ſuppoſitum, & ideo cùm naturæ in Chriſto ſint diuerſæ, quod conuenit illi ſecundum vnam, non poteſt conuenire ſecundùm aliam. Quòd ſi impropriè accipiantur, prò reduplicatione ſuppoſiti,cùm hoc ſit vnum in Chriſto, reſpectu vtriuſque naturę, vtraque propoſitio erit vera, nempe *Chriſtus vt homo, eſt Deus*: & *Chriſtus vt Deus, eſt homo*, quod tamen non admittitur à theologis, vt docet ibid. Suar. cum D. Thoma.

Ad 7. Diſtinguo antecedens, Conueniret Chriſto eſſe filium Dei,ratione humanitatis in abſtracto, nego: in concreto, concedo. Quia ergo in concreto dicit ſupra naturam humanam, diuinum Verbum, in quo ſubſiſtit, tamquàm in termino intrinſeco, quod non habent aliæ humanitates, ideo ex eo quòd Chriſtus vt homo, ſit filius Dei,non ſequitur quòd omnis homo ſit filius Dei.

Ad 8. Concedo totum, quod non facit ad rem. Neque enim dicimus, Chriſtum vt hominem, eſſe filium naturalem Dei, per tertiam aliquam generationem, diſtinctam ab æterna, & temporali, ſed per vtramque, quatenus videlicèt in-

tem-

tempore, fuit per gratiam eius humanitas vnita, generationi æternæ filij Dei, ratione cuius illi debetur connaturaliter hæreditas Patris, vt dictum eſt in prob. 3. partis concluſionis.

Ad 9. Diſtinguo antecedens, Chriſtus vt homo eſt ſeruus Dei, ſeruitute naturali, fundata in eſſentiali dependentia creaturæ à Deo, tamquam ſupremo domino, iure creationis, & conſecrationis, concedo: ſeruitute legali, qua quis iure belli, vel ratione contractus venditionis, *ſeu emptionis, in alterius venit poteſtatem,* vel *ſeruitute pænali,* qua quis ratione delicti, ſuis bonis, & iuribus ſpoliatur, & alterius ſubditur dominio, nego antecedens, & cum illo conſequentiam, eò quia ſeruitus naturalis, non pugnet cum naturali filiatione, reſpectu Dei, vt optimè probat Suar. diſp. 44. ſect. 1. ſub finem, cum qua ſolùm pugnant ſeruitus legalis, & pænalis. Et ratio eſt, quia cùm Chriſtus, etiam vt homo, nullum patrauerit peccatum, non potuit ſubijci ulli pænalitati. Ergo non potuit contrahere ſeruitutem pænalem, quæ in *ſolius pænam delicti* infligi poteſt. Neque potuit contrahere ſeruitutem legalem, quæ cùm fundetur *in iure genitum,* introducto poſt peccatum primi parentis, ratione cuius ſicut omnes filij Adæ, facti ſunt mancipia diaboli, ita poteſt vnus cadere in mancipatum alterius, non poteſt afficere, niſi filios Adæ. Quia ergo Chriſtus non de-

riuauit ab Adam per viam ſeminarian
ideo non contraxit peccatum origin
& remanſit in illa libertate naturali,
omnes homines habuiſſent in ſtatu in
centiæ, in quo nullus fuiſſet ſub alte
ſeruitute, eò quia (vt docet Aug. lib
de ciu. c 9) omnis homo natura ſ
ſit liber. Supereſt, ergo vt ſolam ha
ſeruitutem naturalem reſpectu Dei,
omnes habuiſſent in ſtatu innocent
habent omnes iuſti in ſtatu gratiæ
naturæ lapſæ, quæ cùm afficiat natur
humanam ſecundum ſe, non pugnat
naturali filiatione, quæ illi reſulta
gratia vnionis.

Dices, ſi ſerua à Domino ducatur
vxorem, non eſt amplius ſerua.
cùm natura humana fuerit eleuata a
tum filiationis naturalis, non poteſ
nere ſeruitutem naturalem; aliter i
dem ſtatu, eſſet ſimul filia, & ſerua,
repugnat. Nego conſequentiam, P
quia ſeruitus legalis, vel pænalis e
trinſeca, & accidentalis naturæ hun
Ergo ſicut potuit illi non aduenir
poteſt per gratiam Domini remou
cut accideret tali fæminæ. Seruit
tem naturalis, quia eſt creaturæ eſſ
lis, fundata in relatione tranſcend
ad Creatorem, ſicut non poteſt no
uenire, ita non poteſt remoueri,
Deus non poſſit facere, quòd aliqua
tura ſit independens à ſe. Deinde
tio naturalis Chriſti, vt eſt homo

datur in gratia vnionis. Gratia autem perficit quidem, non tamen deſtruit naturalē conditionem recipientis; aliter ſi illi fieret naturalis, & debita, amitteret rationem gratiæ; & ideo diximus diſp. 5. ar. 5. Chriſtum mereri non potuiſſe vnionem hypoſtaticam. Ergo filiatio naturalis Chriſti, vt homo eſt, tantum abeſt quòd pugnet cum eius naturali ſeruitute ad Deum, vt in illa neceſſariò fundetur, eò quia fundetur in gratuita aſſumptione naturæ humanę, quæ vt talis, eſt creatura, adeòque ſubdita Deo Et ideo Aug. ep. 178 emphaticè confirmans noſtram ſententiam, exclamat de Chriſto, *In qua infirmitate humanitatis, non ſolùm ſubditum, ſed etiam euidentiſſimè ſeruum confitemur.* Cui concinit Chyſoſtomus ſuper illa verba ad Phil. 2. *formam ſerui accipiens,* inquiens, *Sicut in forma ſerui perfectus eſt Deus; ita perfectus eſt ſeruus*. Iure igitur Cabrera penès Gibbonem diſp 22 dub. 6. ait, oppoſitum dicere, eſſe improbabile, temerarium, & periculoſum in fide, vtpote contrarium Iſaiæ 42. & 53. Zacch. 3. & Matth. 12. & ſanctis Patribus.

Vrgebis, minus pugnat cum filiatione naturali, filiatio adoptiua, quàm ſeruitus naturalis. Ergo ſi illa non poteſt copulari cum Chriſto, neque hæc. Nego antecedens. Et ratio eſt, quia adoptio eſt proprietas perſonalis, vt dictum eſt, & ideo conuenit immediatè perſonæ; ſeruitus autem non conuenit perſonæ, niſi me-

diante natura. Quia ergo in Chriſto eſt vna perſona in duplici natura, ideo cùm illa perſona ſit filius naturalis, non poteſt Chriſtus eſſe filius adoptiuus; poteſt autem eſſe ſeruus, ſecundùm naturam humanam, vt docet hic. D. Tho. q. 23. ar. 4. ad 3, Et ratio eſt, quia licèt ſeruitus legalis, iuxta ſuam primæuam inſtitutionem, ſit propria perſonæ, & non naturæ; tamen ſeruitus naturalis ad Deum, non ſolùm propriè conuenit perſonæ, ſed etiam naturæ, quia cùm tranſcendat per omnia creata, ratione ſubiectionis ad Deum in fieri, & conſeruari, non fundatur in aliqua actione ipſius creaturæ, quæ fuerit eius cauſa, vel occaſio, ſicut eſt ſeruitus legalis, quę fundatur in delicto ipſius ſerui, vel eius parentum; & ideo non eſt neceſſe, quòd ſoli conueniat ſuppoſito, vel perſonæ.

Ex quo ſequitur 1. Chriſtum poſſe abſolutè dici ſeruum, vel ſubiectum Deo, tamen nè detur anſa Neſtorianis, & Arrianis, quòd cum illis ſentiamus dicentibus, Chriſtum etiam ſecundùm ſuppoſitum, eſſe creaturam, debemus dictum determinare ad naturam humanam. Neq; obſtat, quòd abſolutè dicatur paſſibilis, & mortalis Siquidem ex vſu, & communi modo loquendi theologorum, ſemper ſubintelligitur naturæ determinatio. Sequitur 2. poſſe dici, Chriſtum ſecundum naturam humanam, eſſe ſui ſeruum, quatenus dicit diuinum ſuppoſitum.

Cùm

Cùm enim ipſe cum Patre, & Spiritu Sancto, faciat vnum creatorem, & Dominum, cui ſubiecta ſunt omnia, eſt etiam dominus naturæ humanæ, quam aſſumpſit. Non tamen poteſt dici illius pater, ſeu filius, quia cum paternitas, & filiatio ſint proprietatas perſonales, ſicut perſona Chriſti non genuit naturam humanam, ita neque ab illa genitus eſt, ad quam ſolùm ſe habet vt creator, & terminus. Sequitur 3. Chriſtum vt hominem oraſſe Deum, dum erat nobiſcum, & nunc etiam in cælo pro nobis orare. Quomodo autem id accidat, videbitur ar. ſequenti.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo Chriſtus Deum oret, & orauerit?

Videtur quòd Chriſtus numquam Deum orauerit, Primò quia oratio eſt actus deprecantis ſuperiorem, vt ſe adiuuet, & ideo non poteſt conuenire, niſi inferiori, indigenti ope alterius, cui cultum, & reuerentiam exhibet, vnde ſequitur, eſſe actum religionis, vt docet D. Tho. 2.2. q. 83. ar. 10. Sed Chriſtus, cùm ſuppoſitaliter ſit Deus, nullius ope indiget, nullique poteſt cultum exhibere; quamuis enim ſit ſuppoſitum à Patre diſtinctum, à quo procedit, non tamen

eſt ab illo deitate diſtinctus, & ideo non eſt illo inferior, cui eſt omninò eſſentialiter coæqualis. Ergo non poteſt Deum orare.

2. Nomine orationis, vel intelligitur aſcenſio mentis in Deum, cum Damaſceno lib. 3.de fide c. 24. ad quam reducuntur meditatio, contemplatio, deuotio, & ſimiles actus: vel petitio, ſeu ſupplicatio, ad quam reducuntur obſecratio, gratiarum actio &c. cum D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 7. vel voluntas, ſeu deſiderium obtinendi aliquid à Deo, ſeu ope diuina. Sed nulla ex his potuit *Chriſto* conuenire, Non prima, quia cum eius mens fuerit ab initio beata, fuit ſemper Deo vnita per viſionem clariſſimam; adeòque vt quieſcens in vltimo fine, non potuit ad illum moueri. Neque ſecunda, quia cum Chriſto fuiſſet communicata omnis poteſtas in cælo, & in terra, vt ipſemet profeſſus eſt Matth. 28. potuit ex ſe diſponere de omnibus, adeòque non indiguit ope alterius. Neque tertia, quia quæ ſunt ſub propria poteſtate, habentur pro poſſeſſis. Ergo non poſſunt eſſe obiectum deſiderij.

3. Chriſtus non ſolùm in Verbo per ſcientiam beatam, ſed etiam extra Verbum per ſcientiam infuſam, ſciebat quid eſſet, vel non eſſet futurum. Ergo nihil illi remanebat petendum, vt fieret, vel non fieret, cum independenter ab eius oratione, iam erant certò futura, & non futura.

4. Vel

4. Vel oraſſet pro ſe, vel pro alijs? Non primum, quia (vt dictum eſt diſp. 5. ar. 3.) non ſolùm ex vi vnionis, ſed etiam intuitu ſuorum meritorum, nullum præmium potuit illi à Deo negari; adeò que vt debitum, non potuit decenter orationibus impetrari. Neque ſecundum, quia ſua morte, & meritis obtinuit nobis quidquid potuiſſet poſtulationibus impetrare, vt dicitur ad Heb. 10. *Vna oblatione conſumauit in ſempiternum ſanctificatos.* Ergo neque orauit ſibi, neque alijs.

Concl. *Chriſtus in via verè, & propriè ſibi, & alijs Deum orauit, nunc autem in cælo, non ſibi, ſed nobis orat.* Eſt communis inter catholicos.

Probatur quoad primam partem, quòd ſibi orauerit, ex Io. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*: & Matth 26. *Procidit in faciem ſuam orans, & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte,* quod idem dicitur Marci 14. Quòd orauerit alijs, probatur ex Lucæ 22. *Pater ignoſce illis non enim ſciunt quid faciunt*: & Io 17. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi,* & ibid. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*: & infra, *Non rogo, vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo*: & inferius, *ſanctifica eos in veritate, &c.*

Probatur quoad ſecundam, & primò quòd Chriſtus in cælo non oret ſibi, eſt certum, quia cùm ſit in termino completo ſuæ viæ, eſt in plena, & conſûmata

poſſeſſione totius beatitudinis eſſentialis, tàm animæ, quàm corporis. Ergo ſicut alij beati non orant ſibi, quia nihil boni ſibi debiti ſperandum ſupereſt, ita & multò minus Chriſtus. Quamuis enim poſſint in dies adhùc magis clarificari, quoad cultum externum, & exaltationẽ ſui nominis, quia tamen hoc ſpectat ad eorum gloriam accidentalem extrinſecam, quam non optant, niſi vt per eam Deus magis glorificetur in illis, ideo quoad hoc pleniſſimè conformantur, cũ diuina voluntate, in cuius diſpoſitione ſuauiter conquieſcunt, & adſummum petendo directè maiorem Dei gloriam, petunt etiam aliquando ſuam extrinſecam exaltationem indirectè, quatenus per hãc illa augetur. Vt cum dicitur à martyribus. Apoc. 6 *Vindica ſanguinem noſtrum.* Deinde quod Chriſtus in cælo oret nobis, patet. 1. ex 1. Ep. Io. c 2. initio, *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Deinde ad Heb. 9. *Ieſus introiuit in ipſum cælum, vt appareat nunc uultui Dei pro nobis*; 3. Ad Rom. 8. *Chriſtus Ieſus, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; &c.* 4. Io. 14 *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit uobis*, ita vt ly *orabo*, referatur ad ſtatum Chriſti poſt eius aſcenſionem, vt probat Suar. diſp. 45. ſect. 2. Iure igitur Aug. in præfat. ad pſal. 85. loquens de Chriſto, ſedente ad dexteram Patris, inquit, *Orat in forma*

Dei

Dei, orat in forma ſerui, orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis, ut ſacerdos noſter, orat pro nobis, vt caput noſtrum, orat in nobis, oratur à nobis, vt Deus noſter.

Dices, ſi Chriſtus etiam nunc oraret prò nobis, poſſemus illum orare,, vt pro nobis oret, dicendo, *Chriſte ora pro nobis*, vt facimus cum Sanctis. Sed hoc reijcitur ab Eccleſia, quæ ſemper dicit, *Chriſte audi nos, miſerere noſtri, adiuua nos, parce nobis, &c.* Ergo non orat pro nobis, vt putant Medina, Vaſq., De lugo, & Becanus. Nego maiorem, Primò quia oratio dirigitur ad Chriſtum, vt dicit diuinam perſonam, cui non conuenit orare, ſed dare quæ petuntur. Deinde quia debemus vitare errorem Arrij, & Neſtorij negantium Chriſto diuinitatem; & ideo debemus illum orare vt Deum. Et demũ vt magis illum honoremus. Sicut enim etiam vt hominem, adoramus cultu latriæ, quia eius humanitas ſubſiſtit in diuino ſuppoſito, & non cultu hyperduliȩ, vel duliæ, debito Deiparæ, & alijs ſanctis, ita debemus noſtras orationes dirigere ad eius diuinitatem. Cȩterum ſi quis illum oraret vt hominem, poſſet etiam illum precari, vt ſuam interponẽs orationem cum noſtra, ſuaqua merita repræſentando, quæ petimus obtineat, vt probat Suar. diſp. 45. ſect. 2. in fine, ex doctrina Ambroſij ſuper cap. 8. ad Rom. & Auguſtini, quam nuper tradidimus; quamuis placeat eius monitis adhærere,

quod

quod in orationibus, Eccleſię conſuetudo retineatur.

Vnde patet reſponſio ad 1. Quamuis enim Chriſtus, vt Deus, ſit Patri ęqualis, tamen vt homo, eſt minor, & inęqualis, vt dicitur in ſymbolo S. Athan. *Aequalis Patri ſecundum diuinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* Ergo vt homo potuit Deum orare, & de facto orauit, vt dicitur Lucæ 6. *exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*; & probauimus vſque adhùc.

Ad 2. Nego minorem. Ad cuius primam partitionem, & probationem dico, quòd ſicut alij beati poſſunt plures actus exercere, pręter beatificos, vt probauimus in tr. de beat; ita & Chriſtus, adeòque licèt per viſionem, & amorem beatificos, eſſet Deo vnitus, potuit tamen ad illum aſcendere per alios actus, quibus noſtram indigentiam, & ſuum deſiderium, nobis opem præſtandi, Patri patefaceret, & defacto patefacit, vt docet Greg. Papa ſuper 5. pſal. pæn. *Quotidie Chriſtus orat pro Eccleſia, de qua teſtatur Apoſtolus, quia ſedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis.* Ad ſecundam admitto, potuiſſe, & poſſe Chriſtum ex tradita ſibi poteſtate, ſupplicũ preces exaudire, & ideo non orare, ſeu oraſſe ex defectu poteſtatis, ſed ex affectu religionis in Deum, quem vt homo non intermittit, etiam in cælo, eo modo quo etiam in humanis, licèt filius familias poſſit

plu-

plura ſe ſolo facere, nihil tamen facit, niſi de conſenſu patris, vt ſe illi magis conformet, & ſubditum patefaciat. Ad 3. Diſtinguo conſequens, non poſſunt eſſe obiectum deſiderij, reſpectu ipſius Chriſti, concedo; reſpectu noſtri, nego conſequentiam. Sicut enim Deus poteſt nobis plura bona deſiderare, vt probauimus in trac. de attributis; ita & Chriſtus; & ideo poteſt hoc ſuum deſiderium, in noſtrum commodum, Patri manifeſtare.

Ad 3. Nego conſequentiam, quia potuit Deus ab æterno decernere, vt hæc eſſent, vel non eſſent futura, cum dependentia à Chriſti oratione, vt fierent, vel non fierent. Ergo per hoc ipſum quòd per ſcientiam beatam, vel infuſam præuiderit, illa eſſe, vel non eſſe taliter futura, potuit ex amore vt fierent, vel non fierent, rogare Patrem.

Ad 4. Nego conſequentiam. Ad probationem primi membri, dico, meruiſſe quidem Chriſtum omne præmium, non tamen abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione quòd ab illo petatur, vt dictum eſt diſp. 5. Ergo multa ſibi, & nobis rogando Deum obtinuit, quæ ſine oratione nō obtinuiſſet. Ad probationem ſecundi reſpondeo, Chriſtum obtinuiſſe nobis ſuis meritis, quidquid à Deo ſperare poſſumus, ſub duplici tantum conditione donandum, nempe quòd petatur à Chriſto, & quòd à nobis eius meritorum valor applicetur. Ergo ſicut nobis eſt neceſ-

ceſſaria hæc applicatio, ita non eſt fruſtranea Chriſto eius oratio. Quòd autem hæc oratio Chriſtum vt hominen non dedeceat, probatur 1. quia licèt eſſet Deus, erat etiam homo, Deo ſubiectus, vt dictum eſt, & licèt eſſet beatus, erat etiam viator, dùm verſaretur nobiſcum, & dùm eſt in cælo, non omittit cultum religionis in Deum, quem colit, adorat, laudat, eique aſſiduò gratias agit. Ergo cùm oratio reducatur ad religionem, nulla eſt ratio, cur Chriſto etiam in cælo conuenire non poſſit. Deinde quia in omni ſtatu operatur pro ſalute hominū. Ergo cùm poſſit illam orationibus, & poſtulationibus promouere, & huiuſmodi actiones tali ſtatui non repugnent, aliter eſſet ſuperflua ſanctorum inuocatio, quod eſt erroneum, immò cùm ſint decentiſſimę Chriſto, nobis vtiliſſimæ, & Deo glorioſiſſimæ, non eſt cur illas Chriſto inficiemur.

Dices, quicumque poteſt alium orare, eſt inferior illo. Ergo poteſt ab illo recipere mandatum rigoroſum, vt aliquid faciat, vel non faciat. Atque adeò quia diſp. 10. ar. 4. diximus, Chriſto non potuiſſe fieri mandatum rigoroſum, ſequitur, quòd non ſit inferior Deo, nec poſſit illum rogare.

Nego primam, & ſecundam conſequētiam. Quamuis enim ratione inferioritatis, & ſubiectionis, inferatur capacitas ad recipiendum mandatum, quia tamen

hæc

hæc ſubiectio in Chriſto, erat coniuncta cum eius impeccabilitate, & libertate, quæ ſunt incompoſſibiles cum mandato, & non cùm oratione, ideo potuit quidē Chriſtus Patrem orare, non tamen potuit à Patre recipere mandatum rigoroſum, quod vel feciſſet illum peccabilem, vel non liberum.

Vrgebis, Chriſtus ex vi præſentis decreti, fuit ſolum volitus, vt per ſui mortem redimeret mundum. Ergo non potuit non mori, aliter potuiſſet fruſtrare decretum efficax, & abſolutum Dei, quod repugnat.

Diſtinguo primum conſequens, non potuit non mori potentia, ſimultatis, concedo: ſimultate potentiæ, nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm operationes ad extra ſint indiuiſim à tota Trinitate, cum fuit ſtatuta mors Chriſti, ad mundum, concurrit ad hoc decretum etiam Verbum æternum, ſeu filius Patris, qui proinde liberè acceptauit incarnari, & mori in natura aſſumptibili; atque adeo quia Chriſtus non dicit, niſi perſonam filij Dei, ideo vt eſt hic homo, liberè mortuus eſt. Quamuis enim non potuerit coniungere decretum Dei de eius morte, eiuſque acceptationē, cum nō morte, quod diceret potentiā ſimultatis, & faceret Chriſtum ſibi contradicentem; quia tamen potuit non concurrere ad tale decretum, & mortem non acceptare, ideo ſimul cum illo retinuit potentiam

ad

ad non moriendum, quod dicit ſimultatem potentiæ ad oppoſitum.

Dices 3. Hęc doctrina poſſet etiam valere, ad tuendũ præceptũ de morte, & ad ſaluandas phyſicas prædeterminationes Thomiſtarũ, eò quia videatur coincidere, cũ diſtinctione ſenſus compoſiti, & diuiſi. Ergo vel eſt falſa, vel nimis probat.

Nego antecedens quoad vtramque partem. Ad cuius euidentiam dico, eſſe de ratione præcepti rigoroſi, verſari in obiectum, circa quod ſubditus habeat potentiam phyſicam, ad illud faciendum, vel non faciendum, ita vt reddat illicitã actionem illi phyſicè poſſibilem circa illud, oppoſitam præceptæ, vt eſt præceptum de non occidendo innocentem, qui ſi non poſſet à ſubdito phyſicè occidi, non poſſet illi fieri pręceptum de illo non occidendo, quod eſſet non ſolùm inutile, ſed fatuitas. Quia ergo Chriſtus ratione impeccabilitatis, non poterat operari contra diuinam voluntatem, ideo per hoc ipſum quòd aliquid fuiſſet illi præceptum, eius oppoſitum euaſiſſet illi phyſicè impoſſibile, vnde ex vi præcepti, non potuiſſet illi reddi illicita vlla actio, illi phyſicè poſſibilis; adeòque præptum quia tolleret libertatem ad oppoſitum, neceſſitaret ad rem præceptam, quod repugnat rationi formali præcepti, vt dictum eſt diſp. 10. ar. 3. & 4. Hoc non valet de decreto incarnationis, quia potuit adimpleri in carne impaſſibili, vt dictum

ctum eſt diſp. 2, ar. 3. vel in paſſibili, cum præſeruatione à morte. Ergo hoc decretum non abſtulit libertatem ad oppoſitũ.

Dices 4. Hoc decretũ de incarnatione quoad ſubſtantiã, nõ potuit adimpleri, niſi per incarnationẽ. Ergo abſtulit libertatem ad oppoſitũ, adeòque poteſt dari præceptum, ſine indifferentia ad vtrumlibet.

Nego conſequentiam. Et dico, hoc decretum fuiſſe quidem determinationem abſolutam, & efficacem diuinæ voluntatis, ad ſumendam carnem, non tamen fuiſſe præceptum vllo modo. Cùm enim præceptum non poſſit imponi, niſi ſubdito, Deus feciſſet ſe ſubditum ſui ipſius, quod repugnat. Et ratio eſt, quia per hoc decretum decernitur Chriſtus quoad ſubſtantiã. Ergo non poteſt illũ afficere. Ergo ſi aliquẽ afficeret, afficeret ipsũ. Deũ. Hoc non valet de morte, quia ſuppoſito Chriſto in rerum natura, iam datur ſubditus, de quo inſtituitur quæſtio de pręcepto, quod tamẽ illi imponi non potuit, propter traditas rationes. Et præterea quia etiã hoc eſt purũ decretũ, quo filius æterni Patris, ſe liberè determinauit ad moriendum, in carne aſſumptibili. Vnde obiter confirmatur doctrina tradita diſp. 10. ar. 4. & 5. quòd Chriſtus non habuerit præceptum de moriendo, licèt Deus ſtatuerit, in illo mori, ſecundùm aſſumptam humanitatem, quæ libenter ſe tradidit morti ſacrificandam, vt ſe conformaret diuinæ voluntati, ſibi manifeſtatæ,

quæ

quę manifeſtatio ſicut potuit in ſcripturis vocari præceptum largo modo, ita eius conformitas per liberam mortis acceptationem, vocatur obedientia.

Quoad phyſicas prædeterminationes, non video quomodo poſſit ad illas detorqueri diſtinctio allata. Primò quia prædeterminatus ſe habet ad illas merè paſſiuè. Ergo ſicut non concurrit actiuè ad illas ſtatuendas, ita neque actiuè, & liberè ſubeſt illis. Deinde quia libertas ad aliquid in ſenſu diuiſo, non poteſt haberi, niſi ab illo, qui habet in ſua libera poteſtate, facere ſenſum diuiſum. Sed prædeterminatus ad amorem e. g. neque habet in ſua poteſtate, ſe diuidere ab amore, dum ſubſtat prædeterminationi, neque ab ipſa prædeterminatione. Ergo neque retinet potentiam ſimultatis ad non amandum, neque potentiæ ſimultatem, & ideo non eſt paritas.

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus orando fuerit ſemper exauditus?

Videtur non fuiſſe, 1. Quia Matth. 26. rogauit, nè moreretur, *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, loquendo de calice paſſionis. Ergo aliquid petijt, quod non obtinuit, vt nos conceſſimus diſp. 10. ar. 3. confutando doctrinam Card. De lu-

Iugo.2. Dicitur pſal.21.in perſona Chriſti, *Deus meus clamabo in dies,& non exaudies* Ergo nō in omnibus fuit exauditus.3. Orauit Luc. 22. prò crucifixoribus, *Pater ignoſce illis*, & tamen non pro omnibus obtinuit veniam.4 Mortuus eſt in cruce, vt omnes à morte liberaret, cùm plerique morti ſubiaceant æternæ. Ergo neque hoc obtinuit.

Concl. *Semper Chriſtus obtinuit, quod orando petijt à Patre, voluntate rationali, abſoluta, & efficaci, non tamen quę petijt voluntate ſenſitiua, ſeu rationali inefficaci* Ita D. Tho. hic q. 17. ar. 5. cum Suario in comment. Valentia diſp 1. q. 21. p. 2. Maſtrio diſp. 5. ar. 2. & alijs communiter.

Probatur quoad primam partem, primò ex dictis diſp. 10. ar. 5. vbi reſpondendo ad 2. attulimus diſtinctionem harum voluntatum, & quomodo fuerint in Chriſto impletæ, vel non impletæ, & conformatæ cum diuina voluntate. 2.Ex Io. ij. vbi Chriſtus volens Lazarum ad vitam reuocare, conuerſus ad Patrem dixit, *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me; ego autem ſciebam,quia ſemper me audis.* & ad Heb 5 *exauditus eſt pro ſua reuerentia.* 3. Numquam Chriſtus abſolutè aliquid à Deo petijt, & efficaciter, niſi ſciret, illud eſſe à Deo abſolutè volitum, cuius voluntati ſemper conformabatur. Ergo cum voluntas efficax, & abſoluta Dei ſemper impleatur, etiam voluntas Chri-

Chriſti, illi plenè conformis, ſemper impletur. 4. Dictum eſt, merita Chriſti eſſe infiniti valoris, ratione quorum non poſſit Deus illi negare quodcumque petierit, per modum præmij ſibi debiti, vt videre eſt in diſp. 4. ar. 1. Ergo cùm oratio ſit ſignum voluntatis illius, quod petitur, numquam in Chriſto erit fruſtranea, & non impleta.

Probatur quoad ſecundam, quia voluntas ſenſitiua, ſeu ſenſualitatis, (vt vocatur communiter cum D. Tho q. 18. ar. 6.) dirigitur ſolùm à cognitione boni ſenſibilis, quatenus videlicèt apprehendit obiectum, vt conueniens naturæ. Ergo ſicut poteſt appetere aliquid, quod licèt conueniens naturæ, ſit à Deo nolitũ hic & nunc, vt ſunt cibi vetiti, quando vrget præceptum abſtinentiæ; ita poteſt aliquid odiſſe, vt naturæ diſconueniens, licèt hic, & nunc ſit volitum à Deo, vt eſt mors in defenſionem fidei, quando fit optio à tyrannis, vt vel ſubeatur mors, vel fides deſeratur. Ergo quia hic motus ſenſualitatis, fuit relictus in Chriſto, non ſolùm vt eſſet materia victoriç, & meriti, ſed etiam vt ſe oſtenderet verum hominem, potuit per talem appetitum aliquid petere, vt fieret, vel non fieret, quod quia non conformabatur cum diuina voluntate, non debuit impleri. Quomodo autem hic motus ſenſualitatis, eſſet ſolùm contrarius diuinæ voluntati, in volito materiali, non autem in formali, & quo-

quomodo fuerit compreſſus per voluntatem rationalem ipſius, quæ ſemper fuit conformis diuinæ volutati in volito formali, vide quæ diximus diſp. 16. ar. 5. nam funditus tollunt difficultatem.

Vnde patet ſolutio primi. Siquidem Chriſtus, per illa verba, *tranſeat à me calix iſte*, oſtendit quidem, ſe aliud voluiſſe, quàm Pater, vt docet Aug. lib. 3. con. Maximin. c. 20; non tamen voluntate rationali abſoluta, & ſecundum idē formaliter, ſed ſolùm voluntate ſenſitiua, & ſecundùm diuerſam rationem. Nam Pater volebat eius mortem, vt cauſam noſtrę ſalutis, & ſub hac ratione fuit volita etiam à Chriſto, vt patet in iis, *veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat*. Et ideo Agatho Papa ep. ad 6. Synod. ab illa approbata act. 8. inquit. *Prædicamus duas eius naturales voluntates, non contrarias, ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed ſubiectam diuinæ eius voluntati*. Fuit ergo ſolùm nolita à Chriſto mors, vt horrifica, & diſconueniens inclinationi naturæ, cui petiuit non fieri hoc malum phyſicum, ſub hac ſolūm ratione conſideratum. Ex quo apparet, fuiſſe quidem voluntatum diuerſitatem, non autem contrarietatem, quia non erat circa idem, & ſecundùm eamdem rationem, vt obſeruat hic Valentia diſp. 1. q. 18. p. 2. Ergo non eſt mirum, quòd hæc petitio non fuerit exaudita, vtpote quæ proceſſit à ſo-

la voluntate ſenſualitatis, & circa obiectum diuerſimodè conſideratum, quàm fuerit à Deo volitum, & ab ipſo Chriſto per voluntatem rationalem.

Et hinc patet reſponſio ad 2. Siquidē hoc ipſum voluit Deus, vt Chriſtus aliqua peteret non impetranda, vt nobis præberet patientiæ exemplum, cum nobis eueniunt quæ nollemus, vt docet Aug. Ep. 121. ad Probam c. 14. inquiens, *Si aliquid contra quàm oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuiſſe, quod Dei, non quod noſtra voluntas habuit, minimè dubitare debemus; nam & huiuſmodi exemplum præbuit nobis mediator, qui cùm dixiſſet, tranſeat à me calix iſte, ſubiecit, non quod ego volo, ſed quod tu vis fiat.*

Ad 3. Dico, Chriſtum oraſſe pro omnibus crucifixoribus, efficaciter quidem, & abſolutè quoad hoc, vt omnibus daretur ſufficientia ad pænitendum, & veniā, ſi humiliter peterent, impetrandam, & hoc obtinuit, vt probauimus in tr. de præd. Quia tamen non omnes purificarūt conditionem, ſub qua ſola fuit illis petita venia, ideo non omnes obtinuerunt, nō ex defectu efficaciæ orationis Chriſti, ſed ex ſua culpa.

Vnde patet ſolutio quarti. Siquidem Chriſtus moriendo, & orando, omnibus impetrauit ſufficientiā ad ſalutem, non tamen omnes ſaluantur, quia nolunt ſaluari, nec Chriſtus orauit ſalutem pro no-

nolentibus, & reſiſtentibus, & ideo Io. 17. dixit, *Non pro mundo rogo,* hoc eſt pro illis, qui ſequentes mundi leges, tuas contemnunt, *Sed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt,* hoc eſt, (vt paulo ſupra ibidem expreſſerat,) *Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt, nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abſte ſunt, quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognouerunt, &c. & crediderunt, &c* Vnde ſequitur, ſemper Chriſtum obtinuiſſe, quæ voluntate rationali abſolutè, & efficaciter petijt, non tamen ſemper quæ petijt voluntate ſenſualitatis, vel inefficaciter, ſeu conditionatè. Si verò quęras, An Chriſtus indiguerit orare, ad aliquid obtinendum? Reſpondeo cum D. Tho q. 21. ar. 1. & Suar. diſp 45. ſect. 1. quòd abſolutè cùm eſſet Deus, & omnia haberet in ſua poteſtate, non indigebat orare, tamen ſuppoſita diuina ordinatione, propter congruentes rationes, ad diuinum honorem, & noſtram vtilitatem pertinentes, fuit illi expediens, vt oraret, ſicut fuit expediēs vt moreretur, licèt poſſet alijs modis mundum redimere. Et ideo Deus pſal. 1. dixit illi, *poſtula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam,* aliter non daturus, niſi media oratione, quæ proinde fuit illi neceſſaria.

Dices, voluntas ſenſualitatis non poteſt aliquid à Deo petere, nō ſolùm quia non poteſt in Deum aſcendere, quod eſt

proprium orationis, ſed etiam quia oratio deſiderat aliquid à Deo implendum, quod importat ſubordinationem ad diuinam voluntatem, & hoc ſpectat ad ſolam rationem. Ergo male dictum eſt, quòd Chriſtus orauerit appetitu ſenſitiuo, qui non fuit axauditus.

℟. cum D. Tho. hic q. 21. ar. 2. diſtinguendo antecedens, non poteſt elicitiuè, & effectiuè, ita vt oratio ſit actus elcitus ſenſualitatis, concedo: non poteſt affectiuè, & obiectiuè, quatenus videlicèt ſenſualitas obijcit, ſeu proponit rationi quod ipſa amat, & vellet, vt ratio per modum aduocatæ ſenſualitatis, petat à Deo quod eſt in appetitu ſenſualitatis, nego antecedens, & conſequentiam, quia cum diximus, appetitum Chriſti ſenſitiuum oraſſe, locuti ſumus in hoc ſenſu, quod Chriſto conueniebat. Primò vt oſtēderet, ſe veram naturā humanā ſuſcepiſſe, cū omnibus naturalibus affectibus; ſecūdò vt oſtenderet, licere homini ſecūdum naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult; & tertiò vt oſtenderet, quòd debet homo proprium affectum diuinæ voluntati ſubijcere, vt ait ibid. D. Thomas.

DIS-

DISPVTATIO XII.

De Potentia Chriſti.

CHriſtum vt Deum fuiſſe omnipotentem, non reuocatur in dubiũ, penès catholicos, & veros philoſophos, quibus conſtat, omnipotentiam, vt attributum diuinę naturæ, eſſe ab illa inſeparabilem. Solùm ergo diſputatur de Chriſto vt homine. Et quæritur primò, an ratione vnionis hypoſtaticæ, fuerit eius humanitati communicata omnipotentia? 2. An ſaltem fuerit tradita virtus patrandi miracula, producendi gratiam, & alios effectus ſupernaturales faciendi? Et demum an potuerit hęc agere, etiam in diſtans, diſtantia temporis, & loci? quorum occaſione, Iudæorum, & hæreticorum errores eliminabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſti humanitati fuerit communicata, vel ſaltem communicari potuerit omnipotentia?

VIdetur Chriſto vt homini, fuiſſe communicatam formaliter omnipoten-

tentiam, ſecundum totam eius perfectionem, tàm intenſiuam, quàm extenſiuam, vt ſomniarunt Schmidelinus quidam, alijque diſcipuli Lutheri, & Brentij, dicti Vbiquiſtæ, ſeu Vbiquetarij, vt videre eſt in lib. concordiæ, quem ediderunt Vuittembergæ anno 1580. Hi enim putarunt, ita Verbum fuiſſe vnitum humanitati, vt illi communicauerit formaliter, omnes eius perfectiones proprias diuinitatis, nempe omnipotentiam, immēſitatem, æternitatem, &c. ita vt Chriſtus vt homo, denotando naturam humanam, ſit omnipotens, omniſcius, omnipræſens, ęternus, &c. Eorum fundamenta ducuntur potiſſimùm ex praua intelligentia ſcripturarum, Vnde.

Arguunt Primo, Dicitur Io. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priuſquam mundus fieret*: Et Daniel. 7. *Poteſtas eius poteſtas æterna*: Et ad Philip. 2. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*: Et Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*: Et ad Heb. 1. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*: Et Io. 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius*: Et ad Coloſs. 2. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Et his videntur fauere aliqui SS. Patres, qui dicunt, fuiſſe humanitati aſſumptę communicatam virtutem diuinitatis, nempe omnipotentiam, vt ipſi exponunt.

2. Ex Conc. Ephes. can. 12. habetur,

Siquis non confitetur, carnem Domini viuificatricem eſſe, quia facta eſt propria Verbi, cuncta viuificare ualentis, anathema ſit. Sed viuificare eſt proprium Dei, qui ſolus poteſt ad vitam reuocare. Ergo caro Chriſti fuit deificata, adeoque accepit virtutem omnipotentiæ.

3. Verbum diuinum factum eſt homo, non per ſolam ſuſtentationem humanitatis; aliter cùm ſuſtentet omnia creata, factum eſſet omne creatum, quod eſt abſurdum. Ergo factum eſt homo, per communicationem perfectionū diuinarum, vnde dicitur homo in actu primo, quatenus poteſt humanitas ſibi vnita, vt Deus operari, per ſibi traditam omnipotentiā.

4. Cum dicitur, *hic homo Chriſtus eſt Deus, omnipotens, &c.* non facit ſenſum materialem, & identicum, nempe, *Deus ſuſtentans humanitatem, eſt Deus, omnipotens &c.* aliter idem poſſet affirmari de omnibus creaturis. Ergo facit ſenſum formalem, nempe, *Hæc humanitas aſſumpta, eſt Deus, omnipotens, &c.* aliter tolleretur hoc myſterium.

5. Communicatio idiomatum non eſt purè verbalis, ſed realis. Ergo verè per illam communicantur humanitati diuina prædicata.

6. Ita vniuntur in Chriſto natura diuina, & humana, ſicut in homine vniuntur anima, & corpus, vt dicitur in Symbolo S. Athanaſij, *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt*

eſt Chriſtus. Sed anima, & caro vnitæ ita ſibi communicant energias, vt neutra ſine alia, & non niſi per aliam operetur. Ergo etiam natura diuina, ita naturæ humanæ ſibi vnitę ſuam communicat energiã, & omnipotentiam, vt cum illa, & non niſi per illam operetur.

Concluſio, *Humanitati Chriſti non fuit communicata, nec potuit formaliter communicari omnipotentia Verbi.* Ita D. Tho. 3. p. q. 13. ar 1. Magiſter, Bonau; Durandus, Suar. & communiter alij;

Veritas primę partis elicitur ex veritate ſecundæ, cum ſit euidens illatio ad non eſſe illius, ex probatione eius impoſſibilitatis. Secunda verò probatur 1. Natura humana in Chriſto per vnionem cum Verbo, neque tranſijt in diuinam, neque fuit cum illa confuſa, vt probauimus diſp. 6. & patet expreſsè ex multis definitionibus Eccleſiæ; aliter Chriſtus non eſſet verus homo, quod eſt hęreticum. Ergo retinuit ſuas naturales proprietates. facultates, & operationes, quas habuiſſet, à Verbo ſeparata, ſicut natura diuina retinuit ſuas. Ergo cum potentia actiua ſit perfectio, vel ſaltem proprietas, naturæ, vt docet ibid. Angelicus, potentia Verbi diuini, non potuit fieri propria humanitatis, ſicut huius potentia propria, nõ potuit fieri propria ipſius Verbi.

2, Omnipotentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, adeòque eſſentialis naturę diuinæ. Ergo non poteſt formaliter communicari

municari, quin communicentur omnes aliæ diuinæ perfectiones, quibuſcum realiter identificatur. Cùm ergo Chriſti humanitati non fuerint communicatæ, nec potuerint communicari aliæ diuinæ perfectiones, nempe eſſe actum purum, eſſentialiter æternum, omniſcium, immenſum &c. nec fuit actu communicata, nec potuit communicari omnipotentia, quæ eſt ab alijs penitus inſeparabilis.

3. Eſt de ratione formali omnipotētiæ, vt extendatur ad omne creatum, & creabile, eò quia reſpiciat vt obiectum proprium adæquatum omne producibile. Sed hoc nullo modo conuenire poteſt Chriſti humanitati; aliter creaſſet mundum, & ſeipſam, quod eſt abſurdum, eò quia fuiſſet creata, & increata, præextitiſſet ſibi, fuiſſet ſui cauſa, & effectus, &c. Ergo neque potuit conuenire omnipotētia.

4. Omnipotentia eſt attributum aſeitatis, per quam metaphyſicè conſtituitur diuina eſſentia, vt probatum eſt in trac. de attributis. Ergo non poteſt conuenire, niſi enti à ſe exiſtenti, & independenti ab omni alio, & à quo omnia alia eſſentialiter pendeant. Sed hæc humanitas, cùm eſſentialiter ſit à Deo dependens, à quo facta eſt, & nullo modo poſſit habere aſeitatem, habet repugnantiam, & incapacitatem ad eius attributa. Ergo nullo modo poteſt habere formaliter omnipotentiam, licèt poſſit cum illa hypoſtaticè vniri, vnde in concreto denominetur

omnipotens,per communicationem idiomatum.

Vnde patet reſponſio ad 1; cum omnia loca ſcripturarum allata poſſint exponi, vel de Chriſto vt Deo, quatenus ab æterno accepit à Patre,cum diuina natura, etiam omnipotentiam, vel de eius humanitate in concreto, vt ſubſiſtente in Perſona diuini Verbi.

Ad 2. Dico, conuenire carni Chriſti viuificare, tam phyſicè, quam moraliter, vt eſt inſtrumentum diuinitatis vnitæ; & ideo dicitur in loco citato, *quia facta eſt propria Verbi cuncta viuificantis*, vt exprimatur, viuificare conuenire principaliter Verbo, & ſolũm inſtrumẽtaliter carnì ab illo aſſumptæ.

Ad 3. Nego antecedens, cum ſua illatione. Et dico, Verbum factum eſſe hominem, non per aliquam operationem effectiuam, ſiue conſeruatiuam, ſicut dicitur ſuſtentare res omnes; ſed per ſuam primam, atque intimam perfectionẽ perſonalem, per quam ſuſtentat naturam humanam, illam terminando, & ſubſtantialiter complendo, in eſſe hypoſtatico. Ergo cùm homo in actu primo, nihil aliud dicat, quàm hypoſtaſim, ſiue perſonam habentem humanitatem, verè Verbum factum eſt homo in actu primo: quatenus factum eſt perſona habens humanitatem, & potens operari vt homo.

Ad 4. Nego antecedens. Et dico, per has propoſitiones, *hic homo Chriſtus eſt*

Deus,

Deus, omnipotens, &c. non ſolùm ſignificari, Deum eſſe Deum, omnipotentem, &c. ſed etiam eſſe talem, vt ſuſtentantem humanitatem, per terminationem illi intrinſecam, dantem eſſe completum hypoſtaticum. Atque adeo per illas exprimitur, non ſolùm Deum eſſe Deum omnipotentem, vt ſubſiſtit in diuina natura, ſed etiam vt ſubſiſtit in humana, ita vt de cōpoſito ex duplici illa natura, ſubſiſtente in vno, & eodem diuino ſuppoſito, verè affirmetur deitas omnipotens, non quidem ratione vtriuſque naturæ, ſed ſolùm ratione perſonæ vtrique communis, quæ cùm ſit Deus, illi conueniunt diuinę proprietates.

Ad 5. Nego conſequentiam. Et dico, veram, & realem communicationem idiomatum conſiſtere in hoc, quòd vtraque Chriſti natura, vnita in eodem diuino ſuppoſito, refundit compoſito ex illis reſultanti, ſuas prædicationes eſſentiales, abſque vlla naturarum confuſione. Sicut ergo anima, & corpus denominant hominem intellectiuum, & ſenſitiuum, quã-uis anima non accipiat à corpore materialitatem, neque corpus accipiat ab anima ſpiritualitatem, & rationem intellectiui; ita natura diuina, & humana denominant Chriſtum Deum, & hominem, cum ſuis proprietatibus, quin humanitas fiat deitas, & viceuerſa; aliter naturæ in Chriſto confunderentur, quod eſt erroneum.

Vnde patet reſponſio ad 6. quod euidenter retorquetur in arguentem. Sicut enim ex eo quòd anima, & corpus vnita faciant vnum cōpoſitum, non ſequitur, quòd anima fiat corpus, & viceuerſa, & multò minus quòd corpus attingat perfectionem animæ; ita ex eo quòd natura humana vniatur cum diuina, non ſequitur quòd vna vertatur in aliam, ſeu attingat perfectionem alterius. Neque obſtat, quòd vnum ſine alio non operetur; hoc enim non confundit, ſed ſubordinat vnius operationes, operationibus alterius, vt vulgari fertur adagio, *nihil eſt in intellectu, quod priùs nō fuerit in ſenſu.* Atque adeo ſicut corpus eſt inſtrumentū animæ, dùm operatur in homine, ita humanitas eſt inſtrumentū Verbi, dùm operatur in Chriſto, retenta vtriuſque naturali conditione, cū ſubordinatione vnius ad aliud.

ARTICVLVS II.

An animæ Chriſti fuerit tradita virtus patrandi miracula, producendi gratiam, & faciendi alios effectus ſupernaturales?

VIdetur non fuiſſe illi traditam virtutem, faciendi miracula, Primò quia illa potuerunt myſticè, & moraliter exponi, vt garriunt nonnulli hæreticorum, penès Lucam Trudenſem lib 3.

con-

con. Albigenſes c. 2. quatenus videlicèt reſurrectio mortuorum, poteſt intelligi de conuerſione peccatoris, per quam fiat tranſitus à morte animæ, quæ eſt peccatum, ad gratiam, quæ eſt vita animæ:& illuminatio cæci nati poteſt intelligi de vocatione ad lumen fidei, ex tenebris gentilitatis, &c. 2. Auicenna miracula Chriſti attribuit virtuti imaginationis. 3. Alij tribuerunt illa perfectioni temperamenti ipſius Chriſti, (vt refert Michael Medina lib 2. de fide c 7.) quod nos in trac. de temperamento diſp. 2. ar. 3. diximus eſſe æquale ad iuſtitiam, & pondus. 4. Iudæi, & nonnulli Gentiles (vt refert Epiphanius hæreſi 30.) dixere, Chriſtum patraſſe miracula, non virtute aliqua ſibi indita, ſed ſuperſtitioſa applicatione nominum Dei: vel (vt alij dixere penès Arnobium lib. 1. n. 27.) magicis artibus, quas aiebant illum didiciſſe in Aegypto, quando ibi moratus fuit.

2. Videtur, non fuiſſe illi traditam virtutem iuſtificandi, & conferendi gratiam, vt putarunt Bonauentura, Albertus Magnus, & Melchior Canus, quibus adhæret Vaſquez, Primò quia hoc eſt proprium ſolius Dei Sicut enim peccator per receſſum à Deo, amittit gratiam, ita per ſolum acceſſum ad Deum, debet illam recuperare. Deinde hæc virtus vel eſſet corporea, vel incorporea? Non primum, quia non poſſet eſſe in anima Chriſti. Neque ſecundum, quia non poſ-

ſet recipi in eius corpore, adeòque in eius humanitate. 3. Vel eſſet phyſica, vel moralis? Nō primū, quia cauſa phyſica non operatur in diſtans, vt probauimus in 1. de gen. Ergo per virtutē phyſicā nō potuit in abſentibus, ſicut neque nunc è cælo poſſet producere in nobis gratiam. Si ſecundum, ergo Chriſtus ſolùm per ſuas preces obtinuiſſet à Deo peccatorum iuſtificationem, adeòque nihil ſpecialiùs habuiſſet, quàm alij Sancti, qui non proinde dicuntur iuſtificare.

3. Videtur neque habuiſſe virtutem faciendi alios effectus ſupernaturales, nēpe ambulare ſupra aquas, ſedare tempeſtates, imperare ventis, penetrare corpora, prædicere futura, rimari ſecreta cordium, &c. Nam vel hæc virtus faceret illum cauſam principalem talium effectuum, vel ſolùm inſtrumentalem? Non primum, quia humanitas Chriſti per vnionem cum Verbo, non eſt facta validior ad operandū, ſiue intenſiuè, ſiuè extenſiuè, & ideo non videbat acutius, non perfectius intelligebat ſcientia naturali, &c. Ergo cùm hi effectus ſuperarent eius phyſicas vires, non potuit ad illos extendi, vt cauſa phyſica principalis. Nque ſecundum, quia cauſa inſtrumentalis phyſica debet aliquo modo præcontinere effectus, ad quos adhibetur à cauſa principali. Cum ergo hi effectus nullo modo prçcontineri potuerint, in virtute phyſica humanitatis, non potuit hæc vla-

latenus extendi, ad eorum effectionem.

Concluſio, *Anima Chriſti inerat virtus aliqua permanens, per quam poterat phyſicè patrare miracula, efficere gratiam, alioſque effectus ſupernaturales.* Ita D. Thomas, Suarez, & communiter alij.

Probatur 1. ex multiplici loco ſacrorum codicum, vt Matth. 9. vbi Chiſtus dixit de ſe ipſo, *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet in terra poteſtatem remittendi peccata, dicit paralytico, ſurge, & ambula*: & Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: & Lucæ 8. *Noui virtutem de me exiſſe, &c.* Deinde plura miracula fecit, per phyſicum contactum, vt cum reſtituit viſum cæco, eius oculos luto liniendo, & auditum ſurdo eius aures tangendo, & reſuſcitauit filium viduæ tangendo loculum, &c. Ergo applicauit ſuã phyſicam virtutem, vt efficeret hæc miracula. 3. Definitum fuit in Epheſino can. 12. carnem Chriſti eſſe viuificatricem, vt retulimus in 1. ar. Sed hoc non poteſt verificari, niſi per virtutem aliquam illius, qua poſſet phyſicè viuificare. Ergo verè habuit hanc virtutem. 4. Spectabat ad ſummam dignitatem humanitatis aſſumptæ, vt omnes alios ſanctos ſuperaret in patrandis miraculis. Ergo cùm illi hæc patrarent, per virtutem aliquam tranſeuntem, & per modum qualitatis, debuit illi communicari virtus aliqua permanens, & per modum habitus, qua ſemper, & ad ſuum arbitrium

hæc

hæc poſſet facere,modo infra explicãdo.

Ad 1. Nego ſuppoſitum, non quia verè Chriſtus non patrauerit etiam myſticè ſimilia miracula, quæ exponuntur in argumento, ſed quia præter illa, patrauit etiam alia in ſenſu phyſico, & reali, cuiuſmodi fuit reuocatio ad vitam mortuorum, reſtitutio viſus, ſanatio ſubita illius, qui triginta, & octo annis, morbo oppreſſus, detinebatur in lecto, & tot alia, quæ non poſſunt myſticè, ſed corporaliter intelligi. Sicut enim tot ſancti verè, & phyſicè patrarunt miracula, cur hoc non debuit concedi, humanitati illi ſanctiſſimæ, à Verbo aſſumptæ? Et ideo Matth. ij. dixit Chriſtus de ſe ipſo, *Renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, &c.* vt oſtenderet, hæc miracula vt viſibilia, & alijs peruia ſenſibus, non poſſe eſſe myſtica, ſed phyſica, & realia. Ad 2. & tertium, vtpote meras fatuitates, reſponſione indignas, patet reſponſio ex ipſa experientia, qua numquam videmus, virtute imaginationis, & perfectione temperamenti, reſtitui alijs, vel vitam, vel ſanitatem, & acquiri poteſtatem, imperandi elementis, ſedandi tempeſtates, ambulandi ſuper aquas, &c Ad 4. dico, Iudęorum delirium facilè explodi, non ſolùm ex ſanctitate Chriſti, cui repugnabant magicæ artes, & ex eius diuinitate coniuncta, ratione cuius Dæmonibus imperabat, vt patet ex obſeſſis liberatis, ſed etiam ex

ipſorum Dæmonum imbecillitate, ratione cuius non poſſunt mortuos ad vitam reuocare, illuminare cæcos, reſtituere auditum, &c. Ergo multò minus poſſunt alijs huiuſmodi virtutem communicare.

Ad 1. Secundæ ſententiæ admitto, ſolius Dei eſſe remittere peccata, & producere gratiam, per modum agentis principalis, poſſe tamen conuenire etiam creaturæ, per modum cauſæ inſtrumentalis. Cùm ergo humanitas Chriſti fuerit inſtrumentum diuinitatis, vt paſſim vocatur à Sanctis Patribus, potuit hanc virtutem inſtrumentariam à Deo recipere. Cùm enim ab omnibus concedatur, aquã, & oleum in ſacramentis eleuari ad producendam gratiam, cur non potuit extra ſacramentum, eleuari humanitas coniuncta diuinitati? Ad 2. Dico, hanc virtutẽ fuiſſe ſpiritualem, & receptam in anima Chriſti, quæ eſt potiſſima pars humanitatis. Ad 3. Dico, fuiſſe phyſicam, quatenus efficiebat veros, & reales effectus, vt dictum eſt, non tamen quatenus proueniebat ex viribus proprijs humanitatis. Ad illationem, quòd cauſa phyſica non operatur in diſtans, reſpondeo primò, hoc eſſe verum de cauſa phyſica inſtrumentali, naturaliter operante, non verò de ſupernaturaliter operante. Cùm enim hæc ſecunda ſit inſtrumentum diuinitatis, quæ eſt vbique, operando cũ illa, non operatur in diſtans, eò quia eius cauſa principalis, qua mouetur, non diſtet

ſtet paſſo, vt videmus in ſacramentis matrimonij, & pænitentiæ, quæ producunt gratiam ſine phyſico contactu. Deinde dico, non eſſe neceſſarium contactum rei, ſed ſufficere contactum virtutis, vt patet in igne, qui calefacit etiam abſens, per calorem præſentem, qui eſt eius virtus. Quia ergo Chriſti humanitas, vt inſtrumentum coniunctum diuinitatis, etiã e cęlo operatur in nobis gratiam, per cõcurſum ſimultaneum, ideo licèt diſtet quoad entitatem, non tamen diſtat quoad virtutem.

Vnde patet reſponſio ad 3. Quòd ſi quæras, quid ſit in Chriſto hæc virtus patrandi miracula? Reſpondeo, nihil aliud eſſe, quàm potentiam obedientialem actiuam, per quam humanitas Chriſti conſtituitur remotè, & radicaliter potens efficere operationes ſupernaturales, & diuinam ordinationem, per quam ſtatuit Deus, habere ſemper paratum auxilium ſupernaturale, & gratioſum concurſum illam eleuantem, & applicantem ad agendum, per quod completur in eſſe potentiam proximam talium effectuum, vt docet Suarius in 3. p. tom. 1. diſp. 31. ſect. 5. Vnde ſequitur primò, hanc virtutem eſſe partim intrinſecam, & partim extrinſecam humanitati Chriſti, adequatè tamen intrinſecam ipſi Chriſto, quatenus dicit naturam diuinam, & humanam, ſubſiſtentes in eadem Perſona Verbi. Deinde, hanc virtutem remotè conſideratam

tam eſſe in omnibus hominibus, non tamen proximè, quia Deus non ſtatuit concurrere cum omnibus,ad effectus ſupernaturales. Tertiò, eſſe in Chriſti humanitate,modo quodam nobiliore, quam in omnibus alijs Sanctis, quatenus Deus non ſtatuit,veluti ex pacto, concurrere cum alijs, ad nutum eorum,ſicut ſtatuit cum tali humanitate, in qua proinde hæc virtus eſt permanens, & per modum habitus, in alijs verò eſt fluens, & per modum qualitatis tranſeuntis. Demum, hanc virtutem eſſe entitatiuè,& ſubiectiuè naturalem, formaliter autem ſupernaturalem,quatenus completur per modum operandi indebitum, & per auxilium ſupernaturale, per quod eleuatur ad huiuſmodi effectus perpetrandos, per modum cauſę purè inſtrumentalis, ſubordinatæ diuinitati coniunctæ, quæ ſola per illam operatur,vt vera,& adæquata cauſa principalis.

Quæres.I. An Chriſti humanitas fuerit cauſa gratiæ,collatę Sanctis Patribus tempore præcedentibus? Reſpondeo,fuiſſe quidem cauſam moralem, quatenus Deus contulit illis gratiam, per fidem Chriſti præuiſi, non verò phyſicam,cùm ſit impoſſibile,cauſam phyſicam non exiſtentem operari. Sicut ergo Chriſtus antequam exiſteret, non habuit gratias gratis datas, nempe prophetiæ, linguarum, ſanitatum, &c. ita neque habuit gratiam operationum ſupernaturalium,producẽdi gratiam, &c. Quæ-

Queres 2. An nunc Chriſtus per actiones, quas fecit in mundo, det nobis gratias? Reſpondeo eodem modo, nempe non phyſicè, ſed moraliter, cùm id quod fuit, & non eſt, non poſſit phyſicè operari, licèt poſſit moraliter, vt remanens obiectiuè in mente Dei.

DISPVTATIO XIII.

De Prædeſtinatione Chriſti.

CVm confecimus librum de Prædeſtinatione Sanctorum, ſtatutum à nobis fuerat, inſerere hanc diſputationem cum alijs, quæ inueniuntur abundè tractatæ in tali opere: Quià tamen quæſtionum copia vſque adeo volumen locupletauit, vt typographorum iudicio (quod experientia didici quàm ſit exiguum) videretur excedere limites talis formæ, ideo nè molis magnitudine redderetur in ſe informe, & legentibus odioſum, ſatius duximus illud aliqua ex parte quæſtionibus exonerare, quas proinde ita reſecuimus, vt ſingulas ad ſuos proprios tractatus remiſerimus. Atq; adeo quia hæc diſputatio ſpectat ad materiam de Incarnatione dominica, ideo hùc tamquam ad proprium locum illam tranſtulimus. In eius autem exactione, ſi aliquando in ea, quæ ab initio diximus, redire videamur, non ſit legenti grauoſum, quandoquidem quæ materiæ ſublimitate excedunt noſtrum captum, prùdenter iterum, atque iterum agitantur,

vt

vt repetitis explicationibus, ſi medullitus penetrari non poſſint, ſaltem ad rationabilem intelligentiam reducantur. Tria igitur in quæſtionem reuocabimus. Primum eſt, an Chriſtus fuerit prædeſtinatus, ante præuiſum Adæ peccatum? Alterum, an fuerit prædeſtinatus ex præſcientia ſuorum meritorum? Et tertium, an Chriſti prædeſtinatio fuerit cauſa noſtræ prædeſtinationis ad gratiam, & gloriam?

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſtus fuerit prędeſtinatus, ante præuiſum Adæ peccatum?

VIdetur quòd ſic, vt propugnant omnes Scotiſtæ, quibus accedunt nonnulli alij. Hoc autem probant 1. multiplici teſtimonio ſcripturarum, vt Prou. 8. *Dominus poſſedit me* (loquitur Sapientia incarnata) *antequam quidquam faceret, &c.* Io. 17. *Clarifica me Pater claritate quam habui apud te, priuſquam mundus fieret.* Ad Coloſs. 1. Chriſtus dicitur *primogenitus omnis creaturæ.* Cap. 2. ad Heb. *Propter quem omnia, per quem omnia, &c.*

2. Ex Patribus. Nam Aug. lib. 1. de nuptijs c. 21. ait, *coniugium etiam in ſtatu innocentiæ, ſi homo non peccaſſet, futurum ſacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia.* Irenæus lib. 3 c. 33. ſub in. *Cùm enim praexiſteret ſaluans, oportebat & quod ſal-*

ſaluaretur fieri , vt non vacuum ſit ſaluans. Et Cyrillus lib 5. thes. c 8. *Chriſtum ante nos profundatum, vt in ipſo omnes ſaluemur.* Ergo fuit prædeſtinatus ante Adæ peccatum.

3. Rationibus, quarum aliquas examinabimus ar. ſequenti , & alias examinauimus diſp. 2.

Concluſio , *Chriſtus fuit prædeſtinatus poſt præuiſum peccatum Adæ , licèt potuerit etiam ante prædeſtinari .* Ita communiter Thomiſtæ , quibus accedunt plures Recentiores, vt dictum eſt diſp. 2. ar. 1.

Probatur prima pars (nam de ſecunda non eſt diſſenſio penès auctores , vt probauimus diſp.2. ar. 3.) Primò quia omnes diuinæ ſcripturæ clamant,Chriſtũ veniſſe in mundum, vt homines redimeret à captiuitate peccati originalis , vt Lucæ 5. *non veni vocare iuſtos , ſed peccatores ad pænitentiam* : Et c. 19. *Venit filius hominis quærere,& ſaluum facere quod perierat.* Io: 3. *Non miſit Deus filium ſuum , vt iudicet mundum , ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Idem dicitur Matth. 18. ad Galat. 4.Et 1. ad Timoth. 1.& alibi paſſim. Quibus motum Concilium Nicenum iuſſit recitari in Symbolo fidei,*qui propter nos homines,& propter noſtrã ſalutẽ deſcẽdit de cælis,&c.* Et ideo, nõ ſolùm ab Angelo dictum fuit ; *natus eſt vobis hodie Saluator,* ſed à tota Eccleſia, communi omnium conſenſione vocatur Redemptor, & Saluator mundi . Ergo finis primarius eius

prædeſtinationis fuit ad redemptionem, hominum, adeoque ſuppoſuit Adæ peccatum.

2. Aug. ſer. 8. de verbis Domini, Lucæ 19. *Venit filius hominis, &c.* ait, *Ergo ſi homo non peccaſſet, filius hominis non veniſſet.* & ſerm. 19. *Nulla fuit cauſa veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicina cauſa.* Et Athanas. ſerm. 3. con. Arrian. *Neceſſitas, indigentiaque hominis prior eſt, quàm eius natiuitas, qua ſublata, carnem non induiſſet.* Et his concinunt Ambroſius, Nazianzenus, Leo Magnus, Gregorius Papa, Cyrillus, Chryſologus, & alij.

3. Rationibus. Primò quia demiſſio diuinitatis, qua tranſijt ad formam ſerui, non potuit eſſe aliquid per ſe expetibile ipſi Deo, licèt eſſet maximê expetibile humanę naturæ, quæ ad tantam ſublimitatem euehebatur. Ergo non fuit Deo expetibilis incarnatio, niſi vt medium ad aliud per ſe expetibile, cuiuſmodi fuit oſtenſio ſuæ miſericordiæ, in redimendis hominibus à peccato. 2. Ex ordine executionis arguitur ordo intentionis. Sed executio aduentus Chriſti, tota ordinatur ad redemptionem hominum, vt patet ex ortu, vita, & morte Chriſti. Ergo non poſſumus hinc arguere, niſi primarium finem, propter quem fuit prædeſtinatus, eſſe ad ſatisfaciendum pro Adæ peccato. 3. Si Deus in Chriſti prædeſtinatione

re-

reſpexiſſet pro fine primario perfectionem vniuerſi,ex ordine hypoſtatico, debuiſſet aſſumere naturam perfectiorem, nempe Angeli perfectiſſimi in ordine ſupremo, & non humanam, quæ inter intellectuales eſt infima. Præterea debuiſſet Chriſtum mittere initio mundi, vt eius aduentus Angelorum beatitudinem, quàm mereretur, præueniret. Sicut enim quia meruit hominum beatitudinem, nullum admiſit ad regnum, niſi poſt eius aſcenſionem, ita feciſſet cum Angelis. Ergo non reſpexit hunc finem, ſed ſolam hominis redemptionem à captiuitate peccati. Alias rationes attulimus diſp. 2. ar. 1.

Ad 1. Dico, locum prouerbiorum eſſe exponendum de ſapientia increata,ſeu de Chriſto ſecundum diuinitatem, per quam facta ſunt omnia, non autem ſecundum humanitatem, quæ & ipſa facta eſt. Neque obſtat, quòd ly *poſſedit* verſum fuerit per *creauit* à 70. interpretibus,nam aduertit Hyeronimus ep 136. ad Cyprianum præsbiterum, in Hebræo eſſe verbũ *poſſedit*,nec poſſe ſuſtineri verbum *creauit*, niſi accipiatur in ſenſu improprio, nempe quòd ſemper filius fuerit in Patre, & Pater in filio. Vide aliam ſolutionem diſp. 2. ar. 2. ad 2.& elige quã volueris.

Ad locum Io: Dico, Chriſtũ petiiſſe à Patre, vt clarificaretur in hominibus, hoc eſt vt cognoſceretur eius diuinitas, iuxta illud Apoſtoli, *Dominus Ieſus Chri-*

ſtus

ſtus in gloria eſt Dei Patris. Ad locum Col. Dico, Ghriſtum dici primogenitum omnis creaturę, non quòd eius humanitas fuerit genita ante omnia creata, ſed quòd ſecundùm diuinitatem omnia præceſſerit, vt dicitur Eccles. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam,* Et ideo ſubdit Apoſtolus loco citato, *quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, &c Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, &c.* Vnde patet reſponſio ad vltimum locum ad Heb.

Ad 2. Nego conſequentiam. Ad Auguſtinum Dico, illum eſſe exponendum, non de ſtatu innocentiæ ſimpliciter ſed de illo vt comparato cum ſtatu futuri peccati. Et facit ſenſum, quod ſi homo diu perſeueraſſet in innocentia, adhùc in illo ſtatu matrimonium fuiſſet ſignum vnionis Chriſti venturi cum Eccleſia, ſicut nunc eſt poſt eius aduentum, quod non fuiſſet, ſi ſtatus innocentiæ nullum dixiſſet ordinem ad fututum lapſum, nã in illo caſu, matrimonium fuiſſet quidem ſignum vnionis viri cum fœmina, & Dei cum anima, non tamen Chriſti, qui non fuiſſet futurus, cum Eccleſia. Quare ly *ſi homo non peccaſſet*, non debet accipi vt dicit negationem peccati ſimpliciter, ſed vt dicit eius priuationem pro tali tempore, denotantem futuritionem pro ſubſequenti. Vide aliam ſolutionem diſp. 2. ar. 1. ad 3 & fortaſsè ſolidiorem.

Ad locum Irenæi Dico, probari per illum totum oppoſitum. Si enim Chriſtus non fuit prædeſtinatus, niſi ad ſaluãdum hominem, vtique eius prædeſtinatio debuit præſupponere lapſum hominis, à quo illum ſaluaret. Aliter Deus præparaſſet pharmacum ante morbum, & Redemptorem ante captiuitatem, quod repugnat perfectioni diuinæ prouidentiæ, res non diſponentis, niſi cum præordinatione ad ſuos fines. Quando ergo ait, *cum præexiſteret ſaluans, oportebat fieri ſaluandũ*, licèt ſit improprius modus loquendi, debet exponi de præexiſtentia temporanea Chriſti, ſecundùm Perſonalitatem diuinam, deſtinatam ad hoc munus à Deo Patre, non autem de præexiſtentia naturę, ſecundũm eius humanitatem, quæ nõ fuit Verbo prædeſtinata, niſi ex pręuiſione peccati.

Ad locum Cyrilli Dico, ly *ante nos*, eſſe exponendum de reali creatione; & facit ſenſum, quòd antequam nos crearemur, ex præuiſione æterna noſtri peccati, fuit Chriſtus prȩordinatus ad noſtrum remedium, non autem quòd noſtra prȩordinatio, in mente diuina fuerit poſterior natura, ad Chriſti præordinationem. Et ideo ait, Chriſtum fuiſſe profundatum, hoc eſt conſtitutum, tamquàm fundamentum noſtræ ſalutis, vt exprimeret, quòd ſicut iactio fundamenti præſupponit efficacem, & abſolutam intentionem domus, ita prædeſtinatio Chri-

 ſti

ſti preſupponit efficacem intentionem hominis, non obſtante præſcientia, quòd eſſet peccaturus.

ARTICVLVS II.

Soluuntur argumenta petita ex rationibus.

OB. 1. Dicitur in Trid. ſeſs. 6 c. 7. ſub initium, *huius iuſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna.* Sed finis eſt priùs volitus, quàm media. Ergo cùm noſtra iuſtificatio, ſit medium ad gloriam Chriſti, hæc eſt priùs volita, quàm illa.

Diſtinguo minorem, ſi ſermo ſit de fine, qui ſit ſibi volitus, concedo: ſi de fine alteri volito, nego minorem, & conſequẽtiam, iuxta doctrinam fusè traditam in tr. de prædeſt. diſp. 3. ar ij ad 1. Quia ergo Deus vult ſibi gloriam, & Chriſto, prouenientem ex noſtra iuſtificatione, ideo quatenus ipſe eſt finis *cui* vltimus, & vniuerſaliſſimus omnium creaturarum, priùs vult ordine intentionis, talem gloriam ſibi, quàm Chriſto, vt creaturæ, quia licèt velit, vnum eſſe propter aliud, non tamen vult vnum propter aliùd, ſed vtrumque ordinat ad ſeipſum. Vult ergo Chriſtum, vt medium ad noſtram iuſtificationem, tamquam *finem qui,* & ipſam iuſtificationẽ noſtram per Chri-

ſtum

ſtum habitam, vt medium ad gloriam Chriſti, vt *finem cui* proximum, vtrumque propter ſeipſum, vt *finem cui* vltimum. Sicut ergo Rex vult Ducem propter pugnam, ſeu vt medium ad victoriã, per pugnam referendam, & vult ipſam pugnam cum victoria, vt medium ad gloriam, & triumphum Ducis, cum mutua cauſalitate inter Ducem triumphantem, & victoriam, cum hæc ſit, *finis qui*, & ille *cui*, reſpectu ipſius Regis, volentis vnum eſſe propter aliud, & vtrumque propter gloriam ſui, & regni ſecuritatem; ita proportionaliter Deus ordinat Chriſtum, ad noſtram iuſtificationem, vt finem *qui* reſpectu noſtri, & Chriſti, quatenus nos iuſtificatos ordinat ad Chriſti gloriam, cum mutua cauſalitate, in ratione finis *qui*, & *cui*, quæ omnia tandem terminantur ad Dei gloriam, vt fusè expendimus diſp. 2. ar. 2. ad. 5.

Ob 2. Dicitur ad Rom. 8. *Quos præſcinit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*. Ergo prædeſtinatio Chriſti, eſt cauſa exemplaris noſtrę prædeſtinationis, adeòque eſt prior. Ergo non eſt facta ex præuiſione peccati Adæ.

Nego poſtremam conſequentiam. Ex eo enim quòd Chriſti prædeſtinatio ſit prior noſtra, non ſequitur quòd non fuerit ex praeſcientia peccati Adæ. Nam poſt hanc præſcientiam, potuit Deus nullum hominem prædeſtinare, cùm omnes perijſſent. Ergo quia ex ſua infinita miſe-

ſericordia, decreuit Chriſtum in noſtrũ remedium, vtique eius prædeſtinatio præceſſit noſtram, non tamen præuiſionem peccati Adæ.

Ob 3 Si Chriſtus fuiſſet prædeſtinatus ex præuiſione peccati, eſſet bonum per accidens, & occaſionatum. Sed hoc repugnat excellentiæ, & dignitati ipſius, quæ ſuperat omne creatum, ratione vnionis hypoſtaticæ cum Verbo. Ergo non fuit prædeſtinatus ex præuiſione peccati.

Nego minorem. Sicut enim non repugnat diuinitati, quòd deſtinetur ad terminandam in ſua *hypoſtaſi naturam* humanam, nec naturæ Angelicæ, quòd deſtinetur ad hominum cuſtodiam, qui ſunt illis tantò imperfectiores, ita non potuit dedecere ſummam Chriſti excellentiam, quòd ordinaretur ad redimendam, & eleuandam naturam humanam. Immò per hoc ipſum fuit aucta, & glorificata dignitas Chriſti, quia cùm hoc opus non poſſet fieri, niſi à Perſona infinitæ dignitatis, & maieſtatis, hinc maximè elucet eius diuinitas, & ſublimatio humanitatis ad ordinem hypoſtaticum. Neque officit quòd ſit bonum occaſionatum; nam hæc occaſio fuit à Deo præuiſa ab æterno, & volita eius permiſſione, viſoque peccato inde reſultante, ex eius infinita miſericordia, fuit ab æterno in eius remedium Chriſtus prędeſtinatus. Vnde non infertur, Chriſtum eſſe bonum per accidens, quia licèt ſtatutus fuerit ex peccato, quod ſim-

ſimpliciter potuit non eſſe in ſe ipſo, non tamen potuit non eſſe, prout ſubſtabat diuinæ præſcientiæ. Præterquamquòd Chriſtus eſt per ſe tantum bonum, vt licèt ex vi præſentis decreti, fuerit volitus in ordine ad aliud, potuerit tamen ex vi alterius decreti, eſſe ſimpliciter per ſe volitus, vt probauimus diſp. 2. ar. 3.

Ob 4. Etiamſi Adam non peccaſſet, adhùc erat neceſſarius eius aduentus, vt noſtra merita eleuarētur ad æqualitatem cum præmio beatitudinis. Ergo etiam ex vi præſentis decreti, non fuit Chriſtus prædeſtinatus *ex præuiſione peccati*; quia adhùc illa non poſita, fuiſſet motiuum ſufficiens ad Chriſtum prædeſtinandum.

Nego conſequentiam. Quamuis enim ad hunc finem potuiſſet valde conducere aduentus Chriſti, quia tamen hic finis non fuit debitus naturæ intellectuali creatę, ideo non fuiſſet conueniens, ad illum promouendum, Verbum incarnari, eo quia Deus ex infinita ſua bonitate, potuiſſet conferre talem dignitatem creatis meritis, vt acquirerent ius, licèt imperfectæ iuſtitiæ, ſufficiens tamen ex eius acceptatione gratuita, ad gloriam conſequendam. Diſpar eſt ratio de peccato, quod cum priuet Deum honore ſibi debito, dat illi ius rigoroſū, vt ſibi perfectè ſatisfiat, quod cum non poſſet præſtari per vllam puram creaturam, diuina miſericordia ſubſtituit diuinum Verbum, vt pro hominibus plenè ſatisfaceret, nè

omnes homines ſoluendo imperes, perirent in æternum

Ob. 5 In creaturarum molitione, Deus non habet alium finem, niſi ſuam gloriã, quæ illi reſultat ex communicatione, & oſtenſione ſuæ bonitatis. Sed hic finis magis promouetur in Chriſto, quàm in omnibus alijs. Ergo non potuit illum velle propter alia; aliter voluiſſet quod eſt fini propinquius, vt medium ad id, quod eſt remotius fini, quod non conuenit agenti, ordinatiſſimè operanti.

Nego conſequentiam. Primò quia ſi eſſet vera, Chriſtus poſito *mundo*, fuiſſet ſimpliciter neceſſarius, nec Deus potuiſſet nolle, Verbum incarnari, quod eſt erroneum, eò quia incarnatio nòn fuiſſet opus miſericordiæ, ſed iuſtitiæ naturalis, exigentis fieri id, ſine quo Deus non eſſet agens perfectiſſimum. Deinde quia finis non debet conſiderari, vt eſt talis ſimpliciter in ſe, ſed vt cadit in agentis intentionem, cùm plerumque agens velit finem, non per id, quod eſt illi propinquius ſecundùm ſe, ſed per id quod magis illi accedit, ſecundum ſuam intentionem. Quia ergo noluit ſe communicare creaturis, perfectiſſimo modo ſibi poſſibili, aliter debuiſſet facere creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum, ideo elegit ſibi hunc ordinem creaturarum, in quo non contineretur ordo hypoſtaticus, qui ſolùm fuit volitus occaſione peccati, vt ſibi fieret reſtitutio abla-

ablati honoris, per ſatisfactionem æqualem. Ergo quia Chriſtus, non poſito peccato, non potuit ad hunc finem appropinquari, qui in tali hypotheſi non ſuiſſet intentus, ideo illi fuit ſolùm appropinquatus in eo ordine, qui fuit conſtitutus ex peccato, per cuius poſitionem, Deus acquiſiuit ius, ad ſatisfactionem ſibi debitam, quod priùs non poſita offenſa, non habuiſſet, & per conſequens non præconcepiſſet hunc finem, ad quem Chriſtus redderetur neceſſarius, tamquam vnicum medium, ad reſtituendum Deo ablatum, & faciendam cum illo æqualitatem.

ARTICVLVS III.

An Chriſtus fuerit prædeſtinatus ex præſcientia ſuorum meritorum?

VIdetur non fuiſſe. Primò quia vel eſt ſermo de prædeſtinatione ad gratiam, vel de prædeſtinatione ad gloriam? Sed Chriſtus neutram meruit. Ergo non potuit ex meritorum, præſcientia ad illas prædeſtinari. Minor probatur, nam vel loquimur de gratia vnionis, vel de habituali? Non primum, quia fuit omninò gratuita. Neque ſecundùm, quia cùm fuerit data Chriſto, in primo conceptionis inſtanti, præceſſit omne eius meritum. Meritum autem debet eſſe priùs tempo-

re, quàm præmium. Ergo neutram promeruit. Idem dicendum de gloria animæ eſſentiali quæ titulo connaturalitatis, reſultantis ex vnione cum Verbo, debebatur eius animæ. Ergo non meruit ad gloriam prædeſtinari.

2. Vel meruiſſet per actus procedentes à gratia habituali, vel per actus illam præcedentes? Non primum, quia principium meriti non poteſt eſſe præmium, eorum actuum, qui ab illo deriuant, aliter eſſet cauſa, & effectus eiuſdem, quod repugnat. Neque ſecundum, quia erroneum eſt dicere, animam *Chriſti* fuiſſe, aliquo tempore ante vniorum hypoſtaticam, & ſpoliatam gratia habituali. Ergo nullis actibus illas mereri potuit.

Pro reſolutione plura, eaque grauiſſima deberêt examinari, nempe an Chriſtus potuerit ſibi mereri, vel meritis tempore, ſeu natura antecedentibus, vel ſaltem concomitantibus gratiam vnionis? 2. An ſibi meruerit gloriam eſſentialem? 3. An glorificationem animæ, & corporis? 4. An gratiam habitualem? Et alia huiuſmodi, quæ longam exigunt diſputationum indaginem. Quia tamen hæc abundè tractauimus diſputationibus præcedentibus, nè eadem repetamus, hic tantùm pauca ſubnectemus.

Concluſio, *Quamuis Chriſtus fuerit prædeſtinatus ad gloriam ſui corporis, & exaltationem ſui nominis, ex præſcientia ſuorum meritorum, non tamen ad gloriam eſſentialem*

ani-

animæ, gratiam habitualem, & vnionem hypoſtaticam.

Probatur, Chriſtus non potuit prædeſtinari ad aliquid, ex preſcientia meritorum, ad quod non extenduntur eius merita. Sed merita Chriſti extendũtur quidem ad gloriam ſui corporis,& ſui nominis exaltationem, non tamen ad gloriam animæ eſſentialem, & vnionem hypoſtaſticam. Ergo non potuit ex tali preſcientia, niſi ad illa duo prædeſtinari. Conſequentia eſt euidens. Maior patet, ſiquidẽ merita, vt ſunt in diuina præſcientia,non habent maiorem vim, quàm habeant vt ſunt in ſe. Ergo ſi vt ſunt in ſe, non extenduntur ad gloriam eſſentialem, vnionem hypoſtaticam, & gratiam habitualem, neque extenduntur,vt ſũt in diuina præſcientia. Minor, in qua eſt tota difficultas, Probatur quoad primam partẽ affirmatiuam,contra Caluinum negantẽ, Chriſtum ſibi aliquid meruiſſe; Chriſtus defacto ſibi meruit gloriam ſui corporis, & ſui nominis exaltationem. Ergo fuit ad illas prædeſtinatus ex præſcientia meritorum. Conſequentia eſt euidens, cùm Deus nihil conferat in tempore, quod ab ęterno non ſtatuerit ſe conferre, eo modo, & ordine, quo confert. Sed in tempore Chriſto contulit hæc, propter eius merita. Ergo ab æterno ex eorum præſcientia, ad hæc Chriſtum prædeſtinauit. Antecedens probatur.

1. Ad Heb. 2, *Vidimus Ieſum propter paſ-*

ſionem mortis, gloria, & honore coronatum. Et Lucæ 24. *Nonne oportuit, pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et ad Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, terreſtrium, cæleſtium, & infernorum, &c.* Et pſal. 109. *De torrente in via bibet* (hoc eſt de calice paſſionis) *propterea exaltabit illum.* Quibus adhærens Aug. trac. 104. in Io: ait, *Humilitas claritatis meritum, claritas humilitatis eſt præmium.* Ergo Chriſtus meruit ſui corporis gloriam, & nominis claritatem.

2. Qui ſuis actionibus ſe reddit dignũ aliquo præmio, illud meretur. Sed Chriſtus ſuis actionibus ſe reddidit dignum, vt eius corpus glorificaretur, & nomen exaltaretur, vt dicitur Apoc. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, ſapientiam, & fortitudinem, honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quod autem hæc dignitas illi conueniat ratione mortis, & operum, dicitur ibidem, ante allata verba; *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es.* Ergo meruit vtramque.

Probatur ſecunda pars, omne meritum eſt ad obtinendum id, quod non habetur, cùm nemo dicatur mereri id, quod iam habet; aliter poſſet homo mereri ſuam animam, & ſuam vitam, quod eſt abſurdum. Sed Chriſtus à primo inſtanti ſuæ

con-

conceptionis, habuit vnionem hypoſtaticam cum Verbo, viſionem beatificam,& plenitudinem gratiæ habitualis, & numquam fuit ſub earum priuatione. Ergo illas non meruit, ſed habuit à Deo, titulo connaturalitatis, vt docet D. Thomas, & nos probauimus diſp. 5. ar. 3.

Pręterea, omne eius meritum fuit ex vnione, & gratia habituali. Ergo vnio,& ipſa gratia habitualis, vt ſpectant ad principium meriti, non potuerunt cadere ſub merito, operationum ab ipſis deriuantium.

Vnde patet reſponſio ad obiecta. Et *hæc dicta* ſufficiant pro hac quæſtione, quam fuſè, & pro dignitate tractauimus loco nuper citato.

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus nobis meruerit prædeſtinationem ad gratiam,& gloriam?

VIdetur non meruiſſe, vt docent Scotiſtæ, cum ſuo magiſtro in 3. d. 19. vnica §. *in iſta quæſtione*, qui omnes dicũt, executionem quidem vtriuſque prædeſtinationis, cadere ſub meritum Chriſti, quia per Chriſtum datum eſt nobis, quidquid gratiæ, & gloriæ datum eſt, tamquam per cauſam meritoriam, non tamẽ prædeſtinationes ad gratiam,& gloriam, quæ fuerunt à pura, & liberali Dei vo-

luntate, qui nullis præcedentibus meritis, ſiue Chriſti, ſiue noſtris, ordine intentionis, ſtatuit nobis dare gratiam, & gloriam, non tamen executiuè conferendas, niſi per merita Chriſti. Eorum fundamenta ſunt.

1. In ſacris paginis prædeſtinatio, ſiue ad gratiam, ſiue ad gloriam, appellatur opus liberalitatis, & miſericordiæ, vt ad Ephes. 1. *Prædeſtinauit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Et ad Rom. 6. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Ergo non eſt opus iuſtitiæ. Sed ſi Chriſtus illam meruiſſet, cùm eius merita ſint infiniti valoris, eſſet opus iuſtitiæ. Ergo illam non meruit.

2. Chriſtus fuit purus executor paternorum decretorum, vt dicitur Io: 17. *Rogo pro eis, quos dediſti mihi, &c. Pater ſancte, ſerua eos, quos dediſti mihi, &c. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo ex eis periјt, niſi filius perditionis.* Ergo ſicut non meruit primam acquiſitionem electorũ, ita neque meruit eorum electionem, ſed ſolam cuſtodiam, quæ ſpectat ad ordinem executionis. Et ideo ibid. antea dixerat, *manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abſte ſunt.* Quomodo autem ſunt à Patre, niſi quia ab illo eſt eorum electio, & prædeſtinatio? Ergo hæ non ſunt à Chriſto.

3. Præ-

3. Prædeſtinatio noſtra fuit facta, ante præuiſum Adæ peccatum. Ergo non fuit ex meritis Chriſti. Probatur conſequentia, Chriſtus non fuit prædeſtinatus, niſi ad reparandum Adæ peccatum. Ergo eius prædeſtinatio non potuit fieri, ante præuiſionem talis peccati. Sed cauſa debet præcedere ſuum effectum. Ergo prædeſtinatio Chriſti non potuit influere in noſtram prædeſtinationem. Antecedens ſupponitur vt certum ab omnibus illis, qui tenent prædeſtinationem illam arbitrariam, antecedentem omnem præſcientiam meritorum, vt oppoſitam reprobationi negatiuæ.

4. Adę peccatum impediebat diuinam prędeſtinationem ad gloriam, nè conſequeretur ſuum effectum. Ergo Chriſtus non fuit prędeſtinatus, vt nos prędeſtinaret, ſeu mereretur, nos prędeſtinari, ſed vt tòlleret obijcem peccati, quod ſpectat ad ordinem executionis.

5. Merita Chriſti non ſunt à Deó volita, niſi vt media ad noſtram ſalutem, Ego ſupponunt efficacem, & abſolutam voluntatem talis finis. Conſequentia patet, quia *qui* ordinatè vult, priùs vult finem, quàm media. Antecedens probatur, ideo enim Deus voluit reparari peccatum Adæ, quia volebat efficaciter eorum ſalutem, quos ab ęterno prędeſtinauerat. Ergo merita Chriſti fuerunt volita vt media. Sed medium eſt quidem cauſa finis in ordine executionis, non autem in

or-

ordine intentionis. Ergo in tali ordine nõ fuerunt cauſa noſtrę prędeſtinationis, ſed potius eius effectus.

6. Prędeſtinatio Chriſti fuit exemplar noſtrę prędeſtinationis, vt docet Aug. c. 15. de prędeſtinat. SS. Sed prædeſtinatio Chriſti nullam habuit cauſam ex parte ipſius, vt dictum eſt ar. 3. Ergo neque noſtra. At ſi Chriſtus nobis illam promeruiſſet, haberet cauſam ex parte noſtri, eò quòd nobis Chriſtus contuliſſet, ius ad illam. Ergo nobis illã non meruit.

Concluſio, *Chriſtus meruit nobis omnes prædeſtinationis effectus, hoc eſt gratiam, & gloriam, adeòque ipſam prędeſtinationem, non quòad entitatem materialem actus diuini, ſed quòad eius terminationem ad extrinſeca.* Eſt communis inter Thomiſtas, quibus accedunt D. Bonau; Molina, Vaſq. Valentia, & alij.

Probatur 1 Dicitur Io: 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, & *gratiam pro gratia*, hoc eſt non ſolùm ipſam gratiam, ſed etiam omnia bona ſupernaturalia, vt exponit Aug trac. 3. in Io: Et ideo ſubditur, *quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas, per Ieſum Chriſtum facta eſt*, vt oſtenderet Apoſtolus, Chriſtum non fuiſſe tantum promulgatorem, & diſpenſatorem gratię, ſicut fuit Moyſes legis, ſed etiam factorem, in genere cauſę meritoriæ; & ideo nõ dicitur, *gratia data eſt*, ſed *facta eſt*. Et hæc eſt ratio, cur Paulus ad Ephes. 1. dicat, *Benedictus Deus, &*

Pa-

Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto, hoc eſt per Chriſtum, iuxta expoſitionem Ambroſij, & diui Thomæ. Cùm ergo omne bonum ſupernaturale, ſit ſpiritualis benedictio, omne huiuſmodi bonum nobis conceditur per Chriſti merita, tamquam per cauſam moralem efficientem. Et nè videretur excluſa electio ad gloriam, ſtatim ſubdit, *ſicut elegit nos in ipſo; ante mundi conſtitutionem.* Et vt explicaret, particulam *in* accipi cauſaliter loco, *per*, ſubdit, *Qui prędeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuę.* Paulo concinit Petrus act. 4 *Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat, nos ſaluos fieri.* Ergo noſtræ ſalutis prędeſtinatio fundatur in meritis Ieſu Chriſti.

2. Dicitur 2. ad Timoth. 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quę data eſt nobis in Chriſto Ieſu.* Et loco cit ad Ephes. 1. *In qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* Ergo Chriſti ſanguis meruit nobis, non ſolũ liberationẽ à maſſa perditionis, ſed etiam vocationem ad gloriam, quæ conſumatur iuſtificatione finali, data per Chriſtum, vt docet Tridentinum ſeſs. 6. c. 2. & 3. Et c. 4. initio ſubditur, *Quibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinua-*

nuatur; vt tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adę, in ſtatu gratię, & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorē noſtrum. Vnde elicio aliud argumentum, & eſt huiuſmodi.

3. Chriſtus ſuis meritis reparauit totam ruinam, quam nobis fecit Adam peccando. Sed Adam amiſit nobis gratiam, & gloriam. Ergo Chriſtus nobis vtramque reſtaurauit, merito ſuperexcedenti illius demeritum, vt dicitur 1. ad Timot. 1. *ſuperabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide, & dilectione, quę eſt in Chriſto Ieſu*. Et alibi, *ut ubi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia*. Neque obſtat quòd reparatio iacturę videatur ſupponere antecedentem poſſeſſionem, cum amitti non poſſit quod non poſſidetur. Ex quo videtur poſſe inferri, Chriſtum non meruiſſe nobis gratiam, & gloriam, ſed solùm remotionem obijcis, qui tardabat executionem prædeſtinationis antecedentis, vt dicitur in quarto argumento contrario. Siquidem Chriſtus vtrumque meruit, & primò prædeſtinari, per merita exiſtentia in diuina pręſcientia, & ablationem obijcis, per merita in ſe exiſtentia, vt patebit in reſponſione quarti.

4. Merita Chriſti, ratione principij theantrici, ex quo fluunt, ſunt infini valoris. Ergo potuerunt extendi, non solùm ad omnes effectus noſtrę prædeſtinationis, ſed etiam ad omnia dona ordinis ſuper-

na-

naturalis. Ergo defacto ad illa fuerunt extenſa. Probatur hæc conſequentia, Primò quia vt caput, & primogenitus omnium prædeſtinatorum, debuit in alios, vt membra ſpiritualem vitam communicare, ſaltem vt cauſa meritoria; & vt Redemptor, conuenientiſſimum fuit, vt dirigeret ſua merita ad omnia, quę ſpectant ad ordinem redemptionis, & noſtrę prędeſtinationis. Deinde ratione filiationis naturalis Dei, fuit tantę dignitatis, & excellétiæ, vt meruerit quidquid in ſe nō repugnat, vel eſt diſconueniens ſuo ſtatui. Sed quòd Chriſtus meruerit nobis hęc omnia, non ſolùm ipſi non repugnat, neque in ſe, ſed ſummam illi affert venerationem, & gloriam. Ergo cùm in ſacris paginis omnia referantur ad ipſum, dicendum eſt, hęc omnia meruiſſe.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiecta, & confirmatur doctrina.

AD 1. Diſtinguo maiorem, dicitur opus miſericordię, reſpectu noſtri, concedo: reſpectu Chriſti, nego maiorem. Et ſub eadem diſtinctione admiſſa minori, quòd videlicèt prędeſtinatio ſit opus miſericordię, reſpectu noſtri, non autem reſpectu Chriſti, nego conſequentiam. Neque enim eſt abſurdum, quòd idem

dem opus per diuerſam comparationem, ſit ſimul iuſtitiæ, & liberalitatis; ſiquidem ſi Caius teneatur ad centum, & non ſit ſoluendo, & Titius ſoluat pro illo, extinctio talis debiti eſt purè liberalis, reſpectu Caij, qui nihil ad illam influit, non tamen reſpectu Titij, qui poſuit æqualitatem.

Dices, in caſu allato tota liberalitas eſt à Titio, qui ſoluit centum, ad quæ non tenebatur, non autem à creditore, cui facta eſt ſolutio de toto rigore iuſtitiæ. Ergo ſi Chriſtus extinxit chirographum noſtri debiti, quod contraximus cum Deo per peccatum, tota liberalitas eſſet ex parte ipſius, qui cum peccatum non fecerit, ad nihil tenebatur, non autem ex parte Dei creditoris, qui voluit ſolutionem ex iuſtitia. Quomodo ergo diceretur *miſerentis Dei*, cum potius deberet dici, miſerentis Chriſti?

℞. Dupliciter poſſe Titium ſoluere pro Caio, nempe ex proprijs, & ex acceptis ab ipſo creditore. In primo caſu liberalitas eſt adæquatè ex parte ipſius, non autem in ſecundo, in quo accepit, vt ſoluat. Cùm ergo Chriſti humanitas gratioſè fuerit à Deo ſublimata ad vnionẽ hypoſtaticam, quam nullo modo potuit promereri, (vt docet Aug. c. 15. de præd. SS. & nos probauimus ar. 3.) ad hoc vt poſſet pro nobis ſatisfacere, vt dictum eſt ar. 1; hinc euidenter ſequitur, quòd ſolutio noſtri debiti fuerit à Chriſto, non

vt

vt puro medio à Deo adhibito, ſed vt à cauſa, vt docet diuus Tho 3. p. q.56. ar, 1. ad 4. poſſe autem ſoluere fuerit à Deo. Ergo licèt ſolutio fuerit executiuè, & cauſaliter à Chriſto, tamen primordialiter fuit à ſumma liberalitate, & miſericordia Dei, qui contulit ad illam principium, & facultatem, docente Apoſtolo 1. ad Cor 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*, hoc eſt iuſtificatio eſt veſtra, quia in vobis, & pro vobis operatur; illam autem accepiſtis à Chriſto; & Chriſtus ad illam vobis largiendam, à Deo accepit poteſtatem. Vt ergo ſiſtamus in exemplo, ſi neque Titius habeat centum, illaque accipiat à creditore Caij, non determinatè, vt ſibi ſoluat (hoc enim eſſet adhibere illum, vt purum medium ſolutionis) ſed vt poſſit ſoluere, vel per illa, vel per aliqua obſequia ſibi liberè exhibẽda, vtique extinctio debiti refundi debet immediatè in Titium, mediatè tamen, & primordialiter in ipſum creditorem, qui ex vna parte voluit ſolutionem de rigore iuſtitiæ, quam poterat condonare, & ex alia vt exerceret cum Caio hanc ſpecialem beneuolentiam, contulit Titio eius amico poteſtatem, vt poſſet extinguere debitum, vel pecunia ſibi donata, vel obſequijs exhibendis. Idem dic de Chriſto. Quomodo autem liberè prò nobis mortuus fuerit, ſtante Patris mandato de eius morte, eſt alia difficultas, quam ſolui-

uimus diſp. 10. ar. 3. & ſequentibus :

Ad 2. Nego antecedens, Et dico, multa fuiſſe à Deo relicta arbitrio Chriſti, ſpectantia ad hominum ſalutem, & electionem ad gloriam, vt patet ex Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: Ecce ego vobiſcum ſum, uſque ad conſumationem ſæculi*. Quę verba licèt protulerit poſt reſurrectionem, tamen eſt valde probabile, quòd tunc accepit ſolum plenitudinem poteſtatis, quam limitatam habuit, dum verſaretur in terra. Ad loca adducta dico, prædeſtinatos dici datos Chriſto à Patre, non quòd Chriſtus ad eorum prędeſtinationem non influxerit, ſed quòd primordialiter, & in radice fuerit à ſolo Deo, qui ex pura ſua miſericordia, ſtatuit reparare genus humanum, ad quod decretum nihil influxerũt merita Chriſti, ſicut neque ad decretum de eius incarnatione. Ad hoc dicendum adducor Primò, quia Phil. 2. Dicitur, *factus obediens uſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Ecce quomodo dicitur donatum nomen, quod fuerat retributum, accipiendo nomen, non per comparationem ad principium proximum, cui debebatur, ſed per comparationem ad principium radicale, quod fuit gratioſè collatum. Quia ergo conferenti principium merendi, poſſunt iure tribui, non ſolùm opera meritoria ex illo deriuantia, ſed etiam præmium illis

cor-

correſpondens, ideo noſtra prædeſtinatio tribuitur Deo, non tamen cum excluſione Chriſti, qui fuit principium proximum illius. 2. Quia dixit Chriſtus Io: 15. *Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos, & poſui uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat*. Quod repetit infra, *ego elegi uos de mundo*. Ergo erat in poteſtate Chriſti, eligere quos vellet, & quorum vellet prædeſtinationem obtinere, vt dicitur Pſal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Demum quia dicitur ad Ephes. 1. *Elegit nos in Chriſto, ante mundi conſtitutionem*, hoc eſt *per Chriſtum*, vt ſupra probauimus. Ergo electio ad gloriam eſt quidem effectiuè à Deo, ſed meritoriè à Chriſto, cui proinde proximè tribuitur, docente Auguſtino c 7. de corrept. & grat. *Illos ergo elegit, ad obtinendum regnum ſuum*, hoc eſt illos, quos voluit, vt exponit D. Tho. lect. 1. ſuper cap. 1. ad Ephes.

Ad 3. Nego antecedens, cùm oppoſitum ſtatuerimus in tr. de prædeſt. diſp. 3. ar. 2. Quia ergo etiam prædeſtinatio Chriſti, fuit poſt præuiſum Adæ peccatum, vt probauimus diſp. 2. ar. 1. potuit influere in noſtram prædeſtinationem, modo ſupra explicato. Et ratio a priori affertur a Trid. ſeſs. 6. c. 16. *Chriſtus Ieſus, tamquam caput in membra, & tamquàm uitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter uirtu-*

autem influit. Sed caput, & vitis influunt in membra, & palmites, quoad omnes,& ſingulas eorum actiones vitales. Ergo etiam Chriſtus influit in omnia bona ſupernaturalia, quæ ſunt in nobis, & nihil eorum eſt, quod ab illo non pendeat.

Ad 4. Nego conſequentiam. Et dico, quòd Adæ peccatum, ſicut poſitum in actu, impediebat aſſecutionem gloriæ,ita vt præuiſum impediebat efficacem electionem ad illam. Quomodo enim Deus efficaciter eligeret aliquos ad gloriam, quam numquã eſſent conſecuturi? Chriſtus ergo non ſolùm per merita in actu exercito, remouit obijcem ad aſſecutionem gloriæ,ſed etiam per merita in actu ſignato, ſeu vt præuiſa, remouit obijcem ad efficacem electionem gloriæ, impellendo Deum ad illam, quam prçuidebat fore per illum expediendam. Ergo non ſolùm in ordine executionis, ſed etiam in ordine intentionis, fuit cauſa moralis, ſeu meritoria illius.

Ad 5. Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, verum eſſe, quòd Deus ideo voluerit, reparari peccatum Adæ, quia volebat efficaciter, a ſe electos conſequi gloriam. Nego tamen,hanc voluntatem fuiſſe priorem præſcientia meritorum Chriſti. Sicut enim non fuit prior præſcientia propriorum meritorum, eorum quos elegerat, ita & multò minus fuit prior præſcientia meritorum Chriſti, vnde illa prima merita erant digni-

fi-

ſicanda. Voluit ergo Deus merita Chriſti, non vt purè media noſtræ ſalutis, ſed etiam vt eius cauſam, ſeu (vt alij dicunt) vt concauſam. Ergo neminem prædeſtinauit, independenter ab illis, ſed ſolùm per illa, & propter illa, adeo vt nullum fuiſſet ad gloriam electurus, niſi præuidiſſet, ſe rogandum à Chriſto, & illos tantùm ſelegerit, pro quibus præſciuit, Chriſtum rogaturum, quos ideo Chriſto dedit, quia voluit ſe conformare cum eius voluntate, cuius inclinationem prȩuidit. Quia ergo prædeſtinatio Chriſti, non fuit ex noſtra prȩdeſtinatione, ſed potius noſtra fuit ex illa, ideo Chriſti prȩdeſtinatio non fuit effectus, ſed cauſa noſtrȩ prȩdeſtinationis.

Neq; obſtat, quòd prȩdeſtinatio Chriſti fuerit ad noſtram ordinata. Siquidem quod ad aliud ordinatur vt eius cauſa, non poteſt eſſe eius effectus. Quis enim dicat, ſolem ex eo, quòd ſit ordinatus ad rerum generationes, eſſe earum effectū, & non cauſam? Et idem valet de moralibus. Si enim aliquis Populus rebellauerit, & clemētiſſimus Princeps, volens ex vna parte iuſtitiȩ ſatiſfieri, & ex alia nolit rebellium excidium, mittat ſuum primogenitum ad illos, cum ampliſſima facultate, vt illos ad fidem reducat, ſi filius amore illorum inductus, velut ſuum, delictum ſibi imputans, ſacco indutus, veniam pro illis humiliter petat, & obtineat à Patre, vtique erit cauſa illorum

ſa-

ſalutis, licèt eius miſſio, ad illam fuerit ordinata.

Dices, Rex non miſiſſet filium ad rebelles, niſi habuiſſet intentionem illos ſaluandi. Ergo preces filij fuerunt purum medium executiuum paternę voluntatis

Diſtinguo antecedens, niſi habuiſſet intentionem abſolutam illos ſaluandi, nego: conditionatam, ſi à filio rogaretur pro eis, concedo antecedens. & nego conſequentiam, eò quia filius purificaſſet illam conditionem, ſine qua voluntas ſaluandi non fuiſſet abſoluta. Idem dico de Deo, viſo Adę peccato, ob infinitam ſuam miſericordiam, concepit votum illum ſaluandi, non tamen abſolutum, ſed purè conditionatum, ſi à ſuo filio à ſe mittendo prò illo ſatisfieret, eo modo, & tempore, quo ſibi placuiſſet. Venit filius, & ſatisfaciendo purificauit conditionem, ſub qua diuina voluntas illum prędeſtinauerat. Ergo fuit cauſa, vt diuina voluntas prędeſtinatiua conditionata, tranſierit in abſolutam, quę propriè dicitur prędeſtinatio, adeòque fuit cauſa noſtrę prędeſtinationis. Quia tamen non fuit cauſa illius voluntatis conditionatę antecedētis, vnde accepit vim, & efficaciam eius ſatisfactio, ideo diximus ſupra, noſtram prædeſtinationem primordialiter eſſe à Deo, & proximè à meritis Chriſti, eleuantibus noſtra merita, ad illam promerendam.

Vrgebis, Chriſtus, ſtante Patris manda-

dato, eiuſque impeccabilitate, non potuit non purificare illam conditionem, obediendo Patri. Ergo ideo obediuit, quia Pater ad id adegit.

Nego antecedens. Quomodo autem potuerit Chriſtus ſeruare Patris mandatum, non purificata ſtatuta conditione, vt ſaluetur eius libertas, vidimus diſp. 10. ar. 3. & ſequentibus.

Ad 6. Primò nego conſequentiam. Cùm enim prædeſtinatio Chriſti, fuerit ſolùm exemplar ætherogeneum noſtrę, cùm illa ordinetur ad filiationem naturalem, & noſtra ad adoptiuam, ex illa non valet conſequentia ad noſtram. Deinde, intantum dicitur communiter cum Auguſtino, Chriſtum non meruiſſe ſibi, ſuam prędeſtinationem, ad gratiam vnionis cum Verbo, inquantum hæc erat eius prima gratia, fundamentum, & principium omnium aliarum, quod (vt toties diximns) non potuit eſſe ſub merito. At reſpectu noſtri hoc non valet, quia Chriſtus dependenter à prima gratia ſibi liberaliter data, potuit nobis mereri noſtrã primam gratiam, quę licèt non cadat ſub merito recipientis, non tamen repugnat, quòd cadat ſub merito alterius. Semper enim eſt gratuita recipienti, licèt ſit debita alteri illam merenti, vt ſupra dictũ eſt. Ergo ex eo quod prędeſtinatio Chriſti ad filiationem naturalem, ſit purè gratuita, non ſequitur, quòd etiam noſtra, reſpectu ipſius, ſit gratuita, licèt ſit re-

ſpectu noſtri. In quo aduertendum eſt quòd quando dicimus, eſſe purè gratuitam reſpectu noſtri, loquimur de prædeſtinatione ad primam gratiam, quę nullis noſtris pręcedētibus meritis datur, non autem de prædeſtinatione ad gloriam, & gratias ſubſequentes, reſpectu cuius, etiam ex parte noſtri aſſignauimus cauſam vt dictum eſt, *in tract. de prędeſt. diſp 9. ar. 3*

Ad complementum huius difficillimę quæſtionis, agendum eſſet de diuinis pręfinitionibus, vt ſtatueretur, an Deus præfiniat, ſingulos prędeſtinatos, ad certa merita, & certos gradus gloriæ? Sed quia ſolutio pendet à multis alijs tractatibus, ideo nè miſceamus tot quæſtiones in vnam, ſatiùs duximus illam alibi examinare, *vt fecimus in tract. de diuina voluntate, quē adiunximus* tractatui de intellectu, & ſcientia Dei.

Atque hæc dicta ſufficiant pro hac materia, quę vt omnia cedant in honorem, & gloriam Dei, libentiſſimè ſubijcio iudicio, & cenſurę S. Romanę Eccleſię.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I N:

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur in tractatu de Incarnatione.

Accidens. Poſſunt plura ſolo numero differentia eſſe ſimul in eodem ſubiecto. 167. Non fuerunt aſſumpta à Verbo 289.

Actio. Specificatur à principio *quo.* 363. Et aliquando etiam à principio *quod.* 364.

Actio incarnatiua. Facta eſt à tota Trinitate. 227. Eius terminus totalis *qui* fuit Chriſtus, formalis verò, ſeu *quo* fuit ſola vnio hypoſtatica. 228.

Actus. Non poteſt idem eſſe ſimul neceſſarius, & liber. 167. & 169. & 170. Licèt poſſit eſſe intuitiuus, & abſtractiuus. 169.

Adoptio. Quid ſit. 400. Non conuenit naturę, ſed perſonæ. 408.

Antichriſtus. Quomodo dicatur caput malorum. 328.

Appetitus rationalis. Potuit in Chriſto difformari diuinæ voluntati. 394.

Appetitus ſenſitiuus. Fuit in Chriſto. 393. Etiam difformis diuinæ voluntati. Ibid.

Appetitus fugiendi mortem. Non fuit

vitioſus in Chriſto. 367. & 392.

B Eati. Vident omnes creaturas poſſibiles, nec Deum comprehendunt. 349.

Beatitudo. Fuit collata Chriſti animæ ab initio. 337. Eius redundantia in corpus fuit impedita. 338. Excludit potentiam proximam peccandi. 359.

Bona omnia, quę nobis contulit Deus, meruit nobis Chriſtus. 478.

C Apilli. Fuerunt immediatè aſſumpti. 288.

Charitas fuit in Chriſto. 319.

Chriſtus. Liberè mortuus eſt. 40. & 387. & 425. Potuit non mori phyſicè, & moraliter. 388. Et ſeqq. Quomodo dicatur primogenitus creaturarum. 55. Venit ad mundi redemptionem. 51. Licèt veniſſet etiam Adamo non peccante. 63. Non venit ad redimendos angelos. 70. Venit primariò aduerſus originale. 71. Et ſecundariò aduersùs actualia ab illo deriuantia. 72. Non veniſſet, Eua ſola peccāte. 73. & 75. Defacto meruit ſibi, & nobis. 163. Erat ſimul viator, & comprehēſor. Ibid. Non erat perfectè beatus. 164. Non habuit libertatem contrarietatis, ſed contradictionis. Ibid. Merebatur vt homo Deus. 165. Per omnes Actus proprios viatoris. Ibid. Nempe per actum charitatis in Deum, directum à ſcientia infuſa. 166. Et per dilectionem hominum. 168. Et per omnes actus liberos etiam naturales. 170. Et multo

ma

magis per mortem. 171. Non meruit ſibi gratiam habitualem. 174. Neque beatitudinem eſſentialem 176. Tamen potuit mereri vtramque . 177. Si ab initio non habuiſſet. 178. Meruit gloriam ſui corporis , exaltationem ſui nominis, iudiciariam poteſtatem, &c. 181. Non tamen vnionem hypoſtaticam. 188. Seu eius reparationem 196, Licèt meruerit corporis reſurrectionem. 197. Et reunionem humanitatis cum Verbo. Ibid. Eſt verus homo. 222 Et verus Deus. 223. Et creatura 227. & 251. Non eſt vnus vnitate naturæ, ſed perſonæ. 229. Quomodo ſit vnus maſculinè, & in neutro . 249. Secundùm quod homo, non eſt Deus . 253. Neque perſona. Ibid. In quo profecerit. 315. Eſt caput totius Eccleſię. 322. Non tamen illi ſubordinatur. 324.

Chriſtus vt homo. Ab initio fuit comprehenſor. 337. Et viator 339. Habuit ſcientiam creatam infuſam. 339. Et acquiſitam. 340 Et experimentalem. 341. Non potuit errare. 344. Neque habere ignorantiam. 345. Numquam ſibi contradixit. Ibid. Scit diem finalis iudicij. 346. Etiam dormiens videbat Deum. 347. Habuit ſpeciem impreſſam Trinitatis 349. Et impeccabilitatem. 355. Eſt filius Dei, non adoptiuus. 400. Sed naturalis. 401. Per reſpectum rationis ad patrem. 403. Non tamen eſt Deus. 404. Seu filius Spiritus Sancti. 405. Eſt creatu-

ra.405. Et ſeruus Dei.413. Licèt ſit ſuppoſitaliter Deus.431.

Chriſtus vt Deus. Non eſt filius naturalis Virginis. 411.

Chriſtus vt viator Orauit ſibi, & nobis.419.Sed vt comprehenſor orat nobis, non ſibi. Ibid. Non tamen dicitur, ora pro nobis. 421.

Chriſtus orans. Obtinuit nobis omne ſperabile. 423. Non ſemper omnia obtinuit. 429 Quomodo fuerit exauditus. Ibid.

Chriſtus vt eſt hic homo. Creauit mũdum. 365. Non fuit neceſſitatus ad redimendum mundum. 396. Fuit bonum occaſionatum, non tamen per accidens.460.

Chriſti anima, Fuit vera,& realis.290. Non fuit priùs Vnita Verbo, quàm corpori. 295 Fuit ab initio beata. 338. Et viatrix. Ibid. Habet virtutem faciendi miracula. 445. Et producendi gratiam. 447 Etiam in Sanctis Patribus. 449.

Chriſti corpus. In quo ſenſu dicatur templum. 226 Cur in triduo mortis non dimiſit vnionem hypoſtaticam. 281. Non fuit phantaſticum, ſed verum. 290. Totum fuit aſſumptum. 291. Simul cum anima. Ibid.

Chriſti gloria. Cur ſit finis noſtræ iuſtificationis. 57.

Chriſti exiſtentia. Eſt duplex. 250.

Chriſti filiatio. Non eſt adoptiua. 400. Sed naturalis. 401.

Chriſti humanitas. Ex vnione ſumit in-

infinitatem. 129. Fuit aſſumpta vt viuens. 216. Fuit ſanctificata ſanctitate Verbi. 302. Et gratia habituali. 305. Habet ſcientiam creatam. 332. Non poteſt intelligere per increatam. 333. & 334 Non potuit peccare, ad expellendam vnionē hypoſt. 358. Etiam ſine viſione. 361. Nō fuit mundi creatrix. 365 Non habuit vllum reatum pœnæ. Ibid. Neque fomitem. 366. Licèt peccaſſet ante vnionem. 367. Vt aſſumpta non eſt Dei ſerua 383. Petijt diſpenſationem à morte, & non impetrauit. 372. Potuit ſine peccato difformari diuinæ voluntati. 393. Non eſt omnipotens. 438. Viuificat inſtrumentaliter. 440.

Chriſti libertas ad moriendum. Non ſaluatur per varia placita theologorum, quæ latè refelluntur, 370. & ſeqq. Quomodo ſaluetur. 379.

Chriſti merita. Nō fuerunt ſimpliciter infinita, ſed ſolum ſecundùm quid. 121. Non tamen phyſicè, ſed moraliter 126. Quomodo ſint inter ſe inæqualia. Ibid. Et non petant actu præmium infinitum. 128. Fuerunt in actu primo infiniti valoris intenſiuè, & extenſiuè. 145 In actu ſecundo fuerũt finita extēſiuè, & intēſiuè infinita. Ibid. & 316. Nō ex fauore extrinſeco, ſed ex propria condignitate. 146. Per vnionem cum Verbo. 147. Et ex pacto habuerunt ſummam efficaciam, & inimpedibilitatem. 150. Non accipiunt præmium, niſi ad libitum ipſius Chriſti. 151. Non

extenduntur ad gratiam habitualem, vnionis, & gloriam eſſentialem. 174. & 465. Quid meruerint ipſi Chriſto 181: Et nobis 470

Chriſti natura. Eſt realiter duplex. 222.

Chriſti eſſe. Eſt vnum ſubſtantiale completum. 251.

Chriſti miracula. Fuerunt phyſica, & myſtica. 446.

Chriſti obedientia. Vide, obedientia Chriſti.

Chriſti perſona. Vide, Perſona Chriſti.

Chriſti prædeſtinatio. Fuit poſt præuiſum Adę peccatum 453 Quamuis fuerit prior noſtra. 459. Quomodo fuerit ex præſcientia ſuorum meritorum. 464. Fuit cauſa noſtræ prædeſtinationis 478. Cuius fuit cauſa exemplaris ætherogenea, & non omogenea. 481.

Chriſti ſatisfactio. Fuit ex ſe ſuperabundans in actu primo. 143 Et æqualis in actu ſecundo. 145. Fuit ab homine Deo. 147. Non potuit à Deo reſpui. 148. Plus amatur à Deo, quàm odio habeatur offenſa. 149 Fuit de toto rigore iuſtitiæ. 153 Qua ratione fuit ad alterum. 154. Et ex proprijs 155. Et ex bonis, quæ non eſſent ſub dominio creditoris. 156. Vel alio titulo illi debitis. 158.

Chriſti ſcientia. Vide ſcientia Chriſti.

Chriſti virtus patrandi miracula. Quid ſit 448.

Chriſti voluntas. Erat radicaliter pec-
ca-

cabilis. 354. Numquam peccauit. Ibid. Nec potuit peccare. 355. Non contraxit peccatum originale. 555. Neque habituale. 356. Erat omninò impeccabilis, ex vi vnionis hypoſtaticæ. 357. Quomodo ſoluantur loca ſcripturarum, quibus videtur contraxiſſe peccatum. 360. Fuit libera ad moriendum. 387. Quomodo fuit neceſſitata ad conformitatem cum diuina voluntate 389. Habuit imperfectionem moralem negatiuam, non poſitiuam. 390. Non fuit ſemper neceſſitata ad optimum. 391. Potuit aliquando difformari diuinæ voluntati. 344. Solum circa volitum materiale. 395.

Communicatio idiomatum. Quid ſit. 243. & 441. Sequitur ex vnione hypoſtatica. Ibid. Non tamen inter omnia prædicata. 144. Quę ſunt propria vtriuſque naturæ, poſſunt in concreto prædicari de perſona Chriſti 245. Non tamen quæ ſunt propria vnius naturæ, poſſunt prædicari de alia. 246. Commenſuratur extremorum capacitati. 261. Datur ſolùm inter aſſumptum, & aſſumentem. 268. Reſultat ſolùm ex vnione hypoſtatica. 273. Non poteſt dari inter Deum, & lapidem 277.

DAemon. Captiuauit homines per Adæ peccatum. 90. Fuit à Chriſto præda ſpoliatus. 92. Quomodo dicatur caput malorum. 328.

Decoctores. Non abſoluuntur à debito, cuiuſ ſolutio ſuſpenditur. 104.

Deipara. Non meruit abſolutè maternitatem. 195.

Dentes. Fuerunt immediatè aſſumpti. 288,

Deus. Poteſt quidem fieri homo, per vnionem hypoſtaticam, non tamen per mutationem naturæ. 29. Non poteſt fieri canis. 30. Non mutatur per incarnationē. 30. Neque deprimitur, 41. Non neceſſitatur ad optima. 83. Licèt ſemper optimè operetur. 84. Potuit non reparare ruinas angelorum. 84. Non habet ius infinitum, nè offendatur. 138. Non poteſt aſſumere naturam irrationalem. 226. Nō neceſſitatur ad optimum operandū. 391.

Diſpoſitio. Alia eſt præuia per modū cauſæ, & alia conſequens per modum ornatus. 179.

Dona Dei. Non ſunt materia exprobationis, 85.

Dona Spiritus ſancti. Fuerunt in Chriſto. 320.

ERror. Non fuit in Chriſto. 344.

Eſſentia Dei. Poteſt ſupplere ſpeciem impreſſam, nō autē expreſſam. 336.

Eua. Si ſola peccaſſet, Chriſtus non veniſſet. 75. Licèt probabile ſit, quòd non peccaſſet, Adamo non peccante. 76. Quòd etiam valet de filijs. 77.

FActum caro. Quomodo ſit exponendum. 232.

Fides. Non fuit in Chriſto. 319.

Filius. Debet eſſe aliquod perfectum. 408.

Filiatio naturalis Chriſti. Pugnat cũ ſeruitute legali, & pænali, non tamen cum naturali ad Deum. 413. Fundatur in gratia vnionis. 414.
Finis. Non ſemper eſt prius volitus, quàm media. 458. Debet attendi, vt cadit in agentis intentionem. 462.
Fomes peccati. Non potuit eſſe in Chriſto. 366. Semper eſt vitioſus. 367.
Forma. Non præſtat ſubiecto ſuos effectus formales, niſi iuxta eius capacitatem. 308.
GRatia. Poteſt à Deo ordinari ad dignificandos etiã alios. 116. Non educitur e potentia ſubiecti. 315.
Gratia actualis. Non fuit in Chriſto vt comprehenſore. 317. Licèt fuerit in illo vt viatore. 318.
Gratia capitis moralis. Reſpectu totius Eccleſiæ, ſoli Chriſto conuenit. 322. Etiam reſpectu angelorum. Ibid. & 326. Et omnium creaturarum. Ibid. & 325. Ratione vnionis, & gratiæ habitualis. 327.
Gratię gratis datæ. Fuerunt omnes in Chriſto, non pugnantes cum eius ſtatu. 318.
Gratia habitualis. Eius effectus formalis. 303. Non fuit Chriſto neceſſaria. 305. Licèt fuerit vtilis. 306. Eſt infinita, intenſiuè. 310 Etiam in eſſe morali. 313. Non tamen extenſiuè. Ibid. Poteſt expelli per peccatum. 358. Nõ facit Chriſtum filium adoptiuum. 406. Etiam ſecundùm humanitatem. 408.

Gratia prima. Poteſt cadere ſub meritum alterius. 116.

Gratia vnionis. Vide, vnio hypoſtatica

HOmo. Per Adæ peccatum fuit ſpoliatus donis ſupernaturalibus. 88. Et vulneratus in naturalibus. 89. Et poſitus ſub Dęmonis poteſtate. 90 Factus eſt libertus Chriſti. 91. Quomodo fuerit per Chriſtum liberatus. 92. Non potuit condignè ſatisfacere prò originali. 96. Licèt potuerit prò actuali. 97. Non tamen in ſtatu purę naturæ. 98 Non habet debitum infinitum, non offendendi Deum. 138. Non eſt infinitè vilis reſpectu Dei. 148 Non poteſt intelligere per intellectionem Dei. 434 & 335.

Homo purus. Potuiſſet à Deo conſtitui caput morale, vt pro omnibus ſatiſfaceret, etiam prò originali. 111. Non tamen ſuperabundanter, vt Chriſtus. 113. Et multo minùs de toto rigore iuſtitiæ 114. Non tamen obſtaret infinita diſtantia a Deo. 115. Et potuiſſet prò alijs mereri primam gratiam 116.

Humanitas. Aduenit Verbo, vt perfectibilis per illud. 208. Non potuit aſſumi, ſub conditione dimiſſionis per peccatum. 368. Vide, Chriſti humanitas.

Humores. Primi quattuor fuerunt immediatè aſſumpti. 286. Non tamen accidentales. 288.

IGnorantia. Non fuit in Chriſto. 345.

Imperfectio moralis. Quotuplex ſit 391.

Impeccabilitas. Conueniebat humanitati, ex vi vnionis cum Verbo. 357.

Incæptio, Et in ſe bona, & aſſumptibilis à Deo. 362.

Incarnatio Dei. Eſt poſſibilis, & quomodo. 29. Non inducit in Deo mutationem intrinſecam. 30. Eius poſſibilitas ſolùm negatiuè eſt naturaliter cognoſcibilis. 33. Non inuoluit cognitionem explicitam Trinitatis. 35. Fuit conueniens homini. 38. Mundo, & Deo. 39 Nullam dicit iniuſtitiam. 40. Vnde ſumatur eius honeſtas, & laudabilitas 41. Non poteſt vt facta Gētilibus, & Iudæis clarè probari. 44 Quomodo ſoluantur ſcripturę oppoſitæ. 46. Fuit ſtatuta ad mundi redemptionem. 51. In quo ſenſu poſſit dici bonum occaſionatum. 54. Plus profuit Chriſto, quàm alijs. 57. Non magis conducit ad gloriam Dei, quàm redemptio. 59. Fuiſſet etiam Adamo non peccante 63. Non magis promouiſſet gloriam Dei in natura angelica. 64. Non iuuat, niſi volentes. 70. Fuit neceſſaria homini, non Deo, 82. & 109. Fuit tamen Deo conuenientiſſima. 115. Non poteſt rependi in præmium meritorum. 128. Facta eſt in ſola perſona filij. 157. Non tamen per ſubſiſtentiam abſolutam. 258,

Incarnationis exiſtentia. Non poteſt naturali lumine inueſtigari. 36.

Incarnationis motiuum. Fuit ſola redemptio mundi. 51,

In-

Intellectio Chriſti vt hominis. Fuit creata. 332. Non potuit ſuppleri per increatam. 333. & 336.

LEx diuina. Verſatur etiam circa actus internos 100.

Lex humana. Non verſatur circa actus internos. 100.

Lex naturalis. Quomodo ſe habeat circa Deum. 384. Quomodo obliget Chriſtum. 385.

Lumen gloriç. Poteſt eſſe infinitũ. 315.

MAlitia peccati. Non eſt à Deo aſſumptibilis. 362. Vide, & offenſa Dei.

Mandatum rigoroſum. Vide, præceptum rigoroſum.

Matrimonium. Quomodo ſignificet coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. 56.

Meritum Poteſt eſſe de bonis debitis nondùm habitis. 184. Debet eſſe opus perſonç gratæ. 193.

Motiuum incarnationis. Vide Icarnationis motiuum.

Mutatio intrinſeca. Non conuenit Deo incarnato. 30.

NAtura. Eſt terminus *vt quo* generationis, & ſpecificatiuus. 226 Eadem poteſt aſſumi à pluribus perſonis diuinis. 264. Etiam ſimul. Ibid. Non pendet à ſubſiſtentia. 267. Licèt non poſſit eſſe ſine illa. 408.

Natura diuina. Non fuit in Chriſto conuerſa in humanam: 229. Non poteſt incarnari, circumſcriptis perſonis. 298.

Na-

Natura humana. Si aſſumeretur a pluribus, eſſet vnus homo. 267. Non poteſt conſeruari ſine vlla ſubſiſtentia. 299. Appetit propriam ſubſiſtentiam innatè, & elicitè. Ibid. In Chriſto non eſt in ſtatu violento. 300.

OBedientia. Non dicit neceſſariò præceptum ſuperioris. 181. In quo conſiſtat Ibid.

Obedientia Chriſti. Fuit perfectiſſima, licèt nullum habuerit præceptum rigoroſum 379. & 381.

Offenſa Dei. Non poteſt compenſari per actus offendentis 105. Habet aſcenſum, & deſcenſum infinitos Ibid. Non phyſieè, ſed moraliter. 106 Non eſt ſimpliciter infinita. 114 & 132. Sed ſolùm ſecundùm quid. 133. Non augetur ex dignitate offenſi, vt eſt in ſe, ſed vt eſt in offendentis cognitione. 133. Non eſt in offenſo. 134. Niſi extrinſecè. 135. Qui non eſt ſubiectum inhæſionis, ſed denominationis. 136. Non habetur eius infinitas ex vilitate offendentis, ſed ex dignitate offenſi. 148.

Omnipotentia. Non potuit communicari humanitati Chriſti, 438.

Operationes humanitatis. Non fuerunt aſſumptæ. 289.

Oratio ad Deum. Quomodo conueniat Chriſto. An fuerit ſemper exaudita. 429. Quid obtinuit pro crucifixoribus. 432. Et pro omnibus alijs. 433.

PEccatum originale. Eſt grauius actuali extenſiuè. 78. Non potuit compenſari à puro homine. 96. Non fuit in Chriſto. 355.

Peccatum actuale mortale. Aufert à Deo tria bona incompenſabilia à puro homine. 99. Non poteſt perfectè compenſari, niſi per indulgentiam Dei. 104. Non eſt ſimpliciter infinitum. 131. Etiam ſecundùm offenſam. 132. Non meretur ex ſe pœnam infinitam. 138. Cur puniatur pœna extenſiuè infinita. 140. Non priuat Deum ratione vltimi finis. 140. Non poteſt eligi ad vitandũ infernũ. 141. Cur ſit malum incompenſabile Ibid. Nõ habet vim demeritoriam infinitam. 149. Non potuit eſſe in Chriſto. 358.

Peccatum veniale. Poteſt perfectè à peccatore compẽſari. 107. Non potuit eſſe in Chriſto. 358.

Peccator. Non poteſt ſe liberare ab omni pœnalitate. 103. Non tenetur ex iuſtitia ad ſatisfaciendum Deo 108.

Perſona Chriſti. Quomodo vt ſatisfaciens eſſet diuerſa ab acceptante ſatisfactionem. 157. Eſt compoſita. 203. Et ex profeſſo. 239. In quo ſenſu hoc dicatur. 241 Eſt vnica. 223.

Perſona creata. Non poteſt aſſumere alienam naturam. 264. Neque aſſumi. 291.

Perſonę diuinæ. Omnes poſſunt aſſumere alienas naturas. 263. Et eamdem ſucceſſiuè. Ibid. Immò & ſimul. 264. Non tamen ſubſiſtentiam creatam. Ibid. Neque
que

que naturam irrationalem, 265. & 276. Non poſſunt aſſumi. Ibid. Neque natura vt ab vna perſona terminata. 266. Poſſunt ſingulæ aſſumere plures naturas eiuſdem ſpeciei. 270. Et diuerſi generis. 271. Non tamen diuerſæ ſpeciei corporeæ. Ibid.

Pœnitentia. Non fuit in Chriſto. 319.

Potentia remota peccandi fuit in Chriſto, non tamen proxima. 358.

Potentia generatiua ad intra. Cur non ſit in filio 260. Non poteſt extendi, niſi ad vnum filium. 271.

Prædeſtinatio noſtra. Eſt effectus meritorum Chriſti. 470. Nobis tamen eſt opus miſericordiæ. 473.

Prçceptum. Non obligat ad amorem obiecti, ſed obedientiæ. 368. Non dicit de formali minas pçnæ. 382. In quo conſiſtat. 383.

Prçceptum rigoroſum. Non potuit fieri Chriſto 379. Sed ſolùm per modum conſilij. Ibid. Non tamen purè approbatiui, ſed oneroſi. 386. & 424. Quid dicat eſſentialiter. 426. Non eſt idem ac decretum. Ibid.

Prophetia. Non dicit eſſentialiter obſcuritatem. 318. Fuit in Chriſto habitualiter. 319.

QValitas. Poteſt eſſe infinita. 311. Quæ augeri poſſet extenſiuè, & non intenſiuè 314.

Quomodo concilietur libertas Chriſti cum eius impeccabilitate, & præcepto. 369.

RAtio. Dominabatur appetitum ſenſualem Chriſti. 366.
Relatio rationis fundata in Verbo ad Patrem, facit Chriſtum filium naturalem Dei, & matris. 403.
SAnctitas increata. Sanctificat humanitatem Chriſti. 302. Sine informatione, & inhærentia 308. Non tamen illam facit ęternam, immenſam, &c. Ibid. Non ſanctificat vitaliter. 336.
Sanctitas creata. Fuit intenſiuè infinita in Chriſto. 312. Non tamen extenſiuè. 313.
Satisfactio Chriſti. Vide Chriſti ſatiſfactio.
Sancti Patres. Non meruerunt incarnationem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. 194.
Sancguis Chriſti. Fuit immediatè aſſumptus. 286. Totus fuit reſumptus in reſurrectione. 293.
Satisfactio. Non poteſt perfectè fieri à puro homine. 99 Licèt potuerit à Chriſto. 100. Potuit tamen pro veniali. 107. Quomodo potuiſſet perfectè pręſtari à puro homine. 111 Etiam ex iuſtitia. 113. Non tamen fuiſſet æqualis ſatiſfactioni Chriſti, Ibid Et multo minus de toto rigore iuſtitię. 114.
Scientia Chriſti. Fuit increata perſonę, & creata humanitatis. 332. Vtraque erat theantrica 334 Non erant incompatibiles. 336. Fuit quadruplex. 342. Vt patet e ſcripturis. 343. Nulla fuit compre-

prehenſiua. 347. Licèt extenderetur ad præterita, futura, & ſecreta cordium, 348. Ad omnia poſſibilia 349. Ad myſterium Trinitatis. Ibid. Et ad actus liberos denominantes 350.
Seruitus legalis, vel pænalis. Poteſt auferri. 414.
Seruitus Quomodo cadat in Chriſtum. 413. Conuenit naturę, non perſonę. 415.
Seruitus naturalis in Deum. Non poteſt auferri. 414.
Spes. Non fuit in Chriſto. 319.
Spiritus vitales, & animales. Fuerunt aſſumpti. 287. & 293.
Subſiſtentia. Terminat totam naturam, ſed non totaliter. 259. Conſtituit principium *quod* operatiuum. 363.
Suppoſitum. Eſt terminus generationis *vt quod*. 226. Eſt principium *quod* operatiuum. 363.
TEmperantia. Quomodo fuerit in Chriſto. 319.
Timor. Non ſeruilis, ſed filialis fuit in Chriſto. 320.
Timor mortis. Fuit Chriſto voluntarius. 368.
VAlor operis. Diſtinguitur ab eius entitate. 125
Verbum æternum. Non eſt pars Chriſti, quem conſtituit 31. Quomodo proportionetur naturę humanæ. 36. Et eſt cum illa vnibile, 37. Perficit humanitatem, per modum termini. 208. In quo ſenſu verificetur, non dimiſiſſe quod ſemel

mel aſſumpſit. 213. Aſſumpſit etiam vnionem animæ cum corpore. 214. Quæ vnio fuit modificata per hypoſtaticam, Ibid. Quomodo ſimul terminet generationem æternam, & temporalem. 226. Non amiſit per vnionem, eſſe indiuiduã ſubſtantiam. 233. Ipſum ſolum eſt incarnatum. 257. Per ſolam ſubſiſtentiam relatiuam. 258. Quomodo ſuppleat dependentiam humanitatis à Deo 259. Aſſumpſit veram humanitatem 284. Et omnes partes corporis, etiam integrales. 285 Et quattuor humores. 286. Vngues, dentes, & capillos. 288. Non tamen humores, & alias formas accidentales. Ibid. Sanctificat humanitatem. 302. Vt Deus eſt. 304. Factum eſt homo in actu primo. 440.

Virtutes morales. Quomodo fuerint in Chriſto 320.

Virtutes cardinales Fuerunt in Chriſto. 319.

Vngues. Fuerunt immediatè aſſumpti. 288.

Vnio hypoſtatica. Non potuit vllo modo cadere ſub meritum. 188. & 464. Eſt modus poſitiuus realiter ſuperaditus, 201. Et exercitium Verbi terminantis humanitatem. 202 Non poteſt ſaluari per decretum Dei. 203. Non facit compoſitum accidentale. Ibid. Eſt in ſola humanitate, & terminatur ad Verbum. Ibid, Quod per illam modificatur. 204. Eſt ſubſtantialis. 207. Eſt ſupernaturalis, & vnica. 208. Diſtinguitur ab actione incar-

carnatiua. 209. Non eſt in Verbo inductio carnis. 209. In quo ſenſu dicatur naturalis. 210. Conſtituit *vt quo*, & ideo non facit Chriſtum ſupernaturalem. Ibid. Niſi ſecundùm vnionem componentium illum. 211. Fuit duplicata in triduo mortis Chriſti. 212. & 213. Fuit proportionata ſoli ſubiecto 213. Eius dualitas eſſet omninò inutilis. 214. Fuit facta in ſola perſona Verbi. 228. Quod non conuenit vnioni intentionali. 233. Eſt omnium maxima, etiam vt eſt formaliter vnio. 237. Trahit communicationem idiomatûm. 243. Fuit aſſiduò variata. 293. Eſt materialis, & compoſita. 211. & 294. Sanctificat *vt quo*. 304. & 315. Non eſt menſura ſanctitatis. Ibid. Reddebat humanitatem impeccabilem. 357.

Voluntas rationalis Chriſti. Quomodo fuerit ſemper impleta. 429.

Voluntas ſenſualitatis. Fuit in Chriſto. 430. Fuit diuerſa, non tamen contraria voluntati rationali. 431. Non ſemper fuit exaudita. Ibid. Quomodo orat. 433.

Voluntas ſigni. Non eſt in Deo, ſed à Deo. 393. Aliquando melius eſt illi non conformari Ibid.

Votum. Obligat ex iuſtitia. 159.

FINIS.

Erràta. Corrige.

Pag. 32. initio articuli, *vt conteudit Suarez to. 1. in 3. p, q. 1. ſect. 1.*	Debent addi hæc verba (*vbi tamen loquitur d cegnitione euidenti, no exclusa ineuidenti.*
164. *Cum illo vnicæ*	Cum illo vnitæ.
165. *Ad. 3.*	Ad. 5.
167. *In ſubiecto eſſe non poſſint*	In eodem ſubiecto, &c.
183. *Connaturaliter debeatur*	Debebatur.
197. *Sub finem deſunt hæc verba*	Non ſolùm reunionem animæ cum corpore, ſed etiam reunionem, &c.
260. *Vt eſt in patre, & ab illo*	Et vt ab illo.
277. *Quæ proinſte*	Proinde.
295. *Quibus non diſſentiebant*	Cui.
306. *Ad hunc defectnm*	Effectum.
364. *Admitto, potuiſſe*	Tranſeat, potuiſſe, cùm in tr. de pæn. probauerimus oppoſitum.
370. *Alij dicuant*	Dicunt.
384. *Seculſa*	Secluſa.
395. *Circa quod tamen*	Tantùm.
413. *Conſecrationis*	Conſeruationis.
417. *Ab illa genitus eſt*	Genita eſt.
452. *In quæſtionem*	In quæſtionem.
462. *Imperes*	Impares

Google

Digitized by Google

tized by Google